A
20
424

XV-231

n 817[illegible]

DE FILOSOFIA Y LETRAS
Est. CIX
Tabla 10
Núm. 2

A
8
90

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL
GRANADA
Sala: A
Estante: 020
Número: 424

b 18817579
1204 99905

17832

# C. IVLII HYGINI, AVGVSTI LIBERTI, FABVLARVM LIBER,

AD OMNIVM POETARVM
lectionem mirè neceſſarius, &
nunc denuò excuſus.

*EIVSDEM POETICON*
*Aſtronomicon Libri quatuor.*

28

Quibus acceſſerunt ſimilis argumenti;

PALAEPHATI *De fabuloſis narrationibus Liber I.*
F. FVLGENTII *Placiadis Epiſcopi Carthaginenſis Mythologiarum Libri III.*
EIVSDEM *De vocum antiquarum interpretatione Liber I.*
PHORNVTI *De natura deorum, ſiue poëticarum fabularum allegorijs, ſpeculatio.*
ALBRICI *Philoſophi De deorum imaginibus Liber.*
ARATI *φαινομένων fragmentum, Germanico Cæſare interprete.*
EIVSDEM *Phænomena Græcè cum interpretatione Latina.*
PROCLI *De ſphæra libellus, Græcè & Latinè.*
APOLLODORI *Biblioth. ſiue de Deorum origine.*
LILII *G. Giraldi* DE *Muſis Syntagma.*

NVNC PRIMVM VERO

*Ex Macrobio, Ficino in Plotinum, Natali de Comitibus, & alijs* EXCERPTA *lectu digniſſima, & Operis argumento conuenientiſſima, ſubiuncta ſunt.*

INDEX rerum, ſententiarum, & fabularum, in his omnibus ſcitu dignarum, copioſiſſimus.

Collegij S. Martini Soc. Jesu.

*LVGDVNI,*
APVD IOANNEM DEGAB ANO.
*M. DCVIII.*
Cum Priuilegio Regis.

# TYPOGRAPHVS LECTORI.

CVM his temporibus, Candidiſſime Lector, Iulij Hygini opera, ac quorundam authorum tractatus ad omnium poëtarum lectionem apprimè neceſſarios, vt Palæphati de Fabuloſis narrationibus, Fulgentij de vocum antiquarum interpretatione, Phurnuti de natura Deorum, ſiue poëticarum fabularum allegorijs, Albrici de Deorum imaginibus, Arati φαινομένων fragmentum, ac Procli de ſphæra libros Græcè & Latinè denuò excudere curarem: mihi in mentem venit Apollodori bibliothecam ſiue de Deorũ origine, ac L. G. Gyraldi de muſis ſyntagma eiuſdem eſſe argumenti, & ſtudioſis maximeq́; poëſin affectantibus multum conducere poſſe: ob idque poſtquam hos omnes authores doctis quibuſdam viris viſendos, emendandos, ac multis mendis repurgandos & ſcholijs amplificandos tradidiſſem, vt aliqua in parte ſtudioſorum laborem ſubleuare poſſem, ſimul coniungere volui: quibus nunc primum ex Macrobio, Ficino in Plotinum, Natali de Comitibus, & alijs authoribus probatis, EXCERPTA lectu digniſſima, ſubiuncta ſunt à quodam Philologiæ ſtudioſo: vt opus varia eruditione refertum ſuis numeris magis ac magis abſolutum redderetur. Quapropter te obſecro, vt ſi tuæ, ac poſterorum vtilitati conſuluerim, illud tibi gratum ac acceptum eſſe poſſit. Vale.

NOBILI, AC GENEROSO
DO. OTHONI TRVCHSES
A VVALBVRG SPIRENSIS
*Eccleſiæ Canonico, Domino ſuo,*
*Iacobus Micyllus* S. D.

CVm pro humanitate, nobiliſſ. Otho, qua tum, cùm primùm in conſpectum tibi veniſſem, abs te acceptus fui, eximiam quandam de tua excellenti virtute ſpem concepiſſem: ex eo iamdiu cogitare cœpi, quo pacto eidem tibi, ita vt dignũ erat, itáque vt meritus eſſes, commendare me poſſem. Nam cùm vbique plurimum prodeſt eorum hominum fauorem ac gratiam emereri, qui quòd genere ac opibus reliquis præſtant, eò aliorum ſtudia atque conatus prouehere poſſunt: tum hoc tempore in primis circumſpicere omnes nos meritò decet, vt contemptis & profligatis hiſce noſtris ſtudiis, patronos ac defenſores paſſim paremus. Adeò enim loco ſuo (ſiue hoc ira deorum aliqua, ſiue noſtra potius culpa factum eſſe dicendum eſt) præclaræ illæ literæ, & à veteribus ſolæ humanitatis vocabulo prædicatæ, iterum reciderunt, vt ſi vnquam magnorum atque potentum hominum auxilio opus habuerunt, hoc certè iniquiſſ. tempore, illorum opem maximè implorare videantur. Atque ea quidem tum eruditio, tum virtus tua eſt, vt non immeritò omnia illa, quæ à ſummo atque optimo quóque expectari debent, de tua præſtantia ipſe mihi pollicear. Qui primùm eo genere natus, atque iis imaginibus clarus es, vt nemini ſuperiorum, aut etiam priſcorum hominum, nobilitate facilè cedas. Deinde autem tanta

tem tanta cura ac diligẽtia in bonis literis iamdiu verſatus & exercitus es, vt quod ad veram ac ſolidam virtutem attinet, id omne labore ac ſtudio tuo tibi compararis. Ex qua re etiam eò maiorem laudem conſecutus es, quòd diſcendi laborem, quem plerique veſtrorum hominum contemptu, alij autem ignauia etiam quadam declinant ac vitant, eum tu in tanta generis atque maiorum claritudine ſuſcipiendum ac perſequendum tibi putaſti: &, quod rarò iſta ætate contingere videmus, cum ſummo genere ſummam doctrinam coniunxiſti. Cæterùm vt in excellentibus picturis etiam colorum ſplendor & harmonia, gratiæ non parum addit, totumque ipſum argumentum & artificis virtutem illuſtriorem quodammodo reddit: ita ipſam virtutem quoque videmus, ſi cum generis ac vitæ nobilitate coniuncta, & externis illis fortunæ dotibus illuſtrata ſit, neſcio quo pacto excellentiorem ſimul & admirabiliorem videri. Non enim Stoici, opinor, illi audiendi ſunt, qui vt nudam omnino per ſe virtutem ſpectandam eſſe, ita externam fortunam, vt nihil ad parandam illam conferre: ſic etiam nocere ſæpenumerò, & ob id reiiciendam eſſe contendunt. Quorum doctrina vt ab Ariſtotele, ac aliis quibuſdam iam olim confutata atque exploſa eſt, ita mihi certè videtur, imò & exemplis quotidie comperimus, vbi vtrumque horum cum altero, hoc eſt, cum fortuna virtus coniuncta ac ſociata fuerit, egregium ac ſingulare quiddam elucere, ac tum demum εὐδαιμονίαν illam, quam in hac vita quærimus, omnibus ſuis numeris abſolutam ac plenam eſſe. Proinde cùm ſuperiore anno Genealogias deorum, perinde vt à Bocatio ante annos aliquot collectæ fuerant, hortatu amici noſtri Ioannis Heruagij relegiſſem, & eaſdem ab innumeris mendis, quibus editio prior inuoluta atque obruta erat, caſtigatas, excudendas dediſſem: atque idem nuper alium quendam vetuſtum ac manu ſcriptum codicem, in quo per capita eadem res, atque idem argumentum ab Hygino (ſic enim inſcriptus liber is erat) tractabatur, viſendum, & quoad eius fieri poſſet, emendandum quoque & reſtituendum dediſſet: ego, qui non paruam aut contemnendam laboris partem in eo opere poſuiſſem, viderémque librum illum qualemcunque ſtudioſis adoleſ-

centibus non inutilem aut ingratum fore, volui laborem hunc meum excellentiæ tuæ clariſſ. Otho dedicare, tuiq́ue nominis auſpicio in lucem prodire. Simul vt eo munere commendatum me tibi facerem: ſimul vt eſſes, cuius tanquam præſidio ac patrocinio quodam liber hic, & hæc ſtudia noſtra ab iniuria aliorum atque indoctorum hominum defenderetur. Vt enim amuleta quædam infantes, ex quorum collo ſuſpenſa ſunt, contra inuidiam ac faſcinationem malorum tueri creduntur: ita confido eos quoque, qui tuum huic libro præfixum nomen ac titulum legent, à carpendo & obloquendo citius abſterreri poſſe. Neque verò dubito, ne non animo lubenti ac grato munus hoc noſtrum accepturus ſis. Tametſi enim planè exiguum ac leuidenſe, vt vulgò dicitur, vocari queat, (quid enim aliud quàm fabulis, iiſq́ue vetuſtis ac obſoletis conſtat?) ab eiuſmodi tamen animo profectum ac datum eſt, qui tibi ſtudio ac voluntate ſua meritò probari debet. Nam ſi Artaxerxem illum magnum Perſarum regem pomo, quod ab homine ruſtico dono oblatum acceperat, ideo oblectatum eſſe memorant, quòd, quæ propria & precioſa maximè habuerat, ille donaſſet: has quoque fabulas eodem nomine commendatiores tibi eſſe decet, vt quæ & ipſæ poſſeſſionum mearum propriæ maximè, & tanquam ex fundo noſtro profectæ ſunt, quibúſque ipſe cognoſcendis ac percolendis meliorem anteactæ vitæ partem fermè collocârim. Quanquam etiam ſi vel ad ipſum librum, vel ad operam, quam in caſtigando ſumpſimus, aſpicere voles, ea quoque non paruum commendationis pondus habent. Eſt enim hic author, vt quidem non ita purus atque elegans, adeò vt in quibuſdam parum etiam latinus videri queat, ita vetus tamen, & à reliquis Hygini ſcriptis, quæ quidem ad nos peruenêre, non omnino abſimilis aut abhorrens: præcipuè autem vtilis iis, qui in humanioribus hiſce ſtudiis multum ac diligenter verſantur. Ex hoc enim non pauca quæ tum apud Ouidium, tum apud alios pleroſque poëtas minimè hactenus, aut certè perperam intellecta ſunt, intelligi & explicari tandem poſſe videntur: multáque hîc plana iam, atque expedita reperias, quæ dudum magnos atque eruditos quoque viros variè ac miſerè torſerunt. Quam

quidem

quidem ob rem, ſat ſcio, Grammatici noſtri non minus ſibi mox applaudent, quàm gemma aut margarita aliqua precioſiore inuenta, negociatores interdũ geſtire ſolent: vt poſſis vel eo nomine gratulari tibi, quòd ſub tuo titulo, hominibus iis, quales te amare ſcio, & quorum ſtudiis ipſe quoque interdum oblectaris, tantum mox gaudij atque voluptatis parietur. Præcipuè cum ipſe quoque poëticis rebus, vt audio, deditus ita ſis, vt nonnunquam ad exemplum veterum, carmen aliquod cum multa laude componas. Et quanquam non auſim affirmare, omnino eum Hyginum hunc eſſe, cuius A. Gellius Noctium Atticarum libro primo, capite 21. mentionem facit, quem ipſe quidem commentaria in Virgilium edidiſſe tradit: Volaterranus autem, etiam cum eo qui tẽporibus Quintiliani vixit, libróſque de re Aſtronomica quatuor illos (ſiue is vnus potius perpetuus dicendus eſt) quos eodem hoc volumine, & ipſos longè quàm antea emendatiores, cum reliquis eiuſdem generis ſcriptoribus coniunximus: itémque alium Grammaticôn, hoc eſt, de rebus caſtrenſibus inſcriptum reliquit, eundem eſſe arbitratur, propterea quòd & Plinius Hyginum quendam crebrò citat: & fieri frequenter ſolet, vt eodem nomine plures appellentur: multa tamen veriſimilia concurrunt, quæ me ad dubitandum impellunt. Nam & ipſum opus eiuſmodi eſt, vt hominem grammaticum, & Græcorum imitatorem facilè agnoſcas: & quod ad dictionem attinet, videas illum cum cæteris Hygini ſcriptis omnino ſimilem ac parem eſſe. Interdum etiam ipſas loquendi formas velut inde repetitas præ ſe ferre. Huc accedit, quòd in Aſtronomicorum opere ipſe Hyginus genealogiarum à ſe ſcriptarum meminit: quarum certè aut fragmẽta hæc, aut epitome, à ſtudioſo aliquo ex illius libris excerpta & abbreuiata videri poteſt. Porrò quantum laboris in emendando ac reſtituendo illo obeundum, atque adeò exantlandum nobis fuerit, vel hinc coniecturam facere licet, quòd primùm ipſe liber (qui beneficio excellentiſſ. D. Ioannis Vueyer Auguſtani, Friſingenſis eccleſiæ Canonici, ac M. Io. Chrumeri, Canonici apud diuum Andream Friſingenſem, Notarij integerrimi, necnon & Viti Chrumeri, ibidem bonas literas non ſine laude do-

centis, nobis communicatus eſt: quibus & ſua gratia debetur, quòd ſtudia promouere, ſi qua datur occaſio, non negligunt) is inquam liber, externis ac Longobardicis notis ſcriptus erat: in qua tamen re nonnihil adiuuit nos is, qui prior illum latinè deſcribendum cœperat, cuius nos exemplum principiò ceu filum quoddam ſecuti ſumus. Deinde quòd ipſa verba pleráque inter ſe ita impedita ac perturbata erant, vt alia nobis diuidenda, alia aliis abolenda: quorundam principium cum fine præcedentium, & rurſum præcedentium quorundam finis cum principio ſequentis coniungendus eſſet. Vt omittam, quàm multa vetuſtate obliterata, expuncta atque corroſa fuêre: quorum alia, æſtimationem & coniecturas ſecuti reſtituimus: alia, vbi certum aliquid quod ſequi poſſemus, non erat, prorſus intacta reliquimus. Omnino autem nihil, de quo non certò vel ex Græcis, vel ex Latinorum poëtis conſtaret, immutatum, aut loco motum eſt, adeò vt in quibuſdam etiam diuerſam lectionem, iuxta alteram atque priorem adnotaſſe ſatis putârim. Non enim mihi placet quorundam emendandi ratio, qui omnino temerè, & vt quicque poſſe videtur, continuo mutant, aliáque ſubinde pro veris ficta ſupponunt. Quibus vt nihil aliud, illud certè acceptum referre debemus, quòd pleroſq; authores minus integros & mutilatos magis habemus. Hanc igitur operam noſtram, nobiliſſime Otho, ſi, quod ſpero, grato animo acceperis, & illud vtique facies, vt quod iam inde à principio optaui, tibi commendatus vt eſſem, hinc iam conſecutus eſſe videar: & hoc quoque addas, vt ad reliquas horum ſtudiorum partes deinceps capeſſendas & perſequendas, alacriorem me reddas. Vale

⁂

AVTHO

# AVTHORES, QVORVM TESTIMONIO HYGINVS vtitur, ſunt hi.

*Aratus.*
*Amphis.*
*Aglaoſthenes.*
*Anacreon.*
*Aeſchylus.*
*Aſclepiades.*
*Alexander.*
*Ariſtonicus, ſiue Ariſtomachus.*
*Cleoſtratus Tenedius.*
*Callimachus.*
*Cicero.*
*Conon Samius.*
*Diogenites Erithiacus.*
*Eumelus Corinth.*
*Eratoſthenes.*
*Euripides.*
*Euemerus.*
*Eubulus.*
*Heſiodus.*
*Homerus.*
*Herodot. Mileſius.*
*Hegeſianax.*
*Hegeſias.*
*Heraclides Ponticus.*
*Hermippus.*
*Iſter, ſiue Hyſtrus.*
*Leon.*
*Mnaſeas.*
*Muſæus.*
*Ouidius.*
*Parmeniſcus.*
*Pherecydes.*
*Petellides Gnoſius.*
*Panyaſis.*
*Polyzenus Rhodius.*
*Pyſandrus.*
*Pindarus.*
*Philarchus.*
*Sophocles.*
*Soſitheus Tragicus.*
*Thales.*

## QVIBVS FVLGENTIVS VTITVR.

*Antidamas.*
*Apuleius.*
*Auſonius.*
*Apollophanes.*
*Antiphon Philocrus.*
*Artemon.*
*Anaximander Lampſacenus.*
*Anacreon.*
*Ariſtoxenus.*
*Anaſimenes.*
*Ariſtoph. Athenæus.*
*Affricanus.*
*Battiades.*
*Beatinius augur.*
*Bebius Macer.*
*Corn. Tacitus.*
*Calphurnius Comicus.*
*Criſpinus.*
*Callimachus.*

M. Cornutus.
Cincius Alimettus.
Diophantes Laced.
Dauid pſalmiſta.
Dromocrides.
Democritus.
Demoſthenes.
Euxemenes.
Epicharmus Comicus.
Euripides.
Ennius.
Felix Capella.
Q. Fabius Lucullus.
Fonteius.
Feneſtella.
Galbius Baſſus.
Homerus.
Hermes Triſmegiſtus.
Heſiodus.
Iuba.
Iuuenalis.
Lucanus.
Lucretius Comicus.
Leophantes Heracleopolites.
Labeo.
Liuius.
Mintanor muſicus.
Memor Tragicus.
Mnaſeas.
Menander.
Meliſſus Euboicus.
Martialis.
Mariandes.
Manilius Craſtus.
Numa Pompilius.
Nicagoras.
Neuius.
Ouidius.
Orpheus.
Plautus.
Pacuuius.
Paminatius.
Petronius Arbiter.
Piſander Phyſicus.
Porphyrius.
Plato.
Rubrius.
Rutilius Geminus.
Succius Comicus.
Syrophanes Aegyptius.
Serapion Aſcalanites.
Salomon.
Soſicrates Cyzicenus.
Soſides Atticus.
Sutrius Comicus.
Steſimbrotus Thaſius.
Tertullianus.
Terentius.
Thales Mileſius.
Theocritus hiſtoricus.
Theophraſtus.
Tages.
Tyberianus.
Varro.
Virgilius.

## QVIBVS ARATI COMMENtarius vtitur.

Amphis Comicus.
Agatoſthenes.
Aglaoſthenes.
Artemidorus.
Ariſtomachus.
Amphianus Tragicus.

*Ariſtoteles.*
*Antiſthenes.*
*Anaximander.*
*Archibius.*
*Crates Comicus.*
*Callimachus.*
*Cæſar.*
*Diodorus.*
*Eratoſthenes.*
*Euripides.*
*Epimenides.*
*Euſchemis.*
*Herodotus.*
*Heſiodus.*
*Homerus.*
*Iſidorus.*
*Muſæus.*
*Mnaſeas.*
*Nigidius.*
*Ouidius.*
*Philo Comicus.*
*Pammaſis.*
*Philiſtus.*
*Periandrus Rhodius.*
*Pherecydes Athenæus.*
*Sophron.*
*Sophocles.*
*Soſitheus.*
*Varro.*
*Virgilius.*
*Zenodorus.*

# FABVLARVM HYGINI
## PER CAPITA INDEX.


| | |
|---|---|
| Themiſto. | 1 |
| Ino. | 2 |
| Phyxus. | 3 |
| Ino alia Euripidis. | 4 |
| Athamas. | 5 |
| Cadmus. | 6 |
| Antiope. | 7 |
| Eadem Euripidis. | 8 |
| Niobe. | 9 |
| Chloris. | 10 |
| Niobidæ. | 11 |
| Pelias. | 12 |
| Iuno. | 13 |
| Argonautæ. | 14 |
| Lemniades. | 15 |
| Cyzicus. | 16 |
| Amycus. | 17 |
| Lycus. | 18 |
| Phineus. | 19 |
| Stymphalides. | 20 |
| Phryxi filij. | 21 |
| Æeta. | 22 |
| Abſyrtus. | 23 |
| Iaſon. | 24 |
| Medea. | 25 |
| Medea exul. | 26 |
| Medus. | 27 |
| Othus & Ephialtes. | 28 |
| Alcumena. | 29 |
| Herculis athla. | 30 |
| Parerga eiuſdem. | 31 |
| Megara. | 32 |
| Centauri. | 33 |
| Neſſus. | 34 |
| Iole. | 35 |
| Deianira. | 36 |
| Æthra. | 37 |
| Theſei labores. | 38 |


Dæda

Dædalus. 39
Paſiphae. 40
Minos. 41
Theſeus apud Minotaurum. 42
Ariadne. 43
Cocalus. 44
Philomela. 45
Erichtheus. 46
Hippolytus. 47
Reges Athenienſes. 48
Æſculapius. 49
Admetus. 50
Alceſtis. 51
Ægina, Mirmydones. 52
Aſteriæ. 53
Thetis. 54
Titius. 55
Buſiris. 56
Stheneboea, Bellerophon. 57
Smyrna. 58
Phyllis. 59
Siſyphus & Salmoneus. 60
Salmoneus. 61
Ixion. 62
Danae. 63
Andromeda. 64
Alcyone. 65
Laius. 66
Oedipus. 67
Polynices. 68
Adraſtus. 69
Reges ſeptem Thebas profecti. 70
Epigoni. 71
Antigona. 72
Amphiaraus, Eriphyle, & Alcmæon. 73
Hypſipyle. 74
Tireſias. 75
Reges Thebani. 76
Leda. 77
Tyndareus. 78
Helena. 79
Caſtor. 80
Helenæ proci. 81
Tantalus. 82
Pelops. 83
Oenomaus. 84
Chryſippus. 85
Pelopidæ. 86
Ægiſthus. 87
Atreus. 88
Laomedon. 89
Priami filij & filiæ. 90
Paris. 91
Iudicium Paridis. 92
Caſſandra. 93
Anchiſes. 94
Vlyſſes. 95
Achilles. 96
Qui ad Troiam, & quot nauibus ierunt. 97
Iphigenia. 98
Auge. 99
Teuthras. 100
Telephus. 101
Philoctetes. 102
Proteſilaus. 103
Laodamia. 104
Palamedes. 105
Hector. 106
Armorum iudicium. 107
Equus Troianus. 108
Iſione. 109
Polyxena. 110
Hecuba. 111
Prouocantes. 112
Quem quis occidit. 113

Græci

Græci quot occiderunt. 114
Troiani quot occiderũt. 115
Nauplius 116
Clytæmneſtra. 117
Proteus. 118
Oreſtes. 119
Iphigenia Taurica. 120
Chryſes. 121
Aletes. 122
Neoptolemus. 123
Reges Achiuorum. 124
Odyſſea. 125
Vlyſſis agnitio. 126
Telogonus. 127
Augures. 128
Oeneus. 129
Icarus, Erigone, & Canis. 130
Nyſus. 131
Lycurgus. 132
Hammon. 133
Tyrrheni. 134
Laocoon. 135
Polyidus. 136
Merope. 137
Philyra. 138
Curetes. 139
Python. 140
Sirenes. 141
Pandora. 142
Phoroneus. 143
Prometheus. 144
Niobe, ſiue Io. 145
Proſerpina. 146
Currus Triptolemi. 147
Vulcanus, Harmonia. 148
Epaphus. 149
Titanomachia. 150
Ex Typhone & Echidna geniti. 151
Typhon. 152
Deucalion & Pyrrha. 153
Phaeton Heſiodi. 154
Iouis filij. 155
Solis filij. 156
Neptuni filij. 157
Vulcani filij. 158
Martis filij. 159
Mercurij filij. 160
Apollinis filij. 161
Herculis fillj. 162
Amazones. 163
Athenæ. 164
Marſyas. 165
Erichthonius. 166
Liber. 167
Danaus. 168
Amymone. 169
Filiæ Danai quæ quos occiderint. 170
Althæa. 171
Oeneus. 172
Qui ad aprum Calidonium ierunt. 173
Meleager. 174
Agrius. 175
Lycaon. 176
Calyſtho. 177
Europa. 178
Semele. 179
Actæon. 180
Diana & canũ nomina. 181
Oceani filiæ. 182
Equorum Solis, & Horarum nomina. 183
Pentheus & Agaue. 184
Atalanta. 185
Melanippe. 186
Alope. 187
Theophane. 188

Procris.

Procris. 189
Theonoe. 190
Rex Midas. 191
Hydon, Hyas, alij. 192
Harpalycus. 193
Arion. 194
Orion. 195
Pan. 196
Venus. 197
Niſus. 198
Scylla altera. 199
Chione. 200
Autolycus. 201
Coronis. 202
Daphne. 203
Nyctimene. 204
Arge. 205
Harpalyce. 206
Macareus. 207
Rhodos. 208
Cyrene. 209
Hecatea. 210
Herſe. 211
Endymion. 212
Atys. 213
Narciſſus. 214
Hermaphroditus. 215
Eurydice. 216
Maleas. 217
Hyacinthus. 218
Archelaus. 219
Cura. 220
Septem Sapientes. 221
Septem Lyrici. 222
Septẽ opera mirabilia. 223
Qui facti ſint ex mortalibus immortales. 224
Qui primi templa deorum conſtituerint. 225
Quæ mortales cum Ioue concubuerint. 226
Quæ cum Apolline. 227
Quæ cum Neptuno. 228
Quæ cum Mercurio. 229
Quæ cum Libero. 230
Quæ cum Marte. 231
Quæ cum Aquilone. 232
Quæ immortales cum immortalibus concubuerint. 233
Qui patres ſuos occiderunt. 234
Qui matres ſuas occiderunt. 235
Qui fratres ſuos occiderunt. 236
Patres qui filios ſuos occiderunt. 237
Qui filias ſuas occiderunt. 238
Matres quæ filios interfecerunt. 239
Quæ coniuges ſuos occiderunt. 240
Qui coniuges ſuas occiderunt. 241
Qui ſe ipſi interfecerunt. 242
Quæ ſe ipſæ interfecerunt. 243
Qui cognatos ſuos occiderunt. 244
Qui ſoceros & generos occiderunt. 245
Qui filios in epulis conſumpſerunt. 246
Qui à canib. conſumpti ſunt. 247
Qui ab apro percuſſi, interierunt. 248
Faces

Faces ſceleratæ. 249
Quadrigæ quæ rectores ſuos perdiderunt. 250
Qui ab inferis redierũt. 251
Qui lacte ferino nutriti ſunt. 252
Quæ contra fas concubuerunt. 253
Quæ piæ fuerunt, vel qui pij. 254
Quæ impiæ fuerunt. 255
Quæ caſtiſſimæ fuerũt. 256
Qui inter ſe amici & coniunctiſſimi fuerunt. 257
Atreus & Thyeſtes. 258
Lynceus. 259
Eryx. 260
Agamemnon, qui Dianæ ceruam ignarus occidit. 261
Noctua. 262
Ceres. 263
Qui fulmine icti ſunt. 264
Qui à Neptuno perierunt, vel à Mercurio, vel à Minerua. 265
Qui ab Apolline perierẽt. 266
Quæ bellicoſiſſimæ fuerunt. 267
Qui fortiſſimi Heroes fuerunt. 268
Qui ampliſſimi fuerunt. 269
Qui formoſiſſimi fuerunt. 270
Qui ephebi formoſiſſimi fuerunt. 271
Iudicia parricidarum, qui in Areopago cauſam dixerunt. 272
Qui primi ludos fecerunt, vſque ad Æneam quintum decimum. 273
Qui quid inuenerint. 274
Oppida qui quæ condiderunt. 275
Inſulæ maximæ. 276
Rerum inuentores primi. 277

FINIS.

## *Extraict du Priuilege du Roy.*

PAR grace & Priuilege du Roy il eſt permis à Iean Degabiano & Samuel Girard Marchands Libraires demeurants à Lyon, d'Imprimer ou faire Imprimer, vendre & diſtribuer en tel lieu & ville, que bon leur ſemblera, vn liure intitulé, *C. Iulij Hygini fabularum liber, hac in vltima editione auctior factus, &c.* Et defences ſont faictes à tous Libraires & Imprimeurs d'Imprimer, vendre, ni diſtribuer, autres liures que ceux deſdits Degabiano & Girard, pendant le temps de dix ans, à compter du iour qu'il ſera acheué d'Imprimer, ſur peine de mille liures pour chaſcun liure ou exemplaire ſans aucune diminution, & de punition corporelle, & amande, moitié au Roy, & l'autre moitié auſdits Degabiano & Girard, & de tous deſpens, dommages & intereſts, comme plus amplement eſt declaré aux lettres pour ce expediees. A Paris le 29. Iuillet 1607. Signees

HENRY:

Et plus bas

Par le Roy,

FORGET,

Et ſeellees du grand Seel en cire iaune.

## *Extraict des Regiſtres du Parlement.*

VEV par la Cour les lettres patentes du 19. Iuillet dernier, ſignees HENRI, & par le Roy, Forget, & ſeelees du grand Seel, par leſquelles pour les cauſes y contenues, eſt permis à Iean de Gabiano & Samuel Girard Marchands Libraires à Lyon, d'Imprimer ou faire Imprimer, vendre & debiter le liure intitulé *C. Iulij Hygini fabularum liber, &c.* Sans qu'autres puiſſent ce faire, ſans leur congé & permiſſion, pendant dix ans, ſur la peine & ainſi qu'au long contiennent leſdictes lettres, Requeſte par eux preſentee à ladicte Cour, afin d'enterinement d'icelles, concluſions du Procureur du Roy. Tout conſideré ladicte Cour enterinant leſdictes lettres, ordonne que les impetrants iouyront du contenu en icelles, ſelon leur forme & teneur. Faict en Parlemen le 21. Aouſt 1607.

Signé VOYSIN.

# C. IVLLII HYGINI AVGVSTI LIBERTI FABVLARVM LIBER.

EX CALIGINE, CHAOS.
Ex Chao & Caligine, Nox, Dies, Erebus, Æther.
Ex Nocte & Erebo fatum, ſenectus, mors, lethum, continentia, ſomnus, ſomnia: id eſt, Lyſimeles, Epiphron, Dumiles, *Porphyrion, Epaphus, diſcordia, miſeria, petulantia, Nemeſis, Euphroſyne, amicitia, miſericordia, Styx, Parcæ tres: id eſt, Clotho, Lacheſis, Atropos: Heſperides, Ægle, * Heſperie, Aërica.

*Ouidius; Morphea, Icelon, & Phantoſum appellat. Hæ, Heſpertuſa & Aretuſa ab aliis dicūtur. † Egeſtas, polus.*

Ex æthere & Die terra, cœlum, mare.
Ex æthere & terra, dolor, dolus, ira, luctus, mendacium, iuſiurandum, vltio, intemperátia, altercatio, obliuio, ſocordia, timor, ſuperbia † ingeſtū, pugna, occeanus, Themis, tartarus, pontus & Titanes, Briareus, Gyges, Steropes, Atlas, Hyperion, & *Ptolûs, † Saturnus, Ops, Moneta, Dione, Furiæ tres, id eſt, Alecto, Megera, Tiſiphone.

*Cæus *Ophion fortaſſis, de quo Orph. apud Apollonium lib. 1.*

Ex terra & tartaro, Gigantes, Enceladus, † Coemſe, Lenteſmophius, Aſtręus, Pelorus, Pallas. † Emphitus, Phorcus, Ienios agrus *Alemone *Ephialtes † Erylus, Effra *Corydō, *Pheomis, Theodamas, Othus, Typhō, Polibœtes, Menephiarus, *Abſe⁹ *Colophomus, Iapetus.

*† Eriolas. Memphis; Apis fortaſſe.*

Ex ponto & mari piſcium genera, Oceanitides, Heſtyæa, Meliæ, Ianthe, Admeto, Siluo, *Paſiphe, Polyxo: Erynome, Euagoreus, Rhodope, Lyriſcitia, †Teſchinoeno, Clitemniſte, * Piecus, Menippe, Argia. Eiuſdem ſeminis flumina, Strymon, Nilus, Euphrates, Tanias, Indus, Cephiſus, †Iſmarus, Axenus, Achelous, Simois, Inachus, Alpheus, Thermodoon, Scamandrus, Tigris, Meandrus, Orontes.

*Iſmenus.*

Ex ponto & terra Thoumas *Tuſciuerſus, Cepheus.

Ex Nereo & Doride Nereides quinquaginta, Glauce, Thalia, Cymodoce, Neſæa, Spio, Thoe, Cymothoea Actea, Lymnoria, Melite, Iæra, Amphithoe, Agaue, Doto, Protho, Pheruſa, Dynomene, Dexamene, Amphinome, Callianaſſa, Doris, Pœnope, Galathea, Nimertis, Apſeudes, Clymene, Ianira, Panopæa, Ianaſſa, Mæra, Orythya, Æmathia, Drimo, Xantho, Ligea, Phyllodoce, Cydippe, Lycorias, Cleio, Beroe, Ephyre, Opis, Aſia, Deiopea, Arethuſa, Clymene, Crenis, Eurydice, Leucothoe.

Ex Phorco & †Tetoa, Phorcides, *Pamphede, Enyo, Cherſis. Pro hac vltima, Dino alij ponunt.

Ex Gorgone, & Ceto, Sthenyo, Euryale, Meduſa.

Ex Polo & Phœbe: Latona, Aſterie, *Aphirape, Perſeis, Pallas.

Ex Iapeto & Clymene, Atlas, Epimetheus, Prometheus.

Ex Hyperione & Æthra, Sol, Luna, Aurora.

Ex Saturno & Ope, Veſta, Ceres, Iuno, Iupiter, Pluto, Neptunus.

Ex Saturno & Philyra, Chiron, Dolops.

Ex Aſtreo & Aurora, Zephyrus, Boreas, Notus, Fauonius.

Ex Atlante, & Pleione, Maia, Calypſo, Alcyone, Merope, Electra, Celæno.

Ex Pallante gigante & Styge, Scylla, vis, inuidia, poteſtas victoria, fontes, lacus.

Ex Neptuno & *Amphitrione, Triton.

Ex Dione & Ioue, Venus.

Ex Ioue & Iunone, Mars.

Ex Iouis capite, Minerua.

Ex Iunone ſine patre, Vulcanus.

*Cete fortaſſe: ſic enim Heſiodus habet.*

*Memphale*

*Hæc tota pagina in vet. exēplari ita vetuſtate obliterata & corrupta erat vt præter veſtigia literarum, propemodum nihil deprehendi à certò poſſet.*

*Amphitrite.*

Ex Ioue & Eurynome, Gratiæ.
Ex Ioue rurſus & Iunone, Iuuentus, Libertas.
Ex Ioue & Themide, Horæ.
Ex Ioue & Cerere Proſerpina.
Ex Ioue & Moneta, Muſæ.
Ex Ioue & Luna, Pandion.
Ex Venere & Marte Harmonia & formido.
c Ex Acheloo & Melpomene, Sirenes, *Teles, Raidne, Molphetes, *Tione. ſ
Ex Ioue & Climene, Mnemoſyne.
Ex Ioue & Maia, Mercurius.
Ex Ioue & Latona, Apollo & Diana.
Ex * & terra Python draco diuinus.
d Ex Thaumante & *Iris, Harpyiæ, Cæleno, Ocypete, Podarce.
Ex Sole & Perſa Circe, Paſiphae, Æeta, Perſes.
Ex Æeta & Clytia, * Medea. *Idyá.*
Ex Sole & Clymene, Phaethon & Phaethontides, * Merore, Helie, Etherie, Dioxippe.
Ex Typhone & Echidna, Gorgon, Cerberus, Draco, qui pellem auream arietis Colchis ſeruabat: Scylla, quæ ſuperiorem partem fœminæ, inferiorem canis habuit, quam Hercules interemit: Chimæra, Sphinx, qui fuit in Bœotia: Hydra ſerpens qui nouem capita habuit, quam Hercules interemit: & draco Heſperidum.
Ex Neptuno & Meduſa Chryſaor, & equus Pegaſus.
Ex Chryſaore & Callirhoe, Gerion trimembris.

*a Ex Iliados 6. & Vergilij quinto, nomina, ex Heſiodo autem numerum tranſtulit. Panopæam verò & Clymenten repetit, numerum explendi gratia. Nam apud Heſiodum quinquaginta, ſed tamen aliis nominibus recenſentur.*
*b In vetuſto exemplari legebatur, ex Pallante gigante. Scylla, Stygia vis: quæ verba ex Heſiodo nos tranſpoſuimus.*
*c Commentarius in Odyſſeæ μ. Telxiepam, Agloaphemen, Piſinonen, & Lygiam vocat, quatuórque eas facit.*
*d Electra fortaſſis adendum: ſic enim Heſiodus habet.*

## FABVLA PRIMA.

### *Themiſto.*

ATHAMAS Æoli filius, habuit ex Nebula vxore filium Phrixum, & filiam Hellen: & ex Themiſto Hypſei filia, filios duos, Sphincium & Orchomenum. Et ex Ino Cadmi filia, filios duos, Learchum & Melicertem. Themiſto, quòd ſe Ino coniugio priuaſſet, filios eius interficere voluit. Itaque in regia latuit clàm & occaſione † nacta, cùm putaret ſe inimicæ natos interfeciſſe, ſuos imprudens occidit, à nutrice decepta, quòd eis veſtem perperam iniecerat. Themiſto cognita re, ipſa ſe interfecit.

*Inuenta.*

### *II. Ino.*

INo Cadmi & Harmoniæ filia, cum Phrixum & Hellen ex Nebula natos interficere voluiſſet, inijt conſilium cum totius generis matronis, & coniurauit, vt fruges in ſementem quas daret, torrerent, ne naſcerentur. Ita vt cum ſterilitas & penuria frugum eſſet, ciuitas tota partim fame, partim morbo interiret. De ea re Delphos mittit Athamas ſatellitem. Cui Ino præcepit, vt falſum reſponſum ita referret: Si Phrixum immolaſſet Ioui, peſtilentiæ fore finem. Quod cum Athamas ſe facturum abnuiſſet, Phrixus vltro ac libens pollicetur ſe vnum ciuitatem ærumna liberaturum. Itaque cum ad aram cum infulis eſſet adductus & pater Iouem comprecari vellet, ſatelles miſericordia adoleſcentis, Inûs Athamanti conſilium patefecit. Rex facinore cognito, vxorem ſuam Ino, & filium eius Melicertē Phrixo dedidit necandos. Quos cum ad ſupplicium duceret, Liber pater ei caliginem iniecit, & Ino ſuam nutricem eripuit. Athamas poſtea ab Ioue inſania obiecta, Learchum filium interfecit. At Ino cum Melicerte filio ſuo in mare ſe præcipitauit. Quam Liber Leucotheam voluit appellari: nos matrem Matutam dicimus: Melicerten autem Deum Palæmonem, quem nos Portunum dicimus. Huic quinto quôque anno ludi gymnici fiunt, qui appellantur ἰσθμία.

### *III. Phrixus.*

PHrixus & Helle, inſania à Libero obiecta, cum in ſylua errarent, Nebula mater eò dicitur veniſſe, & arietem inauratum adduxiſſe Neptuni & Theophanes filium, eúmque natos ſuos aſcendere iuſſit, & Colchos ad regem Æetam Solis filium tranſire, ibíque arietem Marti immolare. Ita dicitur eſſe factum.* Quò cum aſcendiſſent, & aries eos in pelagus detuliſſet, Helle de ariete decidit, ex quo Helleſpontum pelagus eſt appellatum. Phrixum autem Colchos detulit. Ibi matris præceptis arietem immolauit, pellémque eius inauratam in templo Mari; poſuit. Quam ſeruante dracone Iaſon Æſonis & Alcimedes filius dicitur petiſſe. Phrixum autem Æeta libens recepit, filiámque † Calliopen dedit ei vxorem. Quæ poſtea liberos ex eo procreauit. Sed veritus eſt Æetã, ne ſe regno eiicerent: quod ei reponſum fuit ex prodigiis, Ab aduena Æoli filio mortem caueret. Itaque Phrixum interfecit. At filij eius, Argus, Phrontis, Melas, †Cylindrus, in ratem conſcenderunt, vt ad auum Athamantem tranſirent. Hos Iaſon cum pellem peteret, naufragos ex inſula Dia ſuſtulit, & ad † Calliopen matrem reportauit. Cuius beneficio ad ſororem Medeam eſt commendatus.

*Chalciopen: ita enim ferè omnes ſororem Medea nominant.*

*Chorus alij*

*Chalciopen*

### IIII. *Ino Euripidis.*

ATHamas in Theſſalia rex cùm Inonem vxorem, ex qua duos filios peperiſſe putaret, duxit nymphæ filiam Themiſtonem vxorem, ex ea geminos filios procreauit. Poſtea reſciit Inonem in Parnaſo eſſe, †quæ bacchationis cauſa eò perueniſſe. Miſit qui eam adducerent. Quam adductam celauit. Reſciit Themiſto eam inuentam eſſe, ſed quæ eſſet, neſciebat. Cœpit velle filios eius necare. Rei conſciam, quam captiuam eſſe credebat, ipſam Inonem ſumpſit, & ei dixit, vt filios ſuos candidis veſtimentis operiret, Inonis filios nigris. Ino ſuos candidis, Themiſtonis pullis oppoſuit. Tũc Themiſto decepta, ſuos filios occidit. Id vbi reſciit, ipſa ſe necauit. Athamas autem in venatione per inſaniam Learchum maiorem filium ſuum interfecit. At Ino cum minore filio Melicerte in mare ſe deiecit, & dea eſt facta.

*atque.*

### V. *Athamas.*

SEmele, quòd cum Ioue concubuerat, ob id Iuno toti generi eius fuit infeſta. Itaque Athamas, Æoli filius, per inſaniam in venatione filiũ ſuũ interfecit ſagittis.

### VI. *Cadmus.*

*Argyopes, ita à Pherecyde dicitur.*

CAdmus Agenoris & † Agriſopes filius, ita Martis, quòd draconem fontis Caſtalij cuſtodem occiderat, ſuorum prole interempta, cum Harmonia Veneris & Martis filia vxore ſua in Illyriæ regionibus, in dracones ſunt conuerſi.

### VII. *Antiopa.*

*Epopeo, vt in Corinth. Pauſ.*

ANtiopa Nyctei filia, ab † Epapho per dolum eſt ſtuprata. Itaque à Lyco viro ſuo eiecta eſt. Hanc viduam Iupiter compreſſit. At Lycus Dyrcen in matrimonium duxit, cui ſuſpicio incidit, virum ſuum clàm cum Antiopa concubuiſſe. Itaque imperauit famulis, vt eam in tenebris vinctam clauderent. Cui poſtquam partus inſtabat, effugit ex vinculis Iouis voluntate, in montem Cytheronem. Cúmque partus premeret, & quæreret, vbi pareret, dolor eam in ipſo biuio coegit partum edere. *Quos paſtores pro ſuis educarunt, & appellarũt Zeton, ἀπὸ τοῦ ζητεῖν τόπον. Alterum autem Amphionem, ὅτι ἐν διόδῳ, ἢ ὅτι ἀμφὶ ὁδὸν αὐτὸν ἔτεκεν, id eſt, quoniam in biuio eum edidit. Qui poſtquam matrem agnouerunt, Dircen ad taurum indomitum deligatam vita priuarunt. Ex cuius corpore in monte Cytherone fons eſt natus, qui Dirceus eſt appellatus, beneficio Liberi, quòd eius baccha fuerit.

*Videtur deeſſe, peperit que gemellos, aut ſimile.*

### VIII. *Eadem Euripidis, quam ſcribit Ennius.*

NYctei regis in Bœotia fuit filia Antiopa. Eius formæ bonitate Iupiter adductus, grauidam fecit. Quam pater cum punire vellet propter ſtuprum, minitans periculum, Antiopa effugit. Caſu in eodem loco, quò illa peruenerat, † Epaphus Sicyonius ſtabat. Is mulierem aduectam domo, matrimonio ſuo iunxit. Id Nyctæus ægrè ferens, cum moreretur, Lyco fratri ſuo per obteſtationem mandat, cui tum regnum relinquebat, ne impune Antiopa ferret. Huius poſt mortem Lycus Sicyonem venit, interfecto Epapho, Antiopam vinctam adduxit in * Cytheronem: parit geminos,

*Epopeus.*

& reliquit. Quos paſtor educauit, Zetum & Amphionem nominauit. Antiopa Dirce vxori Lyci data erat in cruciatum, ea occaſione nacta, fugę ſe mandauit. Deuenit ad filios ſuos. Ex quibus Zetus exiſtimans fugitiuam, non recipit. In eundem locum Dirce per bacchationem Liberi illuc delata eſt: ibi Antiopam repertam, ad mortem extrahebat. Sed ab educatore paſtore adoleſcẽtes certiores facti, eam eſſe matrem ſuam, celeriter conſecuti matrem, eripuerunt. Dircen ad taurum crinibus religatam, necant. Lycum cum occidere vellent, vetuit eos Mercurius, & ſimul iuſſit Lycum concedere regnum Amphioni.

## *IX. Niobe.*

AMphion & Zetus Iouis & Antiopes Nyctei filij, iuſſu Apollinis Thebas muro circum cinxerunt vſque ad* Semeduſtum, Laiúmque Labdaci regis filium in exilium eiecerunt. Ipſi regnum obtinere cœperunt. Amphion in coniugium Niobam Tantali & Dionei filiam accepit. Ex qua procreauit liberos ſeptem, totidémque filias. Quem partum Niobe Latonæ antepoſuit, ſuperbiúſque locuta eſt in Apollinem & Dianam: quòd illa cincta viri cultu eſſet, & Apollo veſtem deorſum*, atque crinitus, & ſe numero filiorum Latonam ſuperare. Ob id Apollo filios eius in ſylua venantes, ſagittis interfecit in monte Sipylo. Et Diana filias in regia ſagittis interemit, præter Cloridem. At genetrix liberis orba, flendo lapidea facta eſſe dicitur in monte Sipylo. Eiúſque hodie lachrymæ manere dicuntur. Amphion autem cum templum Apollinis expugnare vellet, ab Apolline ſagittis eſt interfectus.

*inædificatũ fortaſſe.*

*Videtur deeſſe, haberet, aut ſimile verbum.*

## *X. Chloris.*

CHloris in vrbe Seti Amphionis filia, quæ ex ſeptem ſuperauerat. Hanc habuit in coniugem Neleus* Hippocoontis filius. Ex qua procreauit liberos, maſculos duodecim. Hercules cum Pylum expugnaret, Neleum interfecit, & filios eius decem. vndecimus autem Periclymenes, beneficio Neptuni aui in aquilæ effigiem commutatus, mortem effugit. Nam duodecimus Neſtor in Ilio erat, qui tria ſecula vixiſſe dicitur beneficio Apollinis. Nan quos annos* Chlo-

*Homerus tamen non huius, ſed alterius Amphionis qui fuit Iaſij filiam videtur facere, Odyſ. λ.*

ris & fratrum, Apollo eripuerat, Neſtori conceſſit.

### XI. Niobide.

LErta, Tantalus, Iſmenus, Eupinus, Phædimus, Sipulus, Chiade, Chloris, Aſtygratia, Siboe, Sictothius, Eudoxa, Archenor, Ogigia. Hi ſunt filii & filiæ Niobæ vxoris Amphionis.

*Non modò corrupta hæc ſed etiam trăſpoſita nomina videntur ſic enim ab aliis recenſentur: filiorum ſcilicet, Archemorus, Tantalus, Iſmenius, Epinicus, Phædimus, Sipylus, & Damaſichton: filiarum autem, Chloris. Aſtycratia, Pelopia, Neæra, Cleodoxe, Ogygia, & Clytia. Et erant quoque in vetuſto exemplari eraſæ quædam teræ, & pro ijs alia ab indocto, vt apparet, quopiam repoſita.*

### XII. Pelias.

PEliæ Cretei, & Tyrus filio reſpõſum erat, vt Neptuno ſacrum faceret. Et ſi quis monocrepis, id eſt, vno pede calciatus ſuperueniſſet, tum mortem eius appropinquare. Is cùm annua ſacra faceret Neptuno, Iaſon Æſonis filius, fratris Peliæ, cupidus ſacra faciendi, dum flumen Euhenum tranſiret, calciamentum reliquit: quod vt celeriter ad ſacra veniret, neglexit. Id Pelias inſpiciens, memor ſortium præcepti iuſſit eum pellem arietis, quam Phryxus Marti ſacrauerat, inauratam Colchis ab rege Æeta hoſte petere. Qui conuocatis Græciæ ducibus, Colchos eſt profectus.

### XIII. Iuno.

*Apollonius Anaurũ vocat eum fluuium.*

IVno cum ad flumen † Euhenum in anum ſe conuertiſſet, & ſtaret ad hominum mentes tentandas, vt ſe flumen Euhenum transferrent. Et id nemo vellet, Iaſon Æſonis & Alcimedes filius eam tranſtulit. Ea autem irata Peliæ, quòd ſibi ſacrum intermiſerat facere, effecit vt Iaſon vnam crepidam in limo relinqueret.

### XIIII. Argonautæ conuocati.

*Pymplæa fortaſſe: ſic Apollon.*

*Cometæ alij vt Apoll. & Orph.*

IAſon Æſonis filius & Alcimedes Climeni filiæ, & Theſſalorum dux, Orpheus Oeagri & Calliopes Muſæ filius, Thrax, vrbe * Fleuia, quæ eſt in Olympo monte, ad flumen Enipeum, Martis cithariſta. Aſterion † Pyremi filius, matre Antigona Pheretis filia, ex vrbe Peline. Alij aiunt Priſci filium, vrbe Pireſia, quæ eſt in radicibus Phyllæi montis, qui eſt in Theſſalia.

Quo loco duo flumina, Apidanus & Enipeus, ſeparatim proiecta, in vnũ conueniunt, Polyphemus, Elati filius, matre Hippea Antippi filia, Theſſalus, ex vrbe Lariſſa, pedibus tardus. Iphiclus Phylaci filius, matre† Periclymene Minyæ filia, ex Theſſalia, auunculus Iaſonis. Admetus Pheretis filius, matre Periclymene,* Minois filia, ex Theſſalia, monte Calcedonio, vnde oppidum & flumen nomen traxit. Huius Apollinem pecus pauiſſe ferunt. Eurytus & Echion, Mercurij & †Antreatræ Mereti filiæ filius, ex vrbe Alope, quæ nunc vocatur Eheſus. Quidam autores, Theſſalos putant, Ethalides Mercurij & Eupolemiæ Mirmydonis filiæ filius. Hic fuit Lariſſæus, vrbe Gyrtone, quæ eſt in Theſſalia. Hic oſtendit nullo modo Centauros ferro ſe poſſe vulnerare, ſed truncis arborum in cuneum adactis. *Cæneus Elati filius, Magneſius, hunc nonnulli fœminam fuiſſe dicunt. Cui petenti, Neptunum propter connubium optatum dediſſe, vt in iuuenelem ſpeciem conuerſus, nullo ictu interfici poſſet. quod eſt nunquam factum, nec fieri poteſt, vt quiſquam mortalis non poſſet ferro necari, aut ex muliere in virum conuerti. Mopſus Ampyci & Chloridis filius. Hic augurio doctus ab Apolline, ex Oechalia, vel vt quidam putant, *Lyparenſis. Eurydamas Iri & Demonaſſæ filius. Alij aiunt Ctimeni filium, quia iuxta lacum Xynium * Dolopeidem vrbem inhabitabat. Theſeus Ægei & Æthræ Pytthei filiæ filius, à Trœzene: alij aiunt ab Athenis. Pirithous Ixionis filius, frater Centaurorum, Theſſalus. Menœtius Actoris filius.* Amponitus.* Eribotes Teleontis filius. *Ameleon. Eurytion, Iri & Demonaſſæ filius. Ixition ab oppido* Cerintho. Oileus Leodaci & Agrianomes Perſeonis filiæ filius, ex vrbe Naricea. † Alij aiunt ex Eubœa. Clytius, & Iphitus, Euryti & Antiopes Pylonis filiæ filius, reges Oechaliæ. Hic conceſſa ab Apolline ſagittarum ſcientia, cum autore muneris contendiſſe dicitur. Huius filius * Clytius ab Æeta interfectus eſt. Peleus & Telamon Æaci & Pæneidos * Ceptionis filiæ filij, ab Ægina inſula. Qui ob cædem Phoci fratris, relictis ſedibus ſuis, diuerſas petierunt domos:

*Clymene*

*Ita quidem vetuſtũ exẽplar habet, ſed arbitror ſubdititium pro Minyæ eſſe, & à proximo repetitum.*

*Laothoes. ſic enim Orpheus.*

*a*

*Titareſius, ſic enim Apollõ. Apud Apoll. Dolopeis gẽtile eſt, proprium autem Ctimene.*

*Canthus, vt Apollonius.*

*b.*

*Euritus, vide Apollonium li. 1. Flaccus nõ Clytium, ſed Iphitum in Colchis periiſſe tradit.*

*Endeidos, Chironis alij.*

*Apoll. Areſtoris filium facit. Alijs autê Phlias dicitur ex matre Cheonophyle.*

Peleus Phthiam, Telamon Salaminam, quam Apollonius Rhodius * Atthida vocat. Butes Teleontis & Zeuxipes Eridani fluminis filiæ filius, ab Athenis. Phaleros Alcontis filius ab Athenis. Typhis Phorbantis & Hymanes filius, Boetius, is fuit gubernator nauis Argo. Argus Polybi & Argiæ filius, alij aiunt Danai filium: hic fuit Argiuus pelle taurina lanugine adopertus. is fuit fabricator nauis Argo. Phliaſus Liberi patris, & Ariadnes Minois filiæ filius, ex vrbe Phliunte, quæ eſt in Peloponneſo, alij aiunt Thebanum. Hercules Iouis & Alcmenæ Electryonis filiæ filius, Thebanus. Hylas Theodomantis & Menodices nymphæ, Oreonis filiæ filius, ephebus, ex Oechalia: alij aiunt ex Argis comitem Herculis. Nauplius Neptuni & Amymones Danai filiæ filius, Argiuus. Idmon Apollinis & † Cyrenes nymphæ filius, quidam Abantis dicunt, Argiuus.

*Aſterius Pherecides habet.*

Hic augurio prudens, quamuis prædicentibus auribus, mortem ſibi denunciari intellexit, fatali tamen militiæ non defuit. Caſtor & Pollux Iouis & Ledæ Theſtij filiæ filius Lacedæmonij, alij Spartanos dicunt, vterque imberbis. His eodem quoque tempore ſtellæ in capitibus vt viderentur, acceſſiſſe ſcribitur. Lynceus & Idas Apharei & Arenæ Bibali filiæ filij, Meſſenij ex Peloponneſo. Ex his Lynceus ſub terra quæque latentia vidiſſe dicitur, neque vlla caligine inhibebatur. alij aiunt Lynceum noctu nullum vidiſſe. Idem ſub terra ſolitus cernere dictus eſt ideo, quòd aurifodinas norat: is cum deſcendebat, & aurum ſubito oſtendebat, ita rumor ſublatus, eum ſub terra ſolitum videre. Item Idas acer, ferox. Periclymenus Nylei & Chloridis Amphionis & Niobes filiæ filius: hic fuit Pylius. Amphidamus & Cepheus † Egei & Cleobules filij de Arcadia. Ancæus Lycurgi filius, alij nepotem dicunt, Tegeates. Augeas Solis & Naupidames Amphidamantis filiæ filius. hic fuit * electus. Aſterion & Amphion † Ypetacli filij, alij aiunt Hipaſi, ex * Pellene. Euphemus Neptuni & Europes † Tityi filiæ filius, Tænarius. Hic ſuper aquas ſicco pede cucurriſſe dicitur. Ancæus alter Neptuni filius, matre Alta Ca-

*† Alei habet Apoll. *Eleus matrem autem alij Hyrminen vocant. Apoll. autẽ Polyphemũ vocat. Hyperaſij Ap.*

theſti filia, ab Imbraſo inſula, quæ Parthenia appellata eſt, nunc autem Samos dicitur Erginus Neptuni filius, à Mileto: quidam Periclymeni dicunt, Orchomenius. Meleager Oenei & Altheæ Theſtij filiæ filius, quidam Martis putant, Calydonius. Laocoon Porthaonis filius, Oenei frater, Calydonius. Iphiclus alter Theſtij filius, matre Leucippe, Altheæ frater, ex eadem matre, Lacedæmonius. Hic fuit Arcas † curſor, iaculator. Iphitus Nauboli filius, Phocenſis: alij Hippaſi filium, ex Peloponneſo fuiſſe dicunt. Zetes & Calais Aquilonis venti & Orithyiæ Erichthei filiæ filij. Hi capita pedéſque pennatos habuiſſe feruntur, crinéſque cærulæos, qui peruio aere vſi ſunt. Hi aues Harpyias tres Thaumantis & † Ozomenes filias, Alopien Acholoen, * Ocypeten fugauerunt, à Phineo Argenoris filio, eodem tempore quo Iaſoni comites ad Colchos proficiſcebantur. Quæ inhabitabant inſulas Strophadas in Ægeo mari, quæ Plotæ appellantur. Hæ fuiſſe dicuntur capitibus gallinaceis, pennatæ, aláſque & brachia humana, vnguibus magnis pedibúſque gallinaceis, pectus album, fæmináque humana. Hi autem Zethes & Calais ab Hercule telis occiſi ſunt. Quorum in tumulis ſuperpoſiti lapides flatibus paternis mouentur. Hi autem ex Thracia eſſe dicuntur. † Foccus & Priaſus Cænei ex Magneſia Eurymedon Liberi patris & Ariadnes Minois filiæ filius à Phliunte. Palæmonius Lerni filius, Calydonius. Actor Hippaſi filius ex Peloponneſo. Terſanon * Solis & Leucothoes filius ex Andro. Hippalcimos * Pelopis & Hippodamiæ Oenomai filiæ filius, ex Peloponneſo à Piſis. Aſclepius Apollinis & Coronidis filius. Atriacha * Theſtij filia, Argiuus. Mileus Hippocoontis filius, Pylius. Iolaus Iphicli filius, Argiuus. Deucalion Minois & Paſiphaes Solis filiæ filius ex Creta. Philoctetes Pœantis filius, à Mœlibœa. Ceneus alter Coronis filius, Coryna. Acaſtus Peliæ & Anaxabiæ Dymantis filiæ filius, ex Iolcho, cuplici pallio coopertus. Hic voluntarius Argonautis acceſſit, ſponte ſua comes Iaſonis. Hi autem omnes Miniæ ſunt appellati, vel quòd plurimos eorum filiæ Minyæ pepererunt, vel quòd Iaſonis mater Clymeni † & Minyæ filia erat. Sed ne-

*Credo legendum, iartiſioſus, aut ſimile quiddam.*

*Electra Heſiod. Celeno Apol.*

*Phocus.*

*Alcimede, Clymenes quæ fuit, Minyæ filia erat. Apoll.*

que Colchos omnes peruenerunt, neque in patriam regreſſum habuerunt. Hylas enim in Mœſia, à Nymphis iuxta Cion, flumenque Aſcanium raptus eſt, quem dum Hercules & Polyphemus requirunt, vento rapta naui deſerti ſunt. Polyphemus ab Hercule quoque relictus condita in Mœſia ciuitate, perit apud Chalybas. Tiphys autem morbo abſumptus eſt, in Mariandinis in Propontide, apud Lycum regem, pro quo nauem rexit Colchos. Ancæus, Neptuni filius. Idmon autem Apollinis filius ibi apud Lycum cum ſtramentatum exiſſet, ab apro percuſſus decidit. vltor Idmonis fuit Idas Apharei filius, qui aprum occidit. Butes Teleontis filius, quamuis cantibus & cithara Orpheia * vocabatur, victus tamen eſt dulcedine Sirenum, & nataturus ad eas in mare ſe præcipitauit. Eum Venus delatum fluctibus †Lilybæo ſeruauit. Hi ſunt qui non peruenerunt Colchos. In reuerſione autem perierunt Euribates Teleontis filius, & †Cantus Ceriontis filius interfecti ſunt, in Lybia à paſtore Cephalione Naſamonis fratre, filio Tritonidis nymphæ & Amphitemidis, cuius * fuſte pecus depopulabantur. Mopſus autem Amyci filius ab ſerpẽtis morſu in Africa obiit. Is autem in itinere acceſſerat comes Argonautis, Amyco patre occiſo. Item acceſſerunt ex inſula Dia Phrixi & Calciopes Medæ ſororis filij, Argus, Melas, Phrontides, † Cylindrus, vt alij aiunt vocitatos, Phronius, Demoleon, Autolycus, Phlogius. Quos Hercules cum eduxiſſet habiturus comites, dum Amazonum balteum petit, reliquit terrore perculſos, †à Daſcylo qui regis Manſuaden * filia. Hi autem cum exirent ad Colchos, Herculem ducem facere voluerunt. Ille abnuit, ſed potius Iaſonem fieri oportere, cuius opera exirent omnes: dux ergo Iaſon regnauit. Faber Argus Danay filius, cuius poſt mortem rexit nauem Ancæus Neptuni filius proreta, nauigauit Lynceus Apharei filius, qui multum videbat. Tutarchi autem fuerunt Zetes & Calais Aquilonis filij, qui pennas & in capite & in pedibus habuerunt. Ad proram & remos ſederunt Peleus & Telamon. ad * pitulum ſederunt, Hercules ad Idas. Cæteri ordinem ſeruauerunt. Celeuma dixit Orpheus, Oeagri filius. Poſt, relicto eo ab Hercule, loco

*al. ad Lilybæum.*

*Canethi. n. filium facit Apol. túmque cum Mopſo in Libyam delatum, ibíque periiſſe dicit.*

*Cytorus alij.*

*à Daſcylo regis Mariandyni filio.*

eius ſedit Peleus Æaci filius. Hæc eſt nauis Argo, quam Minerua in ſideralem circulum retulit, ob hoc quòd ab ſe eſſet ędificata. ac primùm in pelagus deducta eſt hæc nauis, in aſtris apparens à gubernaculo ad velum. Cuius ſpeciem ac formam Cicer. in Phæn. exponit his verſibus:

*At canis ad caudam ſerpens prælabitur Argo,*
*Conuerſam præ ſe portans cum lumine puppim*
*Non aliæ naues vt in alto ponere proras*
*Ante ſolent roſtris Neptunia prata ſecantes.*
*Sicut cum cœpiant tutos contingere portus,*
*Obuertunt nauem magno cum pondere nautæ,*
*Aduerſámque trahunt optata ad littora puppim:*
*Sic conuerſa vetus ſuper æthera labitur Argo.*
*Inde gubernaclum tendens † à puppe † volante*
*Clari poſteriora canis veſtigia † tangit.*

*Diuerſo lumine fulgens al. condit.*

Hæc nauis habet ſtellas in puppe quatuor, in gubernaculo dextro quinque, in ſiniſtro quatuor, conſimiles inter ſeſe omnino tredecim.

*a Videntur hæc corruptè legi, & ad ſequentem poti' Caneum referri debere. Sic enim Apollon. ex quo huc multa ad verbũ etiam trãſlata reperias,* καινέα γδ ζώόν περ ἔτι κλείουσιν ἀοιδοὶ κενταύροισιν ὀλέσθαι, ὅτε σφεας οἶον ἀπ' ἄλλων ἤλας ἀριστήων, οἱδ' ἔμπαλιν ὁρμηθέντες, οὔτε μιν ἐγκλῖναι προτέρω σθένον, οὔτε δαΐξαι. ἀλλ' ἄρρηκτος, ἀκαμπτος ἐλύσετο νειόθι γαίης θεινόμενος στιβαρῇσι καταίγδην ἐλάτῃσι: *& de eodem in commentario ferè eadem verba ſequuntur, quæ hic de Neptuno & munere eius citantur, Quanquam Apollon. non ipſum Canea, ſed Canei filium Coronum cum Argonautis profectum dicit. b Apollonius non hunc, ſed Canthum ex Eubœa veniſſe ait. videtur ergo tranſpoſita clauſula hæc eſſe à librario. c Comment. Apollonij Aſtyphalea Phœnicis filia. Cæterum Apollonius non vocat Imbraſiam inſulam proprio nomine, ſed epitheto, ab Imbraſo fluuio, qui poſtea Parthenius dictus eſt (vt Comment. ibidem ait) eo quòd iuxta eum Iuno cùm virgo etiam eſſet, nutrita fuerit. Hæc enim verba ſunt:* ὅς ἰμβρασίης, ἕδος ἥρης, παρθενίης ἀγκαῖος.

## XV. *Lemniada.*

IN inſula Lemno mulieres Veneri ſacra aliquot annos non fecerant, cuius iram viri eorum Theſſas vxo-

res duxerunt,& priores ſpreuerunt. At Lemniades eiuſdem Veneris impulſu coniuratæ, genus virorum omne quod ibi erat interfecerunt,præter Hypſipylen,quæ patrem ſuum Thoantem clam in nauem impoſuit. quem tempeſtas in inſulam† Tauricam detulit.interim Argonautæ prænauigantes, Lemno acceſſerunt. Quos vt vidit Iphinoe,cuſtos portæ, nunciauit Hypſipylæ reginæ, cui Polixo ætate conſtituta dedit conſilium,vt eas laribus hoſpitalibus obligaret,hoſpitióque inuitaret. Hypſypyle ex Iaſone procreauit filios Eunæum & †Deiphilum.Ibi cum plures dies retenti eſſent, ab Hercule obiurgati diſceſſerũt.Lemniades autem poſtquam ſcierunt Hypſipylen patrem ſuũ ſeruaſſe,conatę ſunt eam interficere.illa fugæ ſe mandauit. Hanc prædones exceptam Thebas deportarunt,& regi † Lyco in ſeruitium vendiderunt. Lemniades autem quæcunque ex Argonautis conceperunt,eorum nomina filiis ſuis impoſuerunt.

*Oenœam Apollon. habet*

*Thoantem. Statius.*

*Lycurgo alij*

### *XVI. Cyzicus.*

CYzicus † Euſori filius rex in inſula Propontidis Argonautas hoſpitio liberali excepit.Qui cum ab eo diſceſſiſſent,totúmque diem nauigaſſent, nocte tempeſtate orta ad eandem inſulam ignari delati ſunt.Quos Cyzicus hoſtes Pelaſgicos arbitrans eſſe,cum eis noctu in littore arma contulit, & ab Iaſone eſt interfectus. Quod poſtero die cum prope littus appropinquaſſet,& vidiſſet ſe regem interfeciſſe,ſepulturæ eum tradidit,atque filiis regnum tradidit.

*Apoll. Aenei filium facit Euſori autem ex filia nepotem*

### *XVII. Amycus.*

AMycus Neptuni & Melies filius, Bebriciæ rex. In huius regna qui venerat,cæſtis cogebat ſecum cõtendere, & deuictos perdebat. Hic cum Argonautas prouocaſſet ad cæſtus,Pollux cum eo contendit & eum interfecit.

### *XVIII. Lycus.*

LYcus rex inſulæ Propontidis, Argonautas recepit hoſpitio,in honorem, eò quòd Amycum interfecerant, quod eum ſæpe*inficiaretur. Argonautæ dum apud Lycum morantur,& extra*venatum exiſſent, Idmon ab apro percuſſus interiit.In cuius dum diutius ſepultura morantur,Iphis Phorbantis filius moritur.tunc

Argonautæ Ancæo Neptuni filio nauem Argo gubernandam dederunt.

XIX. *Phineus.*

PHineus Agenoris filius Thrax, ex Cleopatra habuit filios duos. Hi à patre nouercæ crimine excæcati ſunt. Huic etiam Phineo Apollo augurium dicitur dediſſe. Hic deorum conſilia cum enuntiaret, ab Ioue eſt excæcatus, & appoſuit ei Harpyias, quæ Iouis canes eſſe dicuntur, quæ eſcam ab ore eius afferrent. Huc cum Argonautæ deueniſſent, & eum iter vt demonſtraret rogarent, dixit ſe demonſtraturum, ſi eum pœna liberarent. Tunc Zetes & Calais, Aquilonis venti & Orithiæ filij, qui pennas in capite & in pedibus habuiſſe dicuntur, *a* Harpyias fugauerunt in inſulas Strophadas, & Phineũ pœna liberarunt. Quibus monſtrauit quomodo Symplegadas tranſirent, vt columbam mitterent: quæ petræ cum concurriſſent, in receſſu earum, illi retrò refugerẽt. Argonautæ beneficio Phinei Symplegadas tranſierunt.

*a Videtur & hic locus corruptus eſſe. tale enim conſilium Phinei fuit, vt columbam emitterent: quæ ſi ſalua per petras tranſiiſſet, ipſi quoque ſequerentur: ſin inter tranſuolandũ periiſſet, retrò fugerent, cederéntque deorum monitis.*

XX. *Stymphalides.*

ARgonautæ cum ad inſulam Diam veniſſent, & aues ex pennis ſuis eos conficerent pro ſagittis: cum multitudini auium reſiſtere non poſſent, ex Phinei monitu clypeos & haſtas ſumpſerunt, éxque more Curetum ſonitu eas fugarunt.

XXI. *Phrixi filij.*

ARgonautæ cum per Cyaneas cautes, quæ dicuntur Petræ Symplegades, intraſſent mare quod dicitur Euxinum, & errarent, voluntate Iunonis delati ſunt ad inſulam Diam. Ibi inuenerunt naufragos nudos atque inopes Phrixi & Calciopes filios, Argum, Phrontiden, Melam, Cylindrum. Qui cum caſus ſuos expoſuiſſent Iaſoni, ſe cũ ad auum feſtinarent Athamãta ire, naufragio facto ibi eſſe eiectos, quos Iaſon receptos auxilio iuuit: qui Iaſonẽ Colchos perduxerunt, per flumen Thermodoontẽ, & cum iam non longè eſſent à Colchis, iuſſerunt nauẽ in occulto collocari, & venerunt ad matrem

Calcyopem Medeæ ſororem,indicántque Iaſonis beneficia,& cur veniſſet. Tunc Calcyope de Medea indicat, perducítque eam cum filiis ſuis ad Iaſonem. Quæ cum eum vidiſſet, agnouit quem in ſomnis adamauerat, Iunonis impulſu, omniáque ei pollicetur, & perducunt eum ad templum.

XXII. *Aeetæ.*

AEetæ Solis filio erat reſponſum, tam diu eum regnum habiturum, quandiu ea pellis quam Phrixus conſecrauerat,id fano Martis eſſet.Itaque Aeeta Iaſoni hanc*ſimultatem conſtituit,ſi vellet pellem auratam auferre,tauros æripedes qui flammas naribus ſpirabant,iungeret adamanteo iugo,&araret,dentéſque draconis ex galea ſereret: ex quib.gens armatorum ſtatim enaſcerentur,& ſe mutuò interficeret,Iuno autem Iaſonem ob id ſemper voluit ſeruatum:quòd cum ad flumẽ veniſſet,volens hominum mentes tentare, anum ſe ſimulauit, & rogauit vt ſe transferret. Cum cæteri qui tranſierant,deſpexiſſent,ille tranſtulit eam:itaque cum ſciret Iaſonem ſine Medeæ conſilio imperata perficere non poſſe,petit à Venere vt Medeæ amorem iniiceret. Iaſon à Medea Veneris impulſu amatus eſt.eius opera ab omni periculo liberatus eſt. Nam cum tauris araſſet & armati eſſent enati,Medeæ monitu lapidem inter eos abiecit:illi inter ſe pugnantes,aliusalium interfecerunt: dracone autem venenis ſopito,pellem de fano ſuſtulit, in patriámque cum Medea eſt profectus.

XXIII. *Abſyrtus.*

AEeta vt reſciit Medeam cum Iaſone profugiſſe,naue comparata miſit Abſyrtum filium cum ſatellitibus armatis ad eam perſequẽdam. Qui cum in Adriatico mari in Hiſtria eam perſecutus eſſet,ad Alcinoum regem,& vellet armis contendere,Alcinous ſe inter eos interpoſuit, ne bellarent: quem iudicem ſumpſerunt, qui eos in poſterum diſtulit. Qui cùm triſtior eſſet,& interrogatus eſſet à coniuge Arete,quæ cauſa eſſet triſtitiæ,dixit,ſe iudicem ſumptum à duabus diuerſis ciuitatibus, inter Colchos & Argiuos. Quem cùm interrogaret Arete,quídnam eſſet iudicaturus:reſpondit Alcinous, Si virgo fuerit Medea, parenti redditurum:ſin

autem

autem mulier, coniugi. hoc cum audiuit Arete à coniuge, mittit nuncium ad Iaſonem, & is Medeam noctu in antro deuirginauit. Poſtero autem die cum ad iudiciũ veniſſent, & Medea mulier eſſet inuenta, coniugi eſt tradita: nihilominus cum profecti eſſent, Abſyrtus timens patris præcepta, perſecutus eſt eos in inſulam Mineruæ: ibi cum ſacrificaret Mineruæ Iaſon, & Abſyrtus interueniſſet, ab Iaſone eſt interfectus. Cuius corpus Medea ſepulturę dedit atque inde profecti ſunt. Colchi qui cum Abſyrto venerant, timentes Æetam, illic remanſerunt, oppidúmque condiderunt. quod ab Abſyrti nomine abſorin appellarunt. Hæc autem inſula poſita eſt in Hiſtria contra Pola, iuncta inſulæ Cantæ.

### XXIIII. *Iaſon Peliades.*

IAſon cum Peliæ patrui ſui iuſſu tot pericula adiſſet, cogitare cœpit, quomodo eum ſine ſuſpicione interficeret. hoc Medea ſe facturam pollicetur. Itaque cum iam longè à Colchis eſſent, nauem iuſſit in occulto collocari. & ipſa ad Peliæ filias pro ſacerdote Dianæ venit, eis pollicetur ſe patrem earum Pelian ex ſene iuuenem facturam. Idque Alceſtis maior filia negauit fieri poſſe. Medea quo facilius eam perduceret ad ſuam volũtatem, caliginem eis obiecit, & ex venenis multa miracula fecit, quæ veriſimilia eſſe viderentur, arietémq; vetulum in ahenum coniecit, vnde agnus pulcherrimus proſiluiſſe viſus eſt, eodémq; modo vnde Peliades, id eſt Alceſtis, Pelopia, Meduſa, Iſidoce, Hippothoe, Mede impulſu patrem ſuum occiſum in aeneo coxerunt: cum ſe deceptas eſſe viderent, à patria profugerunt. at Iaſon ſigno à Medea accepto, regia eſt potitus. Acaſtóq; Peliæ filio fratri Peliadũ, quòd ſecum Colchos ierat, regnũ paternũ tradidit, ipſe cum Medea Corinthũ profectus eſt.

### XXV. *Medea.*

MEdea Æete & Idyæ filia cum ex Iaſone iam filios †Marcerum & Feretum procreaſſet, ſummáque concordia viuerent, obiiciebatur ei, hominẽ tam fortẽ, ac formoſum, nobilem vxorem aduenam, atque veneficam habere. Huic Creon Menœci filius rex Corinthius filiam ſuam minorẽ †Glaucem dedit vxorẽ. Medea cũ vidit, ſe erga Iaſonem bene merentẽ, tanta contumelia

*Mermeru & Pheretem Pauſa. in Corinth. vocat.*

eſſe affectam, coronam exuens fecit auream, cámque muneri iuſſit filios ſuos nouercæ dare. Creuſa munere accepto, cum Iaſone & Creonte conflagrauit. Medea vbi regiam ardere vidit, natos ſuos ex Iaſone Macerum & Feretum interfecit, & profugit Corintho.

*al. Creuſam, ſic enim & poſtea vocat.*

*XXVI. Medea exul.*

MEdea Corintho exul, Athenas ad Ægeum Pandionis filium deuenit in hoſpitium, eique nupſit. Ex eo natus eſt Medus: poſtea ſacerdos Dianæ Medeam exagitare cœpit, regíque negabat ſacra caſtè facere poſſe, eò quòd in ea ciuitate eſſet mulier venefica & ſcelerata. tunc iterum exulatur. Medea autem iunctis draconibus, ab Athenis Colchos redit: quę in itinere Abſoridem venit, vbi frater Abſyrtus ſepultus erat. Ibi Abſoritani ſerpentium multitudini reſiſtere non poterant. Medea autem ab eis rogata, l ctas eas in tumulum fratris coniecit, quæ adhuc ibi permanentes, ſi qua autem extra tumulum exit, debitum naturæ perſoluit.

*XXVII. Medus.*

PErſi Solis filio, fratri Æetæ reſpōſum fuit, ab Æetæ progenie mortem cauere. ad quem Medus dum matrem perſequitur, tempeſtate eſt delatus, quem ſatellites cōprehenſum ad regem Perſen perduxerunt. Medus Ægei & Medeæ filius, vt vidit ſe in inimici poteſtatē veniſſe, Hippoten Creontis filium ſe eſſe mentitus eſt. Rex diligentius quærit, & in cuſtodiā eum coniici iuſſit vbi ſterilitas & penuria frugum dicitur fuiſſe. Quò Medea in curru iunctis draconibus cum veniſſet, & regi ſe ſacerdotē Dianę emētita eſſet, dixit ſterilitatē ſe expiare poſſe. Et cū à rege audiſſet, Hippoten Creontis filium in cuſtodia haberi, arbitrans eū patris iniuriam exequi veniſſe, ibíq; imprudens filiū prodidit. Nam regi perſuadet, eū Hippoten nō eſſe ſed Medū Ægei filiū, à matre miſſum vt regem interficeret: petítq; vt interficiendus ſibi traderetur, æſtimans Hippoten eſſe. Itaque Medus cum productus eſſet, vt mendacium morte puniretur, & illa aliter eſſe vidit quàm putauit, dixit ſe cum eo colloqui velle, atque enſem ei tradidit, iuſſitque aui ſui iniurias exequi. Medus re audita Perſen interfecit, regnúmq; auitū poſſedit, ex ſuo nomine terrā Medea cognominauit.

## XXVIII. *Othos & Ephialtes.*

OThos & Ephialtes Aloi & * Hiphimedes Neptuni filiæ filij, mira magnitudine dicuntur fuiſſe. hi ſingulis menſibus nouem digitis creſcebant. Itaque cum eſſent annorum nouem, in cœlum aſcendere ſunt conati, qui aditum ſibi ita faciebant. montem enim Oſſam ſuper Pelion poſuerunt, vnde etiam *Pelion Oſſa mons appellatur, alióſque montes conſtruebant, qui ab Apolline * nacti ſunt interfecti. Alij autem autores dicunt Neptuni & Hiphimedes filios fuiſſe atrotos. Hi cum Dianam comprimere voluiſſent, quæ cum non poſſet viribus eorum reſiſtere, Apollo inter eos ceruam miſit: quam illi furore incenſi, dum volunt iaculis interficere, alius alium interfecerunt. Qui ad inferos dicuntur hanc pœnam pati: ad columnam, auerſi alter ab altero, ſerpentibus ſunt deligati. Eſt ſtyx inter columnam ſedens, ad quam ſunt deligati.

*Iphimedia.*
*Pelius.*
*quo fortaſſe l. gendum.*

## XXIX. *Alcumena.*

AMphitryon cum abeſſet ad expugnandum † Oechalam, Alcumena æſtimans Iouem coniugē ſuum eſſe, eum thalamis recepit. Qui cum in thalamos veniſſet, & ei referret, quæ in † Oechalia geſſiſſet, ea credens coniugem eſſe, cum eo concubuit. qui tam libens cum ea concubuit, vt vnum diem vſurparet, duas noctes congeminaret, ita vt Alcumena tam longam noctem admiraretur. Poſteà cum nunciaretur ei, coniugem victorem adeſſe, minimè curauit, quòd putabat ſe coniugem ſuum vidiſſe. Qui cum Amphitryon in regiam intraſſet, & eam videret negligētius ſecuram, mirari cœpit & queri, quòd ſe aduenientem non excepiſſet: cui Alcumena reſpondit, Iam pridem veniſti, & mecum concubuiſti, & mihi narraſti quæ in Oechalia geſſiſſes. Quæ cum ſigna omnia diceret, ſenſit Amphitryon numen aliquod fuiſſe pro ſe, ex qua die cum ea non concubuit. Quæ ex Ioue compreſſa, peperit Herculem.

*Aetoliam.*
*Aetolia.*

## XXX. *Herculis athla duodecim ab Euryſtheo imperata.*

INfans cum eſſet, dracones duos duabus manibus necauit, quos Iuno miſerat, vnde primigenius eſt dictus. Leonem Nemæum, quem Luna nutrierat in antro

Amphriſo ac*tropum necauit. cuius pellem pro tegumento habuit. Hydram Lernæam Typhonis filiam cum capitib. nouem ad fontem Lernæum interfecit. Hæc tã tam vim veneni habuit, vt afflatu homines necaret: & ſi quis eam dormiẽtem tranſierat, veſtigia ei s afflabat, & malorum cruciatu moriebatur. Hanc Minerua monſtrãte, interfecit, & exenterauit, exque eius felle ſagittas tinxit. Itaq; quicquid poſtea ſagittis fixerat, mortem nõ effugiebat, vnde poſtea & ipſe periit. Aprum in Phrygia *Erimachum occidit. Ceruum velocem in Arcadia cum cornibus aureis viuum in conſpectum Euryſthei regis adduxit. Aues Styphalides in inſula Martis, quæ emiſſis pennis ſuis iaculabantur, ſagittis interfecit. Augei regis ſtercus bouile vno die purgauit, maiorem partem Ioue adiutore, flumine. † Amiſſo totum ſtercus abluit. Taurum cum quo Paſiphae concubuit, ex Creta inſula Mycenas viuum adduxit. Diomedem regem Thraciæ & equos quatuor eius, qui carne humana veſcebantur, cum Abdero famulo interfecit. Equorum autem nomina † Podarius, Lampon, Xanthus, Dinus. Hippolytæ Amazonam, Martis & Otriræ reginæ filiam: cui reginæ Amazonis balteum detraxit, tum† Antiopam captiuam Theſeo donauit. Geryonem Chryſaoris filium, trimembrem, vno telo interfecit. Draconem immanem Typhonis filium, qui mala aurea Heſperidum ſeruare ſolitus erat, ad montem Atlantem interfecit, & Euryſtheo regi mala attulit. Canem Cerberum Typhonis filium ab inferis, regi in conſpectum adduxit.

*Apud Molorchum fortaſſe.*

*Alij aprũ Erimantheum à monte Arcadiæ vocant, immiſſo*

*Podargus, vel Podarces.*

*Hyppolytem alij.*

### XXXI. *Parerga eiuſdem.*

AMtæum Terræ filium in Libya occidit. Hic cogebat hoſpites ſecum luctari, & delaſſatos interficiebat. hunc luctando necauit. Buſiridem in Ægypto, qui hoſpites immolare ſolitus erat, huius legem cũ audiit, paſſus eſt ſe cum inſula ad aram adduci. Buſiris autẽ cũ vellet Deos imprecari, Hercules eum claua ac miniſtros ſacrorum interfecit. Cygnum Martis filium armis ſuperatum occidit. quò cum Mars veniſſet, & armis propter filium contendere vellet cum eo, *Iouis inter eos fulmẽ miſit atque ita eos diſtraxit. Cetum, cui Heſione fuit appoſita, Troiæ occidit. Laomedonta patrẽ Heſionis, quòd

*Iuppiter.*

eam non reddebat, ſagittis interfecit. †Ætonē aquilam quæ Prometheo cor exedebat, ſagittis interfecit. Lycum Neptuni filium, quòd Megaram Creontis filiam vxorē eius, & filios Teremachū & Ophiten occidere voluit, interfecit. Achelous fluuius in omnes figuras ſe immutabat. Hic cū Hercule propter Deianiræ coniugiū cū pugnaret, in taurū ſe conuertit, cui Hercules cornu detraxit, quod cornu Heſperidibus, ſiue nymphis donauit. Quod Deæ pomis replerunt, & cornu copiæ appellarunt. Neleum Hippocoontis filiū cū decē filiis occidit, quoniam is eum purgare ſiue luſtrare voluit, tunc cum Megarā Creōtis filiam vxorem ſuā, & filios Theremachū & Ophitē interfecerat. Eurytum, quòd Iolem filiā eius in coniugiū petiit, & ille eum repudiauit, occidit. Centaurum Neſſum, quòd Deianiram violare voluit, occidit. Eurytionem centaurum, quòd Deianiram Dexamenis filiam ſeparatam ſuam vxorem petiit, occidit.

Æton, fortaſſe legendū.

## XXXII. *Megara.*

HErcules cum ad canem tricipitem eſſet miſſus ab Euryſtheo rege, & Lycus Neptuni filius putaſſet eum periiſſe, Megaram Creontis filiam vxorem eius & filios Teremachum & Ophiten interficere voluit, & regnum occupare. Hercules eò interuenit, & Lycū interfecit: poſtea ab Iunone inſania obiecta, Megaram & filios Theremachum & Ophiten interfecit. Poſtquam ſuę mentis cōpos eſt factus*, ab Apolline petiit dari ſibi reſpōſum, quomodo ſcelus purgaret. Cui Apollo ſortem quòd reddere noluit, Hercules iratus de fano eius tripodem ſuſtulit, quem poſtea Iouis iuſſu reddidit, & nolentem ſortem dare iuſſit. Hercules ob id à Mercurio Omphalæ reginæ in ſeruitutem datus eſt.

## XXXIII. *Centauri.*

HErcules cum in hoſpitium ad Dexamenum regem veniſſet, eiúſque filiam Deianiram deuirginaſſet, fidémque dediſſet, ſe eam vxorem ducturum, poſt diſceſſum eius Eurytion, Ixionis & Nubis filius centaurus petit Deianiram vxorem. cuius pater vim timens, pollicitus eſt ſe daturum. die conſtituto, venit cum fratribus ad nuptias. Hercules interuenit, & Centaurum interfecit, ſuam ſperatam abduxit. Item aliis in nuptiis Perithous

Hippodamiam Adraſti filiam cum vxorem duceret, vino pleni Cẽtauri conati ſunt rapere vxores Lapithis, eos centauri multos interfecerunt, ab * ipſis interierunt.

*XXXIIII. Neſſus.*

NEſſus * Ixionis & Nubis filius, Centaurus, rogatus ab Deianira vt ſe flumen Euhenum transferret, quam ſublatam, in flumine ipſo violare voluit. Hoc Hercules, cum interueniſſet, & Deianira cum fidem eius imploraſſet, Neſſum ſagittis confixit. Ille moriens cum ſciret ſagittas Hydrę Lerneę felle tinctas, quantam vim haberent veneni, ſanguinem ſuum exceptũ Deianiræ dedit, & id philtrum eſſe dixit, ſi vellet ne ſe coniunx ſperneret, eo iuberet veſtem eius perungi. Id Deianira credens, conditum diligenter ſeruauit.

*XXXV. Iole.*

HErcules cum Iolen Euryti filiam in coniugium petiiſſet, ille eum repudiaſſet, Oechaliam expugnauit. Qui vt à virgine rogatur, parentes eius coram ea interficere velle cœpit. Illa animo pertinacior, parentes ſuos ante ſe necari eſt perpeſſa. quos omnes cum interfeciſſet, Iolem captiuam ad Deianiram præmiſit.

*XXXVI. Deianira.*

DEianira Oenei filia Herculis vxor, cum vidit Iolen virginem captiuam eximiæ formæ eſſe adductam, verita eſt ne ſe coniugio priuaret. Itaque memor Neſſi præceptis, veſtem tinctam * centauri ſanguine, Herculi qui ferret, nomine Licham famulũ miſit. inde paululum quod in terram ceciderat, & id ſol attigit, ardere cœpit. quòd cũ Deianira vidit, aliter eſſe ac Neſſus dixerat, intellexit: & qui vocaret, eũ cui veſtẽ dederat, miſit. Quã Hercules iã induerat, ſtatimq; flagrare cœpit. Qui cum ſe in flumen conieciſſet, vt ardorẽ extingueret, maior flamma exibat. Demere autem cum vellet, viſcera ſequebantur. Tunc Hercules Licham qui veſtem attulerat, rotatum in mare iaculatus eſt, qui quo loco cecidit, petra nata eſt, quæ Lichas appellatur. Tunc dicitur Philocteres Pœãtis filius pyram in monte Oeteo conſtruxiſſe Herculi, eúmque aſcendiſſe † mortalitatẽ. Ob id beneficiũ Philocteti Hercules arcus & ſagittas donauit. Deianira autem ob factum Herculis ipſa ſe interfecit.

† exuiſſe, forſitan, aut ſimile quid deeſt.

XXXVII. *Aethra.*

NEptunus & Aegeus Pandionis filius, in ſano Mineruæ cum Aethra Pithei filia vna nocte concubuerunt. Neptunus quod ex ea natum eſſet, Aegeo conceſſit. Is autem poſtquam à Trœzene Athenas redibat, enſem ſuum ſub lapide poſuit, & præcepit Aethræ, vt tunc eum ad ſe mitteret, cum poſſet eum lapidem alleuare, & gladium patris tollere, ibi fore indicium cognitionis filij. Itaque poſtea Aethra peperit Theſeum. Qui cum ad puberem ætatem perueniſſet, mater præcepta Aegei indicat ei, lapidémque oſtendit vt enſem tolleret, & iubet eum Athenas ad Aegeum proficiſci,* eóſque qui illic tum itineri infeſtabantur, omnes occidit. *Videtur nō-nihil deeſſe.*

XXXVIII. *Theſei labores.*

COrynetem Neptuni filium armis occidit: Pithyocamptem, qui iter gradientes cogebat, vt ſecum arborem pinum ad terram flecterent: quam qui cum eo prenderat, ille eam viribus miſſam faciebat, ita ad terram grauiter elidebatur, & peribat, hunc interfecit. Procruſtem Neptuni filium, ad hunc hoſpes cum veniſſet, ſi longior erat, minori lecto propoſito, reliquam corporis partem præcidebat: ſin autem breuior ſtatura erat, lecto longiori dato, incudibus ſuppoſitis extendebat eum, vſque dum lecti longitudinem æquaret: hunc interfecit. Scironem, qui ad mare loco quodā prærupto ſedebat, & iter gradiebatur, qui cogebat eum ſibi pedes lauare, & ita in mare pręcipitabat: hunc Theſeus pari lęto in mare deiecit, ex quo Scironis petræ ſunt dictę. Cercionem Vulcani filium armis occidit. Aprum qui fuit Cremione, interfecit. Taurum qui fuit Marathone, quem Hercules à Creta ad Euryſtheum adduxerat, occidit. Minotaurū oppido Gnoſi occidit.

XXXIX. *Dædalus.*

DÆdalus * Euphemi filius, qui fabricam à Minerua dicitur accepiſſe, Perdicem ſororis ſuæ filium propter artificij inuidiam, quòd is primùm ſerram inuenerat, ſummo tecto deiecit. ob id ſcelus in exilium ab Athenis, Cretam ad regem Minoem abijt. *Eupalamī alij.*

XL. *Paſiphae.*

*Paſiphae.*

PAſiphae Solis filia, vxor Minois, ſacra deæ Veneris per aliquot annos nõ fecerat. ob id Venus amorem infandum illi obiecit, vt taurum, quem ipſa amabat, alia amaret. *In hoc Dædalus exul cum veniſſet, petiit ab ea auxilium. is ei vaccam ligneam fecit, & veræ vaccæ corium induxit, in qua illa cum tauro concubuit. ex quo compreſſo, Minotaurum peperit, capite bubulo, parte inferiore humana. tunc Dædalus Minotauro Labyrinthum inextricabili exitu fecit, in quo eſt cõcluſus. Minos re *cognita, Dædalum in cuſtodiam coniecit. At Paſiphae eum vinculis liberauit. Itaque Dædalus pennas ſibi & Icaro filio ſuo fecit, & accommodauit, & inde auolarunt. Icarus altius volans, à ſole cera calefacta decidit in mare, quod ex eo Icarium pelagus eſt appellatum. Dædalus peruolauit ad regem Cocalum in inſulam Siciliam. alij dicunt, Theſeus cum Minotaurum occidit, Dædalum Athenas in patriam ſuam reduxit.

*Fuerunt hoc loco in veteri exemplari eroſa quædam & alia ſuper inducta, vt dubium non ſit quin verbis his mendum aliquod inſit.*

### XLI. *Minos.*

MInos Iouis & Europæ filius, cum Athenienſibus belligerauit, cuius filius Androgeus in pugna eſt occiſus: qui poſtea quàm Athenienſes vicit, vectigal Minois eſſe cœperunt. Inſtituit autem, vt anno vnoquoque ſeptenos liberos ſuos Minotauro ad epulandum mitterent. Theſeus poſteaquam à Trœzene venerat, & audit quanta calamitate ciuitas afficeretur, voluntariè ſe ad Minotaurum pollicitus eſt ire. Quem pater cum mitteret, prædixit ei vt ſi victor reuerteretur, vela candida in †nauem haberet. Qui autem ad Minotaurum mittebantur, velis atris nauigabant.

*naui.*

### XLII. *Theſeus apud Minotaurum.*

THeſeus poſteaquam Cretam venit, ab Ariadne Minois filia eſt adamatus, adeo vt fratrem proderet, & hoſpitem ſeruaret: eam enim Theſeo monſtrauit Labyrinthi exitum. Quò Theſeus cum introiſſet, & Minotaurum interfeciſſet, Ariadnes monitu licium reuoluendo, foras eſt egreſſus, eámque, quòd fidem illi dederat in coniugio ſecum habiturus, auexit.

### XLIII. *Ariadne.*

THeſeus in inſula Dia tempeſtate retentus, cogitans ſi Ariadnem in patriam portaſſet, ſibi opprobrium futurum: itaque in inſula Dia dormientem reliquit. quam Liber amans, inde ſibi in coniugium abduxit. Theſeus autem cum nauigaret, oblitus eſt vela atra mutare: itaque Aegeus pater eius credens Theſeum à Minotauro eſſe conſumptum, in mare ſe præcipitauit, ex quo Ægeum pelagus eſt dictum. Ariadnes autem ſororem Phædram Theſeus duxit in coniugium.

### *XLIV. Cocalus.*

MInos, quòd Dædali opera multa ſibi incommoda acciderant, in Siciliam eſt eum perſequutus, petiit à rege Cocalo vt ſibi redderetur. Cui cum Cocalus, promiſiſſet, & Dædalus reſciſſet, ab rege filiabus auxilium petiit. illæ Minoem occiderunt.

### *XLV. Philomela.*

TEreus Martis filius Thrax, cum Prognen Pandionis filiam in coniugium haberet, Athenas ad Pandionem ſocerum venit rogatum, vt Philomelā alteram filiam ſibi in coniugium daret: Prognen, ſuum diem obiſſe dicit. Pandion ei veniam dedit, Philomelámque & cuſtodes cum ea miſit: quos Tereus in mare iecit, Philomelámque inuentam in monte compreſſit. Poſtquam autem in Thraciam redit, Philomelam mandat ad Lynceum regem, cuius vxor Læthuſa, quòd Progne fuit familiaris, ſtatim pellicē ad eam deduxit. Progne cognita ſorore, & Terei impium facinus, *pari conſilio machinari cœperūt regi talem gratiam referre. Interim Tereo oſtendebatur in prodigiis, Ity filio eius mortem à propinqua manu adeſſe: quo reſponſo audito, cum arbitraretur Driantem fratrem ſuum filio ſuo mortem machinari, fratrem Driantem inſontem occidit. Progne autem filium Itym ex ſe & Tereo natum, occidit, patríque in epulis appoſuit, & cum ſorore profugit. Tereus, facinore cognito, fugientes cum inſequeretur, deorum miſericordia factum eſt, vt Progne in hirundinem commutaretur, Philomela in luſciniam: Tereum autem accipitrem factum dicunt.

### *XLVI. Erichtheus.*

ERichtheus Pandionis filius, habuit filias quatuor, quæ inter ſe coniurarunt, ſi vna earum mortē obiiſſet, cæteræ ſe interficerent. In eo tempore Eumolpus Neptuni filius, Athenas venit oppugnaturus, quòd patris ſui terram Atticā fuiſſe diceret. Is victus cum exercitu cū eſſet ab Atheniēſibus interfectus, Neptunus ne filij ſui morte Erichtheus lętaretur, expoſtulauit, vt eius filia Neptuno immolaretur. Itaque Orionia filia cum eſſet immolata, cæteræ, fide data, ſe ipſæ interfecerūt. Ipſe Erichthe⁹ ab Ioue, Neptuni rogatu, fulmine eſt ict⁹.

*Hanc infrà Chthoniā vocat.*

*XLVII. Hippolytus.*

PHædra Minois filia, Theſei vxor, Hippolytum priuignum ſuum adamauit. Quem cum non potuiſſet ad ſuam perducere voluntatem, tabellas ſcriptas ad ſuum virum miſit, ſe ab Hippolyto compreſſam eſſe, ſeque ipſa ſuſpendio necauit. & Theſeus re audita, filium ſuum manibus †excidere iuſſit, & optauit à Neptuno patre filio ſuo †exitum. Itaque cum Hippolytus equis iunctis veheretur, repentè è mari taurus apparuit: cuius mugitu equi expauefacti, Hipolytum diſtraxerunt, vitáque priuarunt.

*Excedere.*
*Exitium.*

*XLVIII. Reges Athenienſium.*

CEcrops Terræ filius, Cephalus † Deiones filius, Agoreus Pandionis filius, Pandion Erichthonij filius, Theſeus Ægei filius, Erichthonius Vulcani filius, Erichtheus Pandionis filius, †Dedophon Theſei filius.

*Deionei*
*Demophon.*

*XLIX. Æſculapius.*

AEſculapius Apollinis filius, Glauco Minois filio vitam reddidiſſe, ſiue Hippolyto dicitur, quem Iupiter ob id fulmine percuſſit. Apollo quòd Ioui nocere non potuit, eos qui fulmina fecerunt, id eſt Cyclopes interfecit. Quod ob factum Apollo datus eſt in ſeruitutem Admeto regi Theſſaliæ.

*L. Admetus.*

ALceſtim Pelei filiam cum complures in coniugiū peterent, & Pelias cum multos eorum repudiaret, †ſimultatem his conſtituit, ei ſe daturum, qui feras beſtias ad currum iunxiſſet. Is quam vellet*aueheret. Itaque Admetus ab Apolline petiit, vt ſe adiuuaret. Apollo

*Simultatem pro certamine accipit, vt &*

eum ab eo eſſet liberaliter tractatus, cum in ſeruitium *infrà.*
fuit ei traditus, aprum & leonem ei iunctos tradidit, qui *Fortaſſe legendum, & in quo vellet, auheretur.*
bus ille Alceſtim in coniugium auexit.

### *LI. Alceſtis.*

ALceſtim Peliæ & Anaxobies Diamantis filiæ filiam complures proci petebant in coniugium. Pelias vitans eorum conditiones, repudiauit, & ſimultatem conſtituit ei ſe daturum qui feras beſtias ad currum iunxiſſet, & Alceſtim in coniugio auexiſſet. Itaque Admetus ab Apolline petiit, vt ſe adiuuaret. Apollo autem quòd ab eo in ſeruitutem liberaliter eſſet acceptus, aprū & leonem ei iunctos tradidit, quib. ille Alceſtim auexit. Et illud ab Apolline accepit, vt pro ſe alius voluntariè moreretur. pro quo quum neque pater, neque mater mori voluiſſent, vxor ſe Alceſtis obtulit & pro eo vicaria morte interiit, quā poſtea Hercules ab inferis reuocauit.

### *LII. Aegina.*

IVpiter cum Aeginam Aſopi filiam vellet comprimere, & Iunonem vereretur, detulit eam in inſulam* *Oenonem* Delon, & grauidam fecit, vnde natus eſt Aeacus. Hoc Iuno cum reſciſſet, ſerpentem in aquam miſit, quæ eam venenauit: ex qua qui biberat, debitum naturæ ſoluebat. *Quod cum amiſſis ſociis Aeacus præ paucitate hominum mori non poſſet, formicas intuens, petiit ab Ioue vt homines in præſidio* ſibi daret. tunc Iupiter formicas in homines transfigurauit, qui Myrmidones ſunt appellati, quòd græcè formicæ myrmices dicuntur. Inſula autem Aeginæ nomen poſſedit.

*Vbi fortaſſis, vel quo loco.*

### *LIII. Aſterie.*

IOuis* cum Aſterien Titanis filiā amaret, ille eum cōtempſit, à quo in auem* Ortygiam cōmutata eſt, quā nos coturnicē dicimus* eámque in more abiecit, & ex ea inſula eſt enata, quæ Ortygia eſt appellata. Hæc mobilis fuit. quò poſtea Latona ab Aquilone vēto delata eſt, iuſſu Iouis, tunc cum eam Python perſequeretur. ibique oleam tenens Latona peperit Apollinem & Dianam. Quæ inſula poſtea Delos eſt appellata.

*Pro Iupiter. vt & in ſequentibus. Ortygem. Eaſe.*

### *LIIII. Thetis.*

THetidi Nereidi fatum fuit, qui ex ea natus eſſet, fortiorem fore quàm patrem. Hoc præter

Prometheum cum ſciret nemo, & Iouis vellet cum ea concumbere, Prometheus Ioui pollicetur ſe eum præmoniturum, ſi ſe vinculis liberaſſet. Itaque fide data, monet Iouem ne cum Thetide concumberet, ne ſi fortior naſceretur, Iouem de regno deiiceret, quemadmodum & ipſe Saturno fecerat. Itaque datur Thetis in cõiugiũ Peleo Aeaci filio, & mittitur Hercules vt aquilã interficiat, quæ eius cor exedebat: eáq; interfecta, Prometheus poſt triginta annos de monte Caucaſo eſt ſolutus.

## LV. *Tytius.*

LAtona quòd cum Ioue concubuerat, Iuno Tytio Terræ filio immani magnitudine iuſſerat, vt Latonę vim afferret: qui cum conatus eſſet, à Ioue fulmine eſt interfectus, qui nouem iugeribus ad inferos exporrectus iacere dicitur, & ſerpens ei appoſitus eſt, qui iecur eius exeſſet, *quod cum Luna recreſcit.

## LVI. *Buſiris.*

IN Ægypto apud Buſiridem Neptuni filium cum eſſet ſterilitas & Ægyptus annis nouem ſiccitate exaruiſſet, ex Græcia augures conuocauit. † Thaſius Pigmalionis fratris filius Buſiridi monſtrauit, immolato hoſpite venturos imbres, promiſsiſque fidem ipſe immolatus exhibuit.

*Thraſius.*

## LVII. *Sthenobœa.*

BEllerophon, cum ad Prœtum regem exul in hoſpitium veniſſet, adamatus eſt ab vxore eius Stenobœa: qui cum concumbere cum ea noluiſſet, illa viro ſuo mẽtita eſt, ſe ab eo compellatam. At Prœtus re audita, conſcripſit tabellas de ea re, & mittit eum ad † Diobatan regem, patrem Sthenobœæ: quibus lectis, talem virum interficere noluit, ſed ad Chimæram eum interficiendum miſit, quæ tripartito ore flammam ſpirare dicebatur, idem prima leo, poſtrema draco, media ipſa chimæra: hanc ſuper Pegaſum ſedens, interfecit: & decidiſſe dicitur in campos † alienos, vnde etiã coxas eieciſſe dicitur. At rex virtutes eius laudans alterã filiam dedit ei in matrimonium. Sthenobœa re audita, ipſa ſe interfecit.

*Iobatem.* *lege Alcios.*

## LVIII. *Smyrna.*

SMyrna Cinyræ Aſſyriorum regis, & Cenchreidis, filia cuius mater Cenchreis ſuperbius locuta, quòd

filiæ ſuæ formam Veneri antepoſuerat: Venus matris pœnas exequens, Smyrnæ infandum amorem obiecit, adeò vt patrem ſuum amaret: quę ne ſuſpendio ſe necaret, nutrix interuenit, & patre neſciente per nutricem cum eo concubuit, ex quo concepit: idq́ue ne palàm fieret, pudore ſtimulata, in ſyluis ſe abdidit. cui Venus poſtea miſerta eſt, & in ſpeciem arboris eam commutauit, vnde myrrha fluit, ex qua natus eſt Adonis, qui matris pœnas à Venere eſt inſequutus.

*Hæc Latinis Myrrha dicitur.*

*LIX. Phyllis.*

DEmophoon Theſei filius in Thraciam ad Phyllidem in hoſpitium dicitur veniſſe, & ab ea eſſe amatus. Qui cum in patriam vellet redire, fidem ei dedit, ſe ad eam rediturum. Qui die conſtituta cum non veniſſet, illa eo die dicitur nouies ad littus cucurriſſe, quod ex ea Enneados græcè appellatur. Phyllis autem ob deſiderium Demophoontis ſpiritum emiſit. Cui parentes cum ſepulchrum conſtituiſſent, arbores ibi ſunt natæ, quæ certo tempore Phyllidis mortem lugent, quo folia areſcunt & diffluunt. Cuius ex nomine folia græcè Phylla ſunt appellata.

*LX. Siſyphus & Salmoneus.*

SIſyphus & Salmoneus Aeoli filij inter ſe inimici fuere. Siſyphus petiit ab Apolline, quomodo poſſet interficere inimicum, id eſt fratrem. Cui reſponſum fuit, ſi ex compreſſu Tyronis Salmonei fratris filiæ procreaſſet liberos, fore vltores: quod cum Siſyphus feciſſet, duo ſunt filij nati: quos Tyro mater eorum, ſorte audita, necauit. At Siſyphus vt reſciit, * qui nunc dicitur ſaxum propter impietatem, aduerſus montem ad inferos ceruicibus voluere, quod cum ad ſummum verticem perduxerit, rurſum deorſum poſt ſe reuoluatur.

*Videtur deeſſe aliquid*

*LXI. Salmoneus.*

SAlmoneus Aeoli filius. Siſyphi frater, cum tonitrua & fulmina imitaretur Iouis, † ſedens quadrigam faces ardentes in populum mitteret, & ciues, ab Ioue fulmine eſt ictus.

*Et aſcēdēs, videtur legēdum eſſe Phlegya alij.*

*LXII. Ixion.*

IXion † Leontei filius, conatus eſt Iunonem comprimere. Iuno Iouis iuſſu nubem ſuppoſuit, quam

Ixion Iunonis ſimulacrum eſſe credidit. ex eâ nati ſunt Centauri. At Mercurius Iouis iuſſu, Ixionem ad inferos in rota conſtrinxit, quæ ibi adhuc dicitur verti.

*LXIII. Danae.*

DAnae Acriſij & Aganippe filia. huic fuit fatum, vt quod peperiſſet, Acriſium interficeret. Quod timens Acriſius, eam in muro lapideo præcluſit. Iouis autem in imbrem aureum conuerſus, cum Danae concubuit, ex quo compreſſu natus eſt Perſeus. Quam pater ob ſtuprum, incluſam in arcâ cum Perſeo in mare deiecit. Ea voluntate Iouis delata eſt in inſulam Seriphum, quam piſcator Dictys cum inueniſſet, effracta ea, vidit mulierem cum infante, quos ad regem Polydectem perduxit, qui eam in coniugio habuit, & Perſeum educauit in templo Mineruæ: quod cum Acriſius reſciſſet eos ad Polydectem morari, repetitum eos profectus eſt. *quod cum veniſſet, Polydectes pro eis deprecatus eſt. Perſeus Acriſio auo ſuo fidem dedit, ſe eum nunquam interfecturum. Qui cum tempeſtate retineretur, Polydectes moritur. Cui cum funebres ludos facerent, Perſeus diſco miſſo, quem ventus diſtulit in caput Acriſij, & eum interfecit. ita quod voluntate ſua noluit deorum factum eſt. Sepulto autem eo, Argos profectus eſt, regnáque auita poſſedit.

*Quo: ſic enim & ſuprà poſitum erat.*

*LXIIII. Andromada.*

CAſſiope filiæ ſuæ Andromadæ formam Nereidibus antepoſuit. ob id Neptunus expoſtulauit, vt Andromada Cephei filia ceto obiiceretur. Quæ cum eſſet obiecta, Perſeus Mercurij talaribus volans eò dicitur veniſſe, & eam liberaſſe à periculo. Quam cum †adducere vellet Cepheus, pater cum Agenore, cuius ſponſa fuit, Perſeum clàm interficere voluerunt. Ille cognita re, caput Gorgonis eis oſtendit, omnéſque ab humana ſpecie ſunt informati in ſaxum. Perſeus cum Andromada in patriam redit. Polydectes ſiue Prœtus * vidit Perſeum tantam virtutem habere, pertimuit, eúmque per dolum interficere voluit. Qua re cognita Perſeus, caput Gorgonis ei oſtendit, & is ab humana ſpecie eſt immutatus in lapidem.

*al. abducere*

*Videtur deeſſe, vbi, vel poſtquã, vel ſimile.*

### LXV. *Alcyone.*

CEyx Heſperi ſiue Luciferi & Philonidis filius, cum in naufragio periiſſet, Alcyone Æoli & Egyales filia, vxor eius, propter amorem ipſa ſe in mare præcipitauit: qui deorum miſericordia ambo in aues ſunt mutati, quæ Alcyones dicuntur. hæ aues nidum, oua, pullos in mari ſeptem diebus faciunt hyberno tempore: mare his diebus tranquillum eſt, quos dies nautæ Alcyonia appellant.

### LXVI. *Laius.*

LAio Labdacis filio ab Apolline erat reſponſum, de filii ſui manu mortem vt caueret. Itaque Iocaſta * Menyci filia vxor eius, cum peperiſſet, * iuſſit exponi. hunc Peribœa Polybi regis vxor cum veſtem ad mare lauaret, expoſitum ſuſtulit, Polybo ſciente. quòd orbi erant liberis, pro ſuo educauerunt: eúmque quòd pedes tranſiectos haberet, Oedipum nominauerunt.

*al. Menœtij.*

**Notū, aut ſimile quid videtur deeſſe.*

### LXVII. *Oedipus.*

POſtquam Oedipus Laij & Iocaſtes filius ad puberem ætatem peruenit, fortiſſimus præter cæteros erat: eique per inuidiam æquales obiiciebant, eum ſubditum eſſe Polybo, eo quòd Polybus tam clemens eſſet, & ille impudens: quod Oedipus ſenſit non falſo ſibi obiici. Itaque Delphos eſt profectus ſciſcitatum de † in prodigiis oſtendebatur mortem ei adeſſe de nati manu. idem cum Delphos iret, obuiam ei Oedipus venit. quem ſatellites cum viam regi dari iuberent, neglexit. Rex equos immiſit, & rota pedem eius oppreſſit. Oedipus iratus, inſcius patrem ſuum de curru detraxit, & occidit. Laio occiſo, Creon* Menyci filius regnum occupauit. Interim Sphinx Typhonis in Bœotiam eſt miſſa, quæ agros Thebanorum vexabat. Ea regi Creonti ſimultatem conſtituit, ſi carmen quod poſuiſſet aliquis interpretatus eſſet, ſe inde abire: ſi autem datum carmen non ſoluiſſet, eum ſe conſumpturam dixit, neque aliter de finibus exceſſuram. Rex re audita, per Græciam edixit, qui Sphingæ carmen ſoluiſſet, regnum ſe & Iocaſtem ſororem ei in coniugium daturum promiſit: cum plures regni cupidine veniſſent, & à Sphinge eſſent conſumpti, Oedipus Laij filius venit, &

*Deeſſe aliquid videtur.*

*al. Menœtij*

*al. Sphingū.*

carmen eſt interpretatus. Illa ſe præcipitauit, Oedipus regnum paternum,& Iocaſtam matrem inſcius accepit vxorem,ex qua procreauit Eteoclen &Polynicen,Antigonam,& Iſmenam. Interim Thebis ſterilitas frugum & penuria incidit,ob Oedipodis ſcelera. interrogatúſque Tireſias,quid ita Thebæ vexarentur, reſpondit: Si quis ex Draconteo genere ſupereſſet,& pro patria interiiſſet,peſtilentia liberaturum. tum † Menycus Iocaſtæ pater ſe de muris præcipitauit. Dum hæc Thebis geruntur,Corintho Polybus decedit.quo audito, Oedipus moleſtè ferre cœpit,æſtimans patrem ſuum obiſſe, cui Peribœa de eius ſuppoſitione palàm fecit:id Itemales ſenex,qui eum expoſuerat,ex pedum cicatricibus & talorum agnouit Laij filium eſſe. Oedipus re audita, poſtquam vidit ſe tot ſcelera nefaria feciſſe, ex veſte matris fibulas detraxit, & ſe luminibus priuauit, regnúmque filiis ſuis alternis annis tradidit, & à Thebis Antigona filia duce profugit.

*al. Menætius.*

## LXVIII. *Polynices.*

POlynices Oedipodis filius,anno peracto, regnum ab Eteocle fratre repetit.Ille cedere noluit: itaque Polynices,Adraſto rege adiuuante, cum ſeptem ductoribus Thebas oppugnatum venit. ibi Capaneus, quòd contra Iouis voluntatem Thebas ſe capturum diceret, cum murum aſcēderet,fulmine eſt percuſſus: Amphiaraus terra eſt deuoratus: Eteocles & Polynices inter ſe pugnantes alius alium interfecerunt. His cum Thebis parentaretur,etſi ventus vehemens eſſet, tamen fumus ſe nunquam in vnam partem conuertit, ſed alius aliò ſeducitur.Cæteri cum Thebas oppugnarent, & Thebani regibus ſuis diffiderent,Tireſias † Eurij filius augur præmonuit, ſi ex Dracontea progenie aliquis interijſſet,oppidum ea clade liberari. * Menycus cum vidit ſe vnum ciuium ſalutem poſſe redimere,muro ſe præcipitauit,Thebani victoria ſunt potiti.

*Eurimi, ita infrà quoq. Menœtius.*

## LXIX. *Adraſtus.*

ADraſto, Talai & Eurynomes filio, reſponſum ab Apolline fuit,eum filias ſuas Argiam & Deiphilam apro & leoni daturum in coniugium. Sub eodem tempore PolynicesOedipodis filius expulſus ab Eteocle fratre,

fratre, ad Adraſtum deuenit. & Tydeus ſimul Oeneij & Peribœæ captiuæ filius, à patre quòd fratrem Menalippum in venatione occiderat, ferè ſub eodem tempore venit. Quod cum ſatellites Adraſto nunciaſſent, duos iuuenes incognita veſte veniſſe. vnus enim aprinea pelle* opertus, alter leonina. Tunc Adraſtus memor ſortium ſuarum, iubet eos ad ſe perduci: atque ita interrogauit, quid ita hoc cultu in regna ſua veniſſent. Cui Polynices indicat ſe à Thebis veniſſe, & idcirco ſe † pellem leoninam operuiſſe, quòd Hercules à Thebis genus duceret, & inſignia gentis ſuæ ſecum portaret. Tydeus autem dicit ſe Oenei filium eſſe, & à Calydone genus ducere, ideo pelle aprinea ſe opertum, ſignificans aprum Calydonium. Tunc rex reſponſi memor, Argiam maiorem dat Polynici, ex qua naſcitur Therſander: Deiphilam minorem dat Tydeo, ex qua naſcitur Diomedes, qui apud Troiam pugnauit. At Polynices rogat Adraſtum, vt ſibi exercitum commodaret, ad paternum regnum recuperandum à fratre: cui Adraſtus non tantum exercitum dedit, ſed etiam ipſe cum aliis ducib. profectus eſt, quoniam Thebæ ſeptem portis claudebantur. Amphion enim qui Thebas muro cinxit, ſeptem filiarum nomine portas conſtituit. Hæ autem fuerunt, Thera, Cleodoxe, Aſtynome, Aſtycratia, Chias, Oggygia, Chloris.

** pelle leonina.*

*Pauſanias verò aliter de portis Thebanis, quem vide in Bœotic.*

### LXX. *Reges ſeptem Thebas profecti.*

ADraſtus Talai filius ex Eurynome Iphiti filia, Argiuus. Polynices Oedipodis filius ex Iocaſta, Menœtij filia, Thebanus. Tydeus Oenei filius ex Peribœa captiua, Calidonius. Amphiaraus Oeclei, vel, vt alij authores dicunt, Apollinis ex Hypermeſtra Theſtij filia, Pylius.. Capaneus Hipponoi filius ex Aſtynome Talai filia, ſorore Adraſti, Argiuus. Hippomedon Neſimachi filius ex Mithidice Talai filia, ſorore Adraſti. Parthenopæus, Meleagri filius, ex Atalanta Iaſij filia, ex monte Partheno, Arcas. Hi omnes duces apud Thebas perierunt, præter Adraſtum Talai filium: is enim equi beneficio ereptus eſt. qui poſtea filios eorum armatos ad Thebas expugnandas miſit, vt iniurias paternas vindicarent, eo quòd inſepulti iacuerant Creontis iuſſu, qui

Thebas occuparat, fratris Iocaſtes.

*LXXI. Septem Epigoni, id eſt filij.*

AEgialeus Adraſti filius ex Demoanaſſa, Argiuus hic ſolus periit ex ſeptem qui exierant, quia pater exuperauerat, pro patre vicariam vitam dedit. cæteri ſex victores redierunt. Therſander Polynicis filius ex Argia Adraſti filia, Argiuus. Polydorus Hippomedontis filius, ex Euanippe Elati filia, Argiuus. Alcmæon, Amphiarai filius, ex Eriphyle Talai filia, Argiuus. Theſimenes Parthenopei fili⁹ ex Clymene nympha, Nyſius.*

*Videtur de eſſe nõnihil.* Polynices Oedipodis filius, anno peracto regnum ab Eteocle fratre Adraſto Talai filio adiutore repetit, cum ſeptem ductoribus, & Thebas oppugnarunt. Ibi Adraſtus beneficio equi profugit. Capaneus contra Iouis voluntatem, Thebas ſe capturum dixit: & cum murum aſcenderet, fulmine ab Ioue eſt percuſſus. Amphiaraus cum quadriga terra eſt deuoratus. Eteocles & Polynices inter ſe pugnantes, alius alium interfecerunt. His inferię communes cum fiunt, Thebis fumus ſeparatur, quòd alius alium interfecerunt. reliqui perierunt.

*LXXII. Antigona.*

CReon Menœtij filius edixit, ne quis Polynicen aut qui vnà venerunt, ſepulturæ traderent, quòd patriã oppugnatum venerint: Antigona ſoror & Argia coniunx, clàm noctu Polynicis corpus ſublatum, in eadem pyra, qua Eteocles ſepultus eſt impoſuerunt: quæ cum à cuſtodibus deprehenſæ eſſent, Argia profugit, Antigona ad regem eſt perducta. ille eam Hæmoni filio, cuius ſponſa fuerat, dedit interficiendam. Hæmon amore captus, patris imperium neglexit, & Antigonam ad paſtores demandauit: ementitúſque eſt, ſe eam interfeciſſe. Quæ cum filium procreaſſet, & ad puberem ætatem veniſſet, Thebas ad ludos venit. Hunc Creon rex quòd ex Draconteo genere omnes in corpore inſigne habebant, cognouit. Cum Hercules pro Hæmone deprecaretur, vt ei ignoſceret, non impetrauit. Hæmon ſe & Antigonam coniugem interfecit. At Creon Megaram filiam ſuam Herculi dedit in coniugium: ex qua nati ſunt Theremachus, & Ophites.

LXXIII. *Amphiaraus, Eriphyla, & Alcmæon.*

AMphiaraus Oeclei & Hypermeſtræ Theſtij filiæ filius augur, † qui ſciret ſi ad Thebas oppugnatum iſſet, ſe inde non rediturum: itaque celauit ſe, conſcia Eriphyle coniuge ſua, Talai filia. Adraſtus autem vt eum inueſtigaret, monile aureum ex gemmis fecit, & muneri dedit ſororis ſuæ Eriphylæ: quæ doni cupida, coniugem prodidit. Amphiaraus Alcmæoni filio ſuo præcepit, vt poſt ſuam mortem pœnas à matre exequeretur. qui poſtquam apud Thebas terra eſt deuoratus, Alcmæon memor patris præcepti, Eriphylen matrem ſuam interfecit, quem poſtea furiæ exagitarunt.

† *in eum*

LXXIIII. *Hypſipyle.*

SEptem ductores qui Thebas oppugnatum ibant, deuenerunt in Nemeam, vbi Hypſipyle Thoantis filia in ſeruitute puerum Archemorum ſiue Ophiten Lyci regis filium, nutriebat. Cui reſponſum erat, ne in terra puerum deponeret, antequam poſſet ambulare: ergo ductores ſeptem qui Thebas ibant aquam quærentes, deuenerunt ad Hypſipylen: eámque rogauerunt, vt eis aquam demonſtraret. Illa timens puerum in terrã deponere, *apium altiſſimum erat ad fontem, in quo puerum depoſuit, quæ dum aquam eis tradit, draco fontis cuſtos puerum exedit. At draconem Adraſtus & cæteri occiderunt, & Lycum pro Hypſipyle deprecati ſunt, ludóſque puero funebres inſtituerunt, qui quinto quóque anno fiunt, in quibus victores apiaciam coronam accipiunt.

LXXV. *Tireſias.*

IN monte Cyllenio Tireſias Eurimi filius, paſtor dracones venerantes dicitur baculo percuſſiſſe, aliâs calcaſſe, ob id in mulieris figuram eſt conuerſus: poſtea monitus à ſortibus, in eodem loco dracones cum calcaſſet, redit in priſtinam ſpeciem. Eodem tempore inter Iouem & Iunonem fuit iocoſa altercatio, quis magis de re venerea voluptatem caperet, maſculus an fœmina: de qua re Tireſiam iudicem ſumpſerunt, qui vtrunque erat expertus. Is cum ſecundum Iouem iudicaſſet, Iuno irata, manu auerſa eum excæcauit. at Iouis ob id fecit, vt ſeptem ætates viueret, vatéſque præter cæteros mortales eſſet.

*Venerantes pro coeuntes videtur poſuiſſe, à Venere deducto verbo.*

## LXXVI. *Reges Thebanorum.*

CAdmus Agenoris filius, Amphion Iouis, Polydorus Cadmi, Laius Labdaci, Pentheus Echionis, Creon Menœtij, Oedipus Laij, Polynices Oedipi, Lycus Neptuni, Eteocles Oedipi Zetus Iouis, Labdacus Polydori.

## LXXVII. *Leda.*

IVpiter Ledam Theſtij filiam, in cygnum conuerſus, ad flumen Eurotam compreſſit, † & ex eo peperit Pollucem & Helenam, ex Tindareo autem Caſtorem & Clytæmneſtram.

*qua*

## LXXVIII. *Tyndareus.*

TYndareus Oebali filius, ex Leda Theſtij filia procreauit Clytæmneſtram & Helenam. Clytæmneſtram Agamemnoni Atrei filio dedit in coniugium. Helenam propter formæ dignitatem, complures ex ciuitatibus*in coniugium proci petebant. Tyndareus cum* repudiaret filiam ſuam Clytæmneſtram, & ab Agamemnone vereretur, timerétque ne quid ex ea re diſcordiæ naſceretur, monitus ab Vlyſſe, iureiurando ſe obligauit, & arbitrio Helenæ poſuit, vt cui vellet nubere, coronam imponeret, † Menelao impoſuit, vt cui Tyndareus eam dedit vxorem, regnúmque moriens Menelao tradidit.

*qua Menelao*

## LXXIX. *Helena.*

THeſeus Ægei & Æthræ Pitthei filiæ filius, cum Pirithoo Ixionis filio Helenam Tyndarei & Ledæ filiam virginem, de fano Dianæ ſacrificantem rapuerunt, & detulerũt Athenas in pagum Atticę regionis. † Quod Iouis eos cum vidiſſet tantam audaciam habere, vt ſe ipſi ad periculum offerrent, in quiete eis imperauit, vt peterent ambo à Plutone, Pirithoo Proſerpinam in cõiugium. Qui cum per inſulam Tænariam ad inferos deſcendiſſent, & de qua re veniſſent indicarent Plutoni, à furiis*ſtrati, diúſque lacerati ſunt. quò Hercules ad canem tricipitem ducendum cùm veniſſet, illi fidem eius implorarunt. Qui à Plutone impetrauit, eóſque incolumes eduxit ad Helenam: Caſtor & Pollux fratres belligerarunt, & Æthram Theſei matrem &*Phiſadiem Pirithoi ſororem ceperunt, & in ſeruitutem ſorori dederunt.

*Pro qua re Iupiter.*

*proſtrati.*

*Thiſadien, vt infrà vocat.*

LXXX. *Caſtor.*

IDas & Lynceus Apharei filij, ex Meſſenis habuerunt ſponſas Phœben & † Lairam Leucippi filias. Hæ autem formoſiſſimæ virgines cum eſſent, & eſſet Phœbe ſacerdos Mineruæ, † Laira Dianæ, Caſtor & Pollux amore incenſi eas rapuerũt. Illi amiſſis ſponſis,arma tulerũt,ſi poſſent eas recuperare.Caſtor Lynceũ in prælio interfecit. Idas amiſſo fratre omiſit bellum & ſponſam, cœpítque fratrem ſepelire.Cum oſſa eius collocaret in pila,interuenit Caſtor,& prohibere cœpit monumẽtum fieri,quòd diceret ſe eũ quaſi fœminam ſuperaſſe. Idas indignans,gladio quo cinctus erat Caſtori inguina traiecit. Alij dicunt, quemadmodum ædificabat pilam ſuper Caſtorem impuliſſe,& ſic interfectũ: quod cum annunciaſſet Polluci, accurrit & Idam vno prælio ſuperauit,corpúſq; fratris recuperatum ſepulturæ dedit.Cum autem ipſe ſtellam ab Ioue accepiſſet,& fratri non eſſet data,ideo quòd diceretPollucem Iouis,Caſtorem ſemine Tyndarei & Clytemneſtræ natos: ipſum autem & Helenam Iouis eſſe filios.Tunc deprecatus Pollux,vt liceret ei munus ſuum cum fratre communicare: cui permiſit,ideóque dicitur alterna morte redemptus. Vnde etiam Romani ſeruant inſtitutum,cum deſultorem mittunt,vnus duos equos habet, pileum in capite,*equo in equum tranſilit,quòd ille ſua & fratris vice fungatur.

*Ilairam.* *Ilaira.*

LXXXI. *Proci Helenæ.*

ANtiochus†,Aſcalaphus, Aiax Oileus, Antimachus, Aecæus, Blanirus, * Agapenor, Aiax Telamonius, Clytius Cyanæus, Menelaus, Patroclus, Diomedes, Peneleus, Phemius, Nireus, Polypœtes, Elephenor, Eumelus, Stenelus, Tlepolemus, Proteſilaus, Podalirius, Eurypilus, Idomeneus,†Teleotes, † Tallius, Polyxenus, † Protus,Meneſtheus, Machaon, Thoas, Vlyſſes, Philippus,Meriones, Meges, Philoctetes.Alia veteres*.

*Antilochus* *Leonteus.* *Talpius.* *Prothous.*

LXXXII. *Tantalus.*

TAntalus Iouis & † Plytones filius, procreauit ex †Dione Pelopem. Iupiter Tantalo concredere ſua conſilia ſolitus erat,& ad epulũ deorum admittere,quę Tantalus ad homines renunciauit,ob id dicitur ad inferos in*aquam media ſine corporis ſtare, ſempérque ſi-

*πλουτοῦς habet commẽ. in Odyſſ. λ.* *Taygeta, ælij aqua.*

tire:&cum hauſtum aquæ vult ſumere,aquam recedere. Item poma ei ſuper caput pendent: quę cum vult ſumere, rami vento moti recedunt. Item ſaxum ſuper caput eius ingens pendet,quod ſemper timet ne ſuper ſe ruat.

*LXXXIII. Pelops.*

PElops Tantali & Diones Atlantis filiæ filius, cum eſſet in epulis deorum à Tãtalo cæſus,brachium eius Ceres conſumpſit,qui à deorum numine vitam recepit: cui cum cætera membra vt fuerant coiſſent, humero non perpetuo,eburneum eius loco Ceres aptauit.

*LXXXIIII. Oenomaus.*

OEnomaus Martis & Aſteropes filiæ filius, habuit in coniugio Euareten Acriſij filiam, ex qua procreauit Hippodamiam virginem eximiæ formæ. quam nulli ideodabat in cõiugium,quòd ſibi reſponſum fuit, à genero mortem cauere. Itaque cum complures eam peterent in coniugium,ſimultatem conſtituit, ſe ei daturum,qui ſecum quadrigis certaſſet,victórque exiſſet, (quod is equos Aquilone velociores habuit) victus autem interficeretur.Multis interfectis,nouiſsimè Pelops Tantali filius cum veniſſet,&capita humana ſuper † halbas fixa vidiſſet, eorum qui Hippodamiam in vxorem petierãt,pœnitere eum cœpit,regis crudelitatem timẽs. Itaque Myrtilo aurigæ eius perſuaſit,regnúmque ei dimidium pollicetur, ſi ſe adiuuaret: fide data Myrtilus currum iunxit, & clauos in rotas non coniecit: itaque equis incitatis currum defectum Oenomai equi diſtraxerunt. Pelops cum Hippodamia & Myrtilo domum victor cum rediret,cogitauit ſibi opprobrium futurum, & Myrtilo fidem præſtare noluit,eumque in mare præcipitauit,à quo Myrtoum pelagus eſt appellatum. Hippodamiam in patriam adduxit ſuam,quod Peloponneſum appellatur.ibi ex Hippodamia procreauit Hippalcum,*Atreum,Thyeſten.

*valuas.*

*LXXXV. Chryſippus.*

LAius Labdaci filius Chryſippum Pelopis filium natum propter formæ dignitatem Nemeæ ludis rapuit.quem ab eo Pelops bello recuperauit,hunc Atreus & Thieſtes matris Hippodamiæ impulſu interfecerunt. Pelops cum Hippodamiam argueret, ipſa ſe interfecit.

LXXXVI. *Pelopidæ.*

THyeſtes Pelopis & Hippodamiæ filius, quod cum Aeropa Atrei vxore concubuit, à fratre Atreo de regno eſt eiectus. At is Atrei filium Pliſthenem, quem pro ſuo educauerat, ad Atreum interficiendum miſit: quem Atreus credens fratris filium eſſe, imprudens filium ſuum occidit.

LXXXVII. *Aegiſthus.*

THyeſti Pelopis & Hippodamiæ filio reſponſum fuit, quem ex filia ſua Pelopia procreaſſet, eum fratris fore vltorem: quod cum audiſſet, *puer eſt natus, quem Pelopia expoſuit, quem inuentum paſtores capræ ſubdiderunt, ad nutriendum: Aegiſthus eſt appellatus, ideo quòd Græcè capra æga appellatur. *Videtur abeſſe aliquid.*

LXXXVIII. *Atreus.*

ATreus Pelopis & Hippodamiæ filius, cupiens à Thyeſte fratre ſuo iniurias exequi, in gratiam cum eo rediit, & in regnum ſuum eum reduxit, filióſque eius infantes Tantalum & Pliſthenem occidit, & epulis Thyeſti appoſuit, qui cum veſceretur, Atreus imperauit brachia & ora puerorum afferri: ob id ſcelus etiam ſol currum auertit. Thyeſtes ſcelere nefario cognito, profugit ad regem Theſprotum, vbi lacus Auernus dicitur eſſe. Inde Sicyonem peruenit, vbi erat Pelopia filia Thyeſtis depoſita. ibi caſu nocte cum Mineruæ ſacrificaret, interuenit: qui timens ne ſacra contaminaret, in luco delituit. Pelopia autem cum choreas ducit, lapſa, veſtem ex cruore pecudis inquinauit: quæ dum ad flumen exit ſanguinem abluere, tunicam maculatã deponit, capite obducto Thyeſtes è luco proſiliuit, *& ea compreſſione gladium de vagina ei extraxit Pelopia, & rediens in templum ſub acropodio Mineruæ abſcondit. Poſtero die rogat regem Thyeſtes, vt ſe in patriam Lydiam remitteret. Interim ſterilitas Mycenis frugum ac penuria oritur ob Atrei ſcelus. Ibi reſponſum eſt, vt Thyeſtem in regnum reduceret. Qui cum ad Theſprotum regem iſſet, æſtimãs Thyeſtem ibi morari, Pelopiam aſpexit: & rogat Theſprotum, vt ſibi Pelopiam in coniugium daret, quòd putaret eam Theſproti eſſe filiam. Theſprotus ne qua ſuſpicio eſſet, dat ei Pelopiã, *Videtur & hic nõnihil ſententiæ deeſſe.*

quæ iam conceptum ex patre Thyeſte habebat Aegiſthum. Quæ cum ad Atreum veniſſet, parit Aegiſthum: quem expoſuit. At paſtores capræ ſuppoſuerunt: quem Atreus iuſſit perquiri, & pro ſuo educari. Interim Atreus mittit Agamemnonem & Menelaum filios ad quærendum Thyeſten: qui Delphos petierunt ſuſcitatum. Caſu Thyeſtes eò venerat ad ſortes tollēdas de vltione fratris. comprehēſus ab eis ad Atreū perducitur: quem Atreus in cuſtodiam coniici iuſſit, Aegiſthúmque vocat, æſtimans ſuū filium eſſe, & mittit eū ad Thyeſtem interficiendum. Thyeſtes cum vidiſſet Aegiſthum, & gladium quem Aegyſthus gerebat, cognouiſſet quem in compreſſione perdiderat, interrogat Aegiſthum vnde illum haberet. Ille reſpondit matrem ſibi Pelopiam dediſſe: quam iubet acceſſiri. cui reſpondit, ſe in compreſſione nocturna, neſcio cui eduxiſſe, & ex ea compreſſione Aegiſthum concepiſſe. Tunc Pelopia gladium arripuit, ſimulans ſe agnoſcere, & in pectus ſibi detruſit. quem Aegiſthus è pectore matris cruentum tenēs, ad Atreum attulit. Ille æſtimans Thyeſten interfectum, lætabatur: quem Aegiſthus in littore ſacrificantem occidit, & cum patre Thyeſte in regnum auitum redit.

## *LXXXIX. Laomedon.*

NEptunus & Apollo dicuntur Troiam muro cinxiſſe. his rex Laomedon vouit, quod regno ſuo pecoris eo anno natum eſſet, immolaturum. Id votum auaritia fefellit. Alii dicunt, parum eum promiſiſſe: ob eam rem Neptunus cetum miſit, qui Troiam vexaret. Ob quam cauſam rex ad Apollinem miſit conſultum. Apollo iratus ita reſpondit: ſi Troianorum virgines ceto religatæ fuiſſent, finem peſtilentiæ futuram. Cum cōplures conſumptæ eſſent, & Heſione ſors exiſſet, & petris religata eſſet, Hercules & Telamon cum Colchos Argonautæ irent, eodem venerunt, & cetum interfecerunt. Heſionénque patri, pactis legibus reddunt, vt cum inde rediiſſent, ſecum in patriā eam abducerent, & equos qui ſuper aquas & ariſtas ambulabant. Quod & ipſum Laomedon fraudauit, neque Heſionē reddere voluit. Itaque Hercules ad eos nauibus comparatis, vt Troiam expugnaret, venit, & Laomedontem necauit, & Pa-

daci filio eius infanti regnum dedit,qni poſteaPriamus eſt appellatus, ἀπὸ τοῦ πρίασθαι. Helionem recuperatam Telamoni cõceſſit in coniugium,ex qua natus eſt Teucer.

### X C. *Priami filij & filiæ,numero 54.*

HEctor,Deiphobus,Geryones, Polydorus, Helenus, Alexander,Hippoſidus,Antinous, Agathon, Diaſtor, Lyſide, Polymena,Aſcanius,Chirodamas,Euagoras,Drypon,Aſtynomus,Polymetus,Laodice, Ethionome,Phegea,Henicea, Demnoſia,Caſſandra,Philomela, Polipes,Troilus,Palæmon,Briſſonius,Gorgition,Proto damas,Atreus,Dolon,Chrœreſus, Cyryſolaus, Demoſthea,Doricops,Hippaſus,Hyperiſcus,Lyſianaſſa, Iliona,Nereis,Euãder,Proneus,Aromachus,Hilagus, Axiõ, Biãtes,Hippotrochus,Diophites,Meduſa,Hero,Creuſa.

### DE LIBERIS PRIAMI.

*In hoc capite,quia omnia propè mirificè corrupta ſunt, ipſum quidem intactum reliquimus. Nomina verò liberorũ Priami,quæ partim Ioan. Boccacius ex variis autoribus collegit,partim apud Pauſaniam in picturaPolygneti repe riuntur,huc adnotauimus,vt,qui volet, ad horum exempla,illa emendet.Sunt autem hæc,filiarum: Creuſa, Caſſandra, Ilione, Laodice, Lycaſte, Medeſicaſtis, Polyxena, Clymene,Ariſtomache,Xenodice,Deimone,Metioche, Piſis,Cleodice & Meduſa.Filiorum autem,Paris,Hector,He lenus,Chaon,Troilus, Deiphobus, Polydorus primus, Polydorus ſecundus,Lycaon, Æſacus, Antiphus,Iſus,Cebryones, Phorbas, Doryclus, Pammon,Antiphonus,Agathon, Hippothous,Agauus,Meſtor,Iphates,Teſtorius, Timœtes, Polites,Teucer,Democoontes,Echemon, Chronius, Gorgitiõ,Axion, Aſtynous, Pelis, Eioneus, Admetus, Agenor. Quanquam de his vltimis quinque,non auſim certò affirmare,Priami liberorum nomina eſſe.neque enim id liquidò Pauſanias indicat:ſed tantũ inter reliquos,qui circa Priamũ occiſi ſunt,recẽſet.additur & à Calabro Theſiphonus.*

### X C I. *Alexander Paris.*

PRiamus Laomedontis filius, cum complures liberos haberet ex concubitu Hecubæ Ciſſei, ſiue Dymantis filiæ,vxor eius prægnans in quiete vidit ſe facẽ ardentem pârere,ex qua ſerpentes plurimos exiſſe.id viſum omnibus coniectoribus cum narratum eſſet, impe-

rant quicquid pârere necaret,ne id patriæ exitio foret. Poſtquam Hecuba peperit Alexandrum, datur interfi-ciendus. quem ſatallites miſericordia expoſuerant, eum paſtores pro ſuo filio repertum expoſitum educarunt, eúmque Parim nominauerunt. Is cum ad puberem ætatem perueniſſet, habuit taurum in delitiis: quò cum ſatellites miſſi à Priamo vt taurum aliquis adduceret veniſſent, qui in athlo funebri quod ei fiebat poneretur, cœperunt Paridis taurum abducere. Qui perſecutus eſt eos, & inquiſiuit, quò eum ducerent. illi in dicant, ſe eum ad Priamum adducere, qui viciſſet ludis funebribus Alexandri. ille amore incenſus tauri ſui, deſcendit in certamen, & omnia vicit, fratres quoque ſuos ſuperauit. Indignans, Deiphobus, gladium † ad eum ſtrinxit. at ille in aram Iouis Hercæi inſiluit: quod cum Caſſandra vaticinaretur eum fratrem eſſe, Priamus eum agnouit, regiáque recepit.

*al. aduers⁹.*

## XCII. *Paridis iudicium.*

IOuis cum Thetis Peleo nuberet, ad epulum dicitur omnes deos conuocaſſe, excepta Eride, id eſt diſcordia. quæ cum poſtea ſuperueniſſet, nec admitteretur ad epulum, ab ianua miſit in medium malum, *dicit quæ eſſet formoſiſſima attolleret. Iuno Venus, Minerua formam ſibi vendicare cœperunt inter quas magna diſcordia orta. Iouis * imperat Mercurio, vt deducat eas in Ida monte ad Alexandrum Paridem, eúmque iubeat iudicare. Cui Iuno, ſi ſecundum ſe iudicaſſet, pollicita eſt in omnibus terris eum regnaturum † diuitem præter cæteros pręſtaturum. Minerua, ſi inde victrix diſcederet, formoſiſſimum inter mortales futurum, & omni artificio † ſcium. Venus autem Helenam Tyndarei filiam formoſiſſimam omnium mulierum ſe in coniugium dare promiſit. Paris donum poſterius prioribus antepoſuit, Venerémque pulcherrimam eſſe iudicauit, ob id Iuno & Minerua Troianis fuerunt infeſtæ Alexander Veneris impulſu Helenam à Lacedæmone hoſpite Menelao Troiam abduxit, eámque in coniugio habuit cum ancillis duabus Aethra & † Thiſadie, quas Caſtor & Pollux captiuas ei aſſignarant, aliquando reginas.

*Diuitiis fortaſſe.*

*Omnium artificioſiſſimũ*

*Suprà Phiſadien vocauit.*

### XCIII. *Caſſandra.*

CAſſandra Priami & Hecubæ filia in Apollinis fano ludendo laſſa obdormiſſe dicitur. Quam Apollo cum vellet comprimere, corporis copiam non fecit. ob quam rem Apollo fecit, vt cum vera vaticinaretur, fidem non haberet.

### XCIIII. *Anchiſa.*

VEnus Anchiſam Aſſaraci filium amaſſe, & cum eo concubuiſſe dicitur, ex quo procreauit Æneam: eique præcepit, ne id apud homines enunciaret. Quod Anchiſes inter ſodales per vinum eſt elocutus, ob id à Ioue fulmine eſt ictus. quidam dicunt eum ſua morte obiſſe.

### XCV. *Vlyxes.*

AGamemnon & Menelaus Atrei filij, cum ad Troiam oppugnandam coniuratos duces ducerent, in inſulam Ithacam ad Vlyxem Laertis filium venerunt: cui erat reſponſum, ſi ad Troiam iſſet poſt viceſimum annum, ſolum, ſociis perditis, egentem domum redituram. Itaque cum ſciret ad ſe oratores venturos, inſaniam ſimulans, pileum ſumpſit, & equum cum boue iunxit ad aratrum. Quem Palamedes vt vidit, ſenſit ſimulare, atque Telemachum filium eius, cunis ſublatum aratro ei ſubiecit, & ait, Simulatione depoſita inter coniuratos veni. Tunc Vlyxes fidem dedit ſe venturum. ex eo Palamedi infeſtus fuit.

### XCVI. *Achilles.*

THetis Nereis, cum ſciret Achillem filium ſuum, quem ex Peleo habebat, ſi ad Troiam expugnandam iſſet, periturum, commẽdauit eum in inſulam Scyro ad Lycomedem regem. quem ille inter virgines filias habitu fœmineo ſeruabat, nomine mutato. nam virgines Pyrrham nominarunt, quoniam capillis flauis fuit, & Græcè rufum pyrrhon dicitur. Achiui autem cum reſciſſent ibi eum occultari, ad regem Lycomedem oratores miſerunt, qui rogarent, vt eum adiutorium Danais mitteret. Rex cum negaret apud ſe eſſe, poteſtatem eis fecit, vt in regia quererent. qui cum intelligere non poſſent, quis eſſet eorum, Vlyſſes in regio veſtibulo munera fœminea poſuit, in qui-

bus clypeum & haſtam,& ſubitò tubicinam iuſſit canere,armorúmque crepitum & clamorem fieri iuſſit.Achilles hoſtem arbitrans adeſſe,veſtem muliebrem dilaniauit,atque clypeum & haſtam arripuit.ex hoc eſt cognitus,ſuáſque operas Argiuis promiſit,& milites Mirmydones.

*XCVII. Qui ad Troiam expugnatum ierunt, & quot naues.*

AGamemnon Atrei & Aeropes filius Mycenis,nauibus centum. Menelaus frater eius,Mycenis nauibus lx. Phœnix Amynthoris filius Argiuus,nauibus l. AchillesPelei &Theridis filius,inſula Scyro nauibus lx. Automedon auriga Achillis.Scyro nauib. x. Patroclus Mœnetij & Pilomellæ filius, Phthia nauibus x. Aiax Telamonis ex Erybœa filius,Salamine nauibus xij.Teucer frater ex Heſiona Laomedontis filia,nauibus xij. Vlyſſes Laertæ & Anticliæ filius Ithaca nauibus xij. Diomedes Tydei & Deiphilæ Adraſti filiæ filius,Argis nauibus xxx.SthenelusCapanei & Euadnes filius,Argis nauib.xxv.Aiax Oilei & Rhenes nymphæ filius,Locrus, nauib.xx.Neſtor Nelei & Chloridis filiæ filius, Pylius, nauib.xc.Thraſymedes frater ex Euridice.Pylius,nauib. xv.Antiloch⁹ Neſtoris filius,Pylius,nauib.xx.Eurypylus Euæmonis & Opis filius, Orchomeno nauibus xl.Machaon Aſclepij & Coronidis filius, Attica nauibus xx. Podalirius frater eius nauibus ix. Tlepolemus Herculis & Aſtyoches filius, Mycenis nauibus ix. Idomeneus Deucalionis filius, à Creta nauibus xl. Meriones Moli & Melphidis filius à Creta,nauibus xl. Eumelus Admeti & Alceſtis Peliæ filiæ filius, à Perrhebia nauibus viij. Philoctera Pœantis & Demonaſſæ filus, Melibœa nauibus vij.Peneleus Hippalei & Aſteropes filius,Bœotia nauib.xij.†Pithus Lacreti & Cleobules filius, ex Bœotia nauib.xij.† Chronius frater eius,ex Bœotia nauibus ix.Arceſilaus Lyci & * Theobulæ filius ex Bœotia nauibus x. Prothœnor frater, ex † Haſtipiæ nauibus viij. Ialmenus Lyci & * Pernidis filius, Argis nauibus xxx. Aſcalaphus frater eius, Argis nauibus xxx. Schedius Iphiti & Hippollytes filius, Argis nauibus xxx. Epiſtrophus frater eius itidem nauibus x. Elephenor Cal-

*Hanc matrē Medontis Homerus facit,*

*Leitus.*

*Clonius.*

*Theſpia.*

*Martis & Aſtyocles*

chodontis & Imenaretes * filius, Argis nauibus xxx. * Menœæ filius, Athenis nauibus l. Agapenor Ancæi & Iotis * filius Arcadia nauibus lx. Amphimachus Creati filius, Elea nauibus x. Eurychus* Pallantis & Diomedæ filius, Argis nauibus xv. Amarunceus Oneſimachi filius, Mycenis nauibus xix. † Polyſenes, Aſtionis & Pelorides filius, Ætolia nauibus xl. Meges Phylei & Euſtyoches filius, à Dulichio nauibus lx. Thoas Andremonis & Gor[a]gidis filius * Tyto* nauibus xv. Podarces frater eius itidem nauibus x. Prothous Tenthredonis filius, Magne-[b]ſia nauibus xl. Cycnus * Ociti & Aurophites filius, Argis nauibus xij. Nireus Charopi & * nymphæ filius, Argis nauibus xvj. Antiphus Mneſyli & Chalciopes filius Theſſalus, nauibus xx. Polybœtes Pirithoi & Hippodamiæ filius. Argis nauibus xx. *Leophites Chroni filius, à Sicyone nauibus xix. Calchas Theſtoris filius Mycenis augur, Phocus Danai filius architectus, Eurybates & Talthybius internuncij, Diaphorus iudex, Neoptolemus Achillis & Deidamiæ filius ab inſula Scyro, hic idem Pyrrhus eſt vocitatus à patre Pyrrha. Summa naues. 245.

*Homerus Videtur deeſſe aliquid, intelligit autem Mneſthea.*

*† Polyxen⁹, Agaſthenis.*

*Aglares, vt Homerus.*

*Leonteus, Coroni.*

*a Videntur hic & omiſſa quædam eſſe quæ ad naues Thoantis pertinent:& quod hic Tyto ponitur, Ithone legi debere,& ad Proteſilaum, cuius nomen hic deeſt, referendum eſſe. Ita enim ex Fodarce, qui ſequitur, colligi poteſt, quem Homerus Proteſilai fratrem, non Thoantis facit. b Vide 2. Iliad. Nam hic haud ſcio an nomina tranſpoſita ſint,& legendum Antiphus Theſſali & Chal. fil. Miſyro nauibus 30. c Neque hic locus abſque vitio eſſe videtur, cum cæteri omnes de mille nauibus mentionem faciant.*

## *XCVIII. Iphigenia.*

AGamemnon cum Menelao fratre, *Aſiæ delectis ducibus, Helenam vxorem Menelai, quam Alexander Paris auexerat, repetitum ad Troiam cum irent in Aulide tempeſtas eos ira Dianæ retinebat, quòd Agamemnon in venando ceruam eius violauit, ſuperbiúſque in Dianam eſt locutus. Is cum aruſpices conuocaſſet, & Calchas ſe* reſpondiſſet, aliter expiari non poſſe niſi Iphigeniam filiam Agamemnonis immolaſſet: re

*Fortaſſe legendum, aliiſque.*

audita Agamemnon recuſare cœpit. tunc Vlyſſes eum conſiliis ad rem pulchram tranſtulit. idem Vlyſſes cum Diomede ad Iphigeniam miſſus eſt adducendam. Qui cum ad Clytæmneſtram matrem eius veniſſent, ementitur Vlyſſes eam Achilli in coniugiũ dari. Quam cũ in aulidẽ adduxiſſet, & parens eã immolare vellet, Diana virginem miſerata eſt, & caliginem eis obiecit, ceruámque pro ea ſuppoſuit: Iphigeniámq; per nubes in terrã Tauricam detulit, ibique templi ſui ſacerdotem fecit.

## XCIX. *Auge.*

AVge Alei filia ab Hercule compreſſa, tum partus adeſſet, in monte Parthenio peperit, & ibi eum expoſuit. Eodem tempore Atalante Iaſij filia, filium expoſuit ex Meleagro natum, Herculis autem filium cerua nutriebat. hos paſtores inuentos ſuſtulerunt, atque nutrierunt, quibus nomina impoſuerunt, Herculis filio Telephum, quoniam cerua nutriebat: Athalantes autem Parthenopæum, quoniam virgine ſimulante in monte Parthenio eum expoſuerat. Ipſa autem Auge patrem ſuum timens, profugit in Mœſiam, ad regem Teuthrantem: qui cum eſſet orbus liberis, hanc pro filia habuit.

## C. *Theutras.*

TEuthrantem regem in Mœſia Idas Apharei filius regno priuare voluit: quò cum Telephus Herculis filius ex reſponſo quærens matrem cum comite Parthenopæo veniſſet, huic Teuthras regnum & filiam Augen in coniugium daturum promiſit, ſi ſe ab hoſte* tutaſſet. Telephus conditionem regis non prætermiſit, cum Parthenopæo Idam vno prælio ſuperauit: cui rex pollicitam fidem præſtitit, regnúmque & Augen matrem inſcientem in coniugium dedit: quæ cum mortalem neminem vellet ſuum corpus violare, Telephum interficere voluit, inſcia filium ſuum. Itaque cum in thalamũ veniſſent, Auge, enſem ſumpſit, vt Telephum interficeret. Tum deorum voluntate dicitur draco immani magnitudine inter eos exiſſe: quo viſo, Auge enſem proiecit, & Telepho incœptum patefecit. Telephus re audita inſcius matrem interficere voluit: illa Herculem violatorem ſuum implorauit, & ex eo Telephus matrem

*tutatus eſſet.

agnouit & in patriam ſuam reduxit.

*CI. Telephus.*

TElephus Herculis & Auges filius, ab Achille in pugna Chironis haſta percuſſus dicitur. Ex quo vulnere cum in dies tetro cruciatu angeretur, petit ſortem ab Apolline, quod eſſet remedium: reſponſum eſt, ei neminem mederi poſſe, niſi eandem haſtam qua vulneratus erat. Hoc Telephus vbi audiuit, ad regem Agamemnonem venit, & monitu Clytæmneſtræ Oreſtem infantem de cunabulis rapuit: minitans ſe eum occiſurum, niſi ſibi Achiui mederentur. Achiuis autem quod reſponſum erat, ſine Telephi ductu Troiam capi non poſſe, facile cum eo in gratiam redierunt, & ab Achille petierunt, vt eum ſanaret. Quibus Achilles reſpondit, ſe artem medicam non poſſe. tunc Vlyſſes ait: Non te dicit Apollo, ſed autorem vulneris haſtam nominat: quam cum raſiſſent, remediatus eſt. à quo cum peterēt, vt ſecum ad Troiam expugnandam iret, non impetrarunt, quòd is Laodicen Priami filiam vxorem haberet. ſed ob beneficium quòd eum ſanarunt, eos deduxit: locos autem & itinera demonſtrauit, inde in Mœſiam eſt profectus.

*CII. Philoctetes.*

PHiloctetes Pœantis & Demonaſſæ filius, cum in inſula Lemno eſſet, columber eius pedē percuſſit, quē ſerpentem Iuno miſerat, irata ei ob id, quia ſolus præter cæteros auſus fuit Herculis pyram conſtruere, cum humanum corpus eſt exutum, & ad immortalitatem traditum, ob id beneficium Hercules ſuas ſagittas diuinas ei donauit, ſed cum Achiui ex vulnere tetrum odorem ferre non poſſent, iuſſu Agamemnonis regis, in Lemno expoſitus eſt cum ſagittis diuinis. quem expoſitum paſtor regis Actoris, nomine Phimachus *Dolophionis filius nutriuit. Quibus poſtea reponſum eſt, ſine Herculis ſagittis Troiam capi nō poſſe. Tunc Agamemnon Vlyſſem & Diomedem exploratores ad eum miſit. Cui perſuaſerunt, vt in gratiam rediret, & ad expugnandam Troiam auxilio eſſet, eúmque ſecum ſuſtulerunt.

## CIII. *Proteſilaus.*

ACHiuis fuit reſponſum, qui primus litora Troianorum attigiſſet, periturum. Cum Achiui claſſes applicuiſſent, cæteris cunctantibus, Iolaus Iphicli & Diomedeæ filius primus è naui proſiliuit, qui ab Hectore confeſtim eſt interfectus: quem cuncti appellarunt Proteſilaum, quoniam primus ex omnibus perierat. Quod vxor Laodamia Acaſti filia cum audiſſet eum periſſe, flens petit à diis, vt ſibi cum eo tres horas colloqui liceret: quo impetrato, à Mercurio reductus, tres horas cum eo colloquuta eſt.*quod iterum cum obiſſet Proteſilaus, dolorem pati non potuit Laodamia.

*Quare fortaſſis, vt ſupràquoque.*

## CIIII. *Laodamia.*

LAodamia Acaſti filia, amiſſo coniuge, cum tres horas conſumpſiſſet, quas à diis petierat, fletum & dolorem pati non potuit. Itaque fecit ſimulacrum æreum ſimile Proteſilai coniugis, & in thalamis poſuit, ſub ſimulatione ſacrorum, & eum colere cœpit, quod cum famulus matutino tempore poma ei attuliſſet ad ſacrificium, per rimam aſpexit, viditque eam ab amplexu Proteſilai ſimulacrum tenentem, atque oſculantem: æſtimans eam adulterum habere, Acaſto patri nunciauit. Qui cum veniſſet, & in thalamos irrupiſſet, vidit effigiem Proteſilai: quæ ne diutius torqueretur, iuſſit ſignũ & ſacra, pyra facta, comburi: quò ſe Laodamia, dolorem non ſuſtinens, immiſit, atque vſta eſt.

## CV. *Palamedes.*

VLyſſes, quòd Palamedis Nauplij dolo erat deceptus, indies machinabatur, quomodo eum interficeret. Tandem inito conſilio ad Agamemnonem, militem ſuum miſit, qui diceret ei, in quiete vidiſſe vt caſtra vno die mouerentur. Id Agamemnon verum exiſtimans, caſtra vno die imperat moueri. Vlyſſes autem clàm noctu ſolus magnum pondus auri, vbi tabernaculum Palamedis fuerat, obruit: item epiſtolam conſcriptam Phrygi captiuo, ad Priamum dat perferendam, militémque ſuum priorem mittit, qui eum non longè à caſtris interficeret. Poſtero die cum exercitus in caſtra rediret, quidam miles epiſtolam quam Vlyſſes ſcripſerat ſuper cadauer Phrygis poſitam, ad Agamemnonem attulit:

tulit: in qua ſcriptum fuit, Palamedi à Priamo miſſa: tantúmque ei auri pollicetur, quantum Vlyſſes in tabernaculum obruerat, ſi caſtra Agamemnonis, vt ei conuenerat, proderet. Itaque Palamedes cum ad regem eſſet productus, & factum negaret, in tabernaculum eius ierunt, & aurum effoderunt: quod Agamemnon vt vidit, verè factum eſſe credidit. Quo facto Palamedes dolo Vlyſſis deceptus, ab exercitu vniuerſo innocens occiſus eſt.

## CVI. *Hectoris lytra.*

Agamemnon Briſeidam, Briſæ ſacerdotis filiam, ex Mœſia captiuam, propter formæ dignitatem, quã Achilles ceperat, ab Achille abduxit, eo tempore, quo Chryſeida Chryſi ſacerdoti Apollinis † Zminti reddidit. *Smynthio.* quam ob iram Achilles in prælium non prodibat, ſed cithara in tabernaculo ſe exercebat. Quod cum Argiui ab Hectore fugarentur, Achilles obiurgatus à Patroclo, arma ſua ei tradidit: quibus ille Troianos fugauit, æſtimantes Achillem eſſe. Sarpedonémque Iouis & Europæ filium occidit. poſtea ipſe Patroclus ab Hectore interficitur, armáque eius ſunt detracta Patroclo occiſo. Achilles cum Agamemnone redit in gratiam, Briſeidámque ei reddidit. tum contra Hectorem cum inermis prodiſſet, Thetis mater à Vulcano arma ei impetrauit, quæ Nereides per mare attulerunt. Quibus armis ille Hectorem occidit, aſtrinctúmque ad currum traxit circa muros Troianorum. quem ſepeliendum cum patri nollet dare, Priamus Iouis iuſſu, duce Mercurio, in caſtra Danorum venit, & filij corpus auro repenſum accepit, quem ſepulturæ tradidit.

## CVII. *Armorum iudicium.*

Hectore ſepulto, cum Achilles circa mœnia Troianorum vagaretur, ac diceret ſe ſolum Troiam expugnaſſe: Apollo iratus, Alexandrum Parin ſe ſimulans, talum, quem mortalem habuiſſe dicitur, ſagitta percuſſit, & occidit. Achille occiſo, ac ſepulturæ tradito, Aiax Telamonius, quòd frater patruelis eius fuit, poſtulauit à Danais, vt arma ſibi Achillis darent: quæ ira Mineruæ † abiurgata ſunt ab Agamemnone & Menelao *abiudicata.*

D

& Vlyſſi data. Aiax furia accepta, per inſaniam pecora ſua & ſeipſum vulneratum occidit, eo gladio quem ab Hectore muneri accepit, dum cum eo in acie contendit.

### CVIII. *Equus Troianus.*

ACHIUI cum per decem annos Troiam capere non poſſent, Epeus monitu Mineruæ equum miræ magnitudinis ligneum fecit, eóque ſunt collecti, Menelaus, Vlyſſes, Diomedes, Theſſander, Sthenelus, Acamas, Thoas, Machaon, Neoptolemus. Et in equo ſcripſerunt, Danai Mineruę dono dant: caſtráque tranſtulerunt † Tenedo. Id Troiani cum viderunt, arbitrati ſunt hoſtes abiſſe. Priamus equum in arcem Mineruæ duci imperauit, feriaríque magno opere vt eſſent, edixit. Id vates Caſſandra cum vociferaretur, ineſſe hoſtes, fides ei habita non eſt. Quem in arcem cum ſtatuiſſent, & ipſi noctu luſu atque vino laſſi obdormiſſent, Achiui ex equo, aperto à Sinone, exierunt & portarum cuſtodes occiderunt, ſociósque ſigno dato, receperunt, & Troia ſunt potiti.

*Tenedum.*

### CIX. *Iliona.*

PRIAMO Polydorus filius ex Hecuba cum eſſet natus, Ilionæ filiæ ſuæ dederunt eum educandum, quæ Polymneſtori regi Thracum erat nupta, quem illa pro filio ſuo educauit. Deiphilum autem quem ex Polymneſtore procreauerat, pro ſuo fratre educauit, vt ſi alteri eorum quid foret, parentibus præſtaret. Sed cum Achiui Troia capta, prolem Priami extirpare vellent, Aſtyanacta Hectoris & Andromachæ filium de muro deiecerunt: & ad Polymneſtorem legatos miſerunt, qui ei Agamemnonis filiam nomine Electram pollicerentur in coniugium, & auri magnam copiam, ſi Polydorum Priami filium interfeciſſet. Polymneſtor legatorum dicta non repudiauit, Deiphilúmque filium ſuum imprudens occidit, arbitrans ſe Polydorum filium Priami interfeciſſe. Polydorus autem ad oraculum Apollinis de parentibus ſuis ſciſcitatum eſt profectus. cui reſponſum eſt, patriam incenſam, patrem occiſum, matrem in ſeruitute teneri. Cum inde rediret, & vidit aliter eſſe ac ſibi reſponſum fuit, ſe Polymneſtoris eſſe

filium, ab ſorore Ilionea inquiſiuit, quid ita aliter ſortes dixiſſent? cui ſoror, quid veri eſſet patefecit, & eius conſilio Polymneſtorem luminibus priuauit, atque interfecit.

### CX. *Polyxena.*

DAnai victores cum ab Ilio claſſem conſcenderent, & vellent in patriam ſuam quiſque reuerti, & prædam quiſque ſibi duceret, ex ſepulcro vox Achillis dicitur prædæ partem expoſtulaſſe. Itaque Danai Polyxenam Priami filiam, quæ virgo fuit formoſiſſima, propter quam Achilles cum eam peteret, & ad colloquium veniſſet, ab Alexandro & Deiphobo eſt occiſus, ad ſepulcrum eius eam immolauerunt.

### CXI. *Hecuba.*

VLyſſes Hecubam Ciſſei filiam, vel, vt alij autores dicunt, Dimantis, Priami vxorem, Hectoris matrẽ, in ſeruitutem cum duceret, illa in Helleſpontum mare ſe pręcipitauit, & canis dicitur facta eſſe, vnde & * Cyneum eſt appellatum. *Cynoſſema*.

### CXII. *Prouocantes inter ſe, qui cum quo dimicarunt.*

MEnelaus cum Alexandro, Alexandrum Venus eripuit: Diomedes cum Ænea, Æneam ſeruauit Venus. Idem cum Glauco, in hoſpitio cognito diſceſſerunt: Idem cum Pandaro & Glauco alio: Pandarus & Glaucus occiduntur. Aiax cum Hectore donificantes diſceſſere: Aiax Hectori donauit balteum, vnde eſt tractus: Hector Aiaci gladium, vnde ſe interfecit. Patroclus cum Sarpedone, Sarpedon occiditur. Menelaus cum Euphorbo, Euphorbus occiditur, qui poſtea Pythagoras eſt factus, & meminit ſuam animam in corpora tranſiſſe. Achilles cum Aſteropeo, Aſteropeus occiditur. Idem cum Hectore, Hector occiditur: idem cum Ænea, Æneas fugatur: idem cum Agenore, Agenorem ſeruauit Apollo: idem cum Pentheſilea Amazone Martis & Otreræ filia, Pentheſilea occiditur. Antilochus cum Memnone, Antilochus occiditur: Achilles cum Memnone, Memnon occiditur: Philoctetes cum Alexandro, Alexander occiditur: Neoptolemus cum Eurypylo, Eurypylus occiditur.

### CXIII. *Nobilem quem quis occidit.*

ACHillem Apollo Alexandri figura. Hector Proteſilaum, idem Antilochum: Agenor Helenorem, idem Chlonium: Deiphobus Aſcalaphum, idem Antonoum: Aiax Hippodamum, idem Chlonium: Agamemnon Hippodamantem, idem Glaucum: Aiax Locrus Carcanum, idem Gauium: Diomedes Dolonem, idem Rheſum: Eurypylus Nireum, idem Machaonem: Sarpedon Tlepolemum, idem Antippum: Achilles Troilum: Menelaus Deiphobum: Achilles Aſtynomum, idem Pylachantum, *Neoptolemus Priamum.

*CXIIII. Achiui qui quot occiderunt.*

ACHilles numero 72. Antilochus numero 2. Proteſilaus numero 4 Peneleus numero 2. Eurypylus numero 1. Aiax Oilei numero 14. Thoas numero 2. Linus numero 20. Thraſymedes numero 2. Agamemnon numero 16. Diomedes numero 18. Menelaus 8. Philoctetа numero 3. Meriones numero 7. Vlyſſes numero 12. Idomeneus numero 13. Leonteus numero 5. Aiax Telamonius numero 28. Patroclus numero 54. Polypœtes numero 1. Teucer num. 30. Neoptolemus 6. fit numerus 362.

*CXV. Troiani qui quot occiderunt.*

HEctor numero 31. Alexander numero 3. Sarpedon numero 2. Panthous numero 4. Gargaſus numero 2. Glaucus numero 4. Polydamas numero 3. Aeneas numero 28. Deiphobus numero 4. Clytus numro 3. Athamas numero 1. Agenor numero 2. fit numerus 88.

*CXVI. Nauplius.*

ILio capto, & diuiſa præda, Danai cum domum redirent, ira deorum quòd fana ſpoliauerant, & quòd Caſſandram Aiax Locrus à ſigno Palladio arbripuerat, tempeſtate & flatibus aduerſis ad ſaxa Capharea naufragium fecerunt, in qua tempeſtate Aiax Locrus fulmine eſt à Minerua ictus, quem fluctus ad ſaxa illiſerunt, vnde Aiacis petræ ſunt dictæ. cæteri noctu cum fidem deorum implorarent, Nauplius audiuit, ſenſítque tempus veniſſe ad perſequendas filij ſui Palamedis iniurias. Itaque tanquam auxilium eis afferret, faſcem ardentem eo loco extulit, quo ſaxa acuta & locus periculoſiſſimus erat. Illi credentes humanitatis cauſa id factum, naues eo duxerunt. quo facto, plurimæ eorum cõfractæ ſunt, mi-

litéſque plurimi cum ducibus tempeſtate occiſi ſunt, membráque eorum cum viſceribus ad ſaxa illiſa ſunt: ſi qui autem potuerunt ad terram natare, à Nauplio interficiebantur. At Vlyſſem ventus detulit ad † Marathonem Menelaum in Ægyptum, Agamemnon cum Caſſandra in patriam peruenit. *Iſmarum alij.*

*CXVII. Clytæmneſtra.*

CLytæmneſtra Tyndarei filia, Agamemnonis vxor, cum audiſſet ab Oeace, Palamedis fratre, Caſſandram ſibi pellicem adduci, quod ementitus eſt, vt fratris iniurias exequeretur: tunc Clytæmneſtra cum Ægiſtho filio Thyeſtis cœpit conſilium, vt Agamemnonem & Caſſandram interficeret, quem ſacrificantem ſecuri cum Caſſandra interfecerunt. At Electra Agamemnonis filia, Oreſtem fratrem infantem ſuſtulit, quem demandauit in Phocide Strophio, cui fuit Aſtyochea Agamemnonis ſoror nupta.

*CXVIII. Protheus.*

IN Ægypto Proteus ſenex marinus diuinus dicitur fuiſſe, qui in omnes ſe figuras conuertere ſolitus erat. Quem Menelaus Idotheæ filiæ eius monitu, catena alligauit, vt ſibi diceret quando domum repetitionem haberet: quem Proteus edocuit iram deorum eſſe, quòd Troia eſſet deuicta, ideóque id fieri debere, quod Hecatomben Græcè dicitur, cum centum armenta occiduntur. Itaque Menelaus Hecatomben fecit. tunc demum poſt octauum annum, quàm ab Ilio deceſſerat, cum Helena in patriam redit.

*CXIX. Oreſtes.*

OReſtes Agamemnonis & Clytæmneſtræ filius, poſtquam in puberem ætatem venit, ſtudebat patris ſui mortem exequi. itaque conſilium capit cum Pylade, & Mycenas venit ad matrem Clytæmneſtram, dicítque ſe aeolium hoſpitem eſſe, nunciátque Oreſtem eſſe mortuum, quem Ægiſthus populo necandum demandauerat. Nec multo pòſt Pylades Strophij filius ad Clytæmneſtram venit, vrnámque ſecum affert, dicítque oſſa Oreſtis condita eſſe. quos Ægiſthus lætabundus hoſpitio recepit. qui occaſione capta, Oreſtes cum Pylade, noctu Clytæmneſtram matrem & Ægiſthum interficiunt.

quem Tyndareus cum accuſaret, Oreſti, à Mycenenſibus fuga data eſt propter patrem, quem poſtea furiæ matris exagitarunt.

## CXX. *Iphigenia Taurica.*

ORestem furiæ cum exagitarent, Delphus ſciſcitatum eſt profectus, quis tandem modus eſſet ærumnarum? reſponſum eſt, vt in terram Taurinam ad regem Thoantem, patrem Hypſipyles iret, indéque de templo Dianæ ſignum Argos afferret: tunc finem fore malorum. Sorte audita, cum Pylade Strophij filio ſodale ſuo nauem conſcendit, celeriterque ad Tauricos fines deuenerunt. Quorum fuit inſtitutum, vt qui intra fines eorum hoſpes veniſſet, templo Dianæ immolaretur. vbi Oreſtes & Pylades cum in ſpelunca ſe tutarentur, & occaſionem captarent, à paſtoribus deprehenſi, ad regem Thoantem ſunt deducti. Quos Thoas ſuo more iunctos in templum Dianæ, vt immolarentur duci iuſſit, vbi Iphigenia, Oreſtis ſoror fuit ſacerdos: eóſque ex ſignis atque argumentis qui eſſent, quid veniſſent, poſtquam reſciit, & abiectis miniſteriis, ipſa cœpit ſignum Dianæ auellere. Quò rex cum interueniſſet & rogitaret, cur id faceret: illa ementita eſt, dicitque eos ſceleratos ſignum contaminaſſe: quòd impij & ſcelerati homines in templum eſſent adducti, ſignum expiãdum ad mare ferre oportere, & iubere eum interdicere ciuibus, ne quis eorum extra vrbem exiret. Rex ſacerdoti dicto audiens fuit. Occaſionem Iphigenia nacta, ſigno ſublato, cum fratre Oreſte & Pylade in nauem aſcendit, ventóque ſecundo ad inſulam † Zminten ad Chryſen ſacerdotem Apollinis delata ſunt.

*Smynthen.*

## CXXI. *Chryſes.*

AGamemnon cum ad Troiam iret, & Achilles in Mœſiam venit, & Chryſeidam Apollinis ſacerdotis filiam adduxit, eámque Agamemnoni dedit in coniugium. Quod cum Chryſes ad Agamemnonem deprecandum veniſſet, vt ſibi filiam redderet. non impetrauit. ob id Apollo exercitum eius partim fame* propè totum conſumpſit. Itaque Agamemnon Chryſeida grauidam ſacerdoti remiſit. Quæ cum diceret ſe ab eo

*Videtur deeſſe, partim peſte.*

intactam eſſe, ſuo tempore peperit Chryſen iuniorem, & dixit ſe ab Apolline concepiſſe. Poſtea Chryſes Thoanti eos cum reddere vellet, Chryſes audiit ſenior, Agamemnonis Iphigeniam & Oreſtem filios eſſe, qui Chryſi filio ſuo quid veri eſſet patefecit, eos fratres eſſe, & Chryſen Agamemnonis filium eſſe. Tum Chryſes re cognita cum Oreſte fratre Thoantem interfecit, & inde Mycenas cum ſigno Dianæ incolumes peruenerunt.

## CXXII. *Aletes.*

AD Electram Agamemnonis & Clytæmneſtræ filiã, ſororem Oreſtis, nuncius falſus venit, fratrem cum Pylade in Tauricis Dianæ eſſe immolatos. Id Aletes Ægiſthi filius cum reſciſſet, ex Atridarum genere neminem ſupereſſe, regnum Mycenis obtinere cœpit. At Electra de fratris nece Delphos ſciſcitatum eſt profecta. Quò cum veniſſet, eodem die Iphigenia cum Oreſte venit eò. idem nuncius qui de Oreſte dixerat, dixit Iphigeniam fratris interfectricem eſſe. Electra vbi audiuit id, truncum ardentem ex ara ſuſtulit, voluitque inſcia ſorori Iphigeniæ oculos eruere, niſi Oreſtes interueniſſet, cognitione itaque facta, Mycenas venerunt. & Aleten Ægiſthi filium Oreſtes interfecit, & Erigonam ex Clytæmneſtra & Ægiſtho natam voluit interficere: ſed Diana eam rapuit, & in terram Atticam ſacerdotem fecit. Oreſtes autem Neoptolemo interfecto, Hermionem Menelai & Helenæ filiam adductam coniugem duxit. Pylades autem Electram Agamemnonis & Clytæmneſtræ filiam duxit.

## CXXIII. *Neoptolemus.*

NEoptolemus Achillis & Deidamiæ filius, ex Andromacha Eetionis filia, captiua, procreauit Amphialum. Sed poſtquam audiuit Hermionem ſponſam ſuam Oreſti eſſe datam in coniugium, Lacedæmonem venit, & à Menelao ſponſam ſuam petit. Cui ille fidem ſuam infirmare noluit, Hermionémque ab Oreſte adduxit, & Neoptolemo dedit. Oreſtes iniuria accepta, Neoptolemum Delphis ſacrificantem occidit, & Hermionem recuperauit, cuius oſſa per fines Ambracię ſparſa ſunt, quæ eſt in Epiri regionibus.

## CXXIIII. *Reges Achiuorum.*

PHoroneus Inachi filius, Argus Iouis filius, Peranthus Argi filius, Triops Peranthi filius, Pelagus Agenoris filius, Danaus Beli filius, Tantalus Iouis filius, Pelops Tantali filius, Atreus Pelopis filius, Temenus Ariſtomachi filius, Thyeſtes Pelopis, Agamemnon Atrei, Ægiſthus Thyeſtis, Oreſtes Agamemnonis, Clytus Temenei filius, Aletes Ægiſthi, Tiſamenus Oreſtis, Alexander Euryſthei.

## CXXV. *Odyſſea.*

VLyſſes cum ab Illio in patriam Ithacam rediret, tempeſtate ad Ciconas eſt delatus, quorum oppidum Iſmarum expugnauit, prędámque ſociis diſtribuit. Inde ad Lothophagos, homines minime malos, qui Loton ex foliis flore procreatum edebant, idque ciuibus tantam ſuauitatem præſtabat, vt qui guſtabant, obliuionem caperent domi reditionis. Ad eos ſocij duo miſſi ab Vlyſſe, cum guſtarent herbas ab eis datas, ad naues obliti ſunt reuerti, quos vinctos ipſe reduxit. Inde ad Cyclopem Polyphemum, Neptuni filium. huic reſponſum erat ab augure Telemo Eurymi filio, vt caueret, ne ab Vlyſſe excæcaretur. Hic media fronte vnũ oculum habebat, & carnẽ humanã epulabatur. Qui poſtquam pecus in ſpeluncã redegerat, molem ſaxeam ingentẽ ad ianuã opponebat. Qui Vlyſſem cum ſociis incluſit, ſocióſque eis conſumere cœpit. Vlyſſes cum videret eius immanitati atque feritati reſiſtere ſe non poſſe, vino quod à † Marathone acceperat, eum inebriauit, ſéque Vtim vocari dixit. Itaque cum oculum eius trunco ardenti exureret, ille clamore ſuo cæteros Cyclopas conuocauit, eiúſque ſpelunca præcluſa dixit, Vtis me excæcat. Illi credentes eum deridendi gratia dicere, neglexerunt. At Vlyſſes ſocios ſuos ad pecora alligauit, & ipſe ſe ad arietem, & ita exierunt ad Æolum Hellenis filium, cui ab Ioue ventorum poteſtas fuit tradita. is Vlyſſem hoſpitio liberè accepit, folleſque ventorum ei plenos muneri dedit: ſocij verò aurum argentúmque credentes, cum accepiſſent, & ſecum partiri vellent, folles clam ſoluerunt, ventíque euolauerunt. Rurſum ad Æolum eſt delatus, à quo eiectus eſt, quod vide-

Marone.

batur Vlyſſes numen deorum infeſtum habere. Ad Læſtrygonas, quorum rex fuit Antiphates * deuorauit, nauesque eius vndecim confregit, excepta naue*qua ſociis eius conſumptis, euaſit in inſulam Ænariam ad Circen Solis filiam, quæ potione data homines in feras beſtias commurabat. ad quam Eurylochum cum viginti duobus ſociis miſit, quos illa ab humana ſpecie immutauit. Eurylochus timens, qui non intrauerat, inde fugit, & Vlyſſi nunciauit, qui ſolus ad eam ſe contulit: ſed in itinere Mercurius ei remedium dedit, monſtrauitque quomodo Circen deciperet. Qui poſtquam ad Circen venit, & poculum ab ea accepit, remedium Mercurij monitu coniecit, * enſemque ſtrinxit, minatus niſi ſocios ſibi reſtitueret, ſe eam interfecturum. Tunc Circe intellexit non ſine diuina voluntate deorum id eſſe factum: itaque fide data ſe nihil tale commiſſuram, ſocios eius ad priſtinam formam reſtituit, ipſa cum eodem concubuit, ex quo filios duos procreauit, †Nauſiphoum & Telogonum. Inde proficiſcitur, ad lacum Auernum, ad inferos deſcendit, ibíque inuenit Elpenorem ſocium ſuum, quem ad Circen reliquerat, interrogauitque eum quomodo eò perueniſſet. cui Elpenor reſpondit, ſe ebrium per ſcalam cecidiſſe, & ceruices fregiſſe: & deprecatus eſt eum, cum ad ſuperos rediſſet, ſepulturæ traderet, & ſibi in tumulo gubernaculum poneret. Ibi & cum matre Anticlia eſt locutus de fine errationis ſuæ. Deinde ad ſuperos reuerſus, Elpenorem ſepeliuit, & gubernaculum, ita vt rogauerat, in tumulo ei fixit. Tum ad Sirenas Melpomenes muſæ & Acheloi filias venit, quæ partem ſuperiorem mulieb rem habebant, inferiorem autem gallinaceam. Harum fatum fuit tandiu viuere, quandiu earum cantum mortalis audiens, nemo præteruectus eſſet. Vlyſſes monitus à Circe Solis filia, ſociis cera aures obturauit, ſeque ad arborem malum conſtringi iuſſit, & ſic præteruectus eſt. Inde ad Scyllam Typhonis filiam venit, quæ ſuperiorem corporis partem muliebrem, inferiorem ab inguine piſcis, & ſex canes ex ſe natos habebat: eaque ſex ſocios Vlyſſis, naue abreptos, conſumpſit. In inſulam Siciliam ad Solis pecus ſacrum vene-

*Videtur aliquid deeſſe.*

*Nauſithoū.*

*Videntur hic corrupta quædā quædam*

*etiam tranſcripta eſſe, noluimus tamen quicquam à vetuſto exemplari recedere.*

rat, quod ſocij eius cum coquerent in aheno, mugiebat: monitus id ne attingeret, ab Tireſia, & à Circe monitus Vlyſſes: itaque multos ſocios ob eam cauſam ibi amiſit. Ad Charybdínque perlatus† ter die obſorbebat, térque enictabant: eò monitu Tireſiæ præteruectus eſt. ſed ira Solis, quòd pecus eius erat violatum, cum in inſulam eius veniſſet, & monitu Tireſiæ vetuerit violari, cum Vlyſſes condormiret, ſocij inuolarunt pecus: itaque cum coquerent, carnes ex aheno dabant balatus, ob id Iouis nauem eius fulmine incendit. Ex his locis errans *a naufragio facto, ſociis amicis enatauit in inſulam *Aeæam, vbi Calypſo Atlantis filia nympha, quæ ſpecie Vlyſſis capta, anno toto eum retinuit, neque à ſe dimittere voluit, donec Mercurius Iouis iuſſu denũciauit Nymphæ, vt eum dimitteret. Et ibi facta rate Calypſo omnibus rebus ornatum eum dimiſit, eámque ratim Neptunus fluctibus diſiecit, quòd Cyclopem filium eius lumine priuauerat. ibi cum fluctibus iactaretur, Leucothoe, quam nos matrem Matutam dicimus, quæ in mari exigit æuum, baltheum ei dedit, quo ſibi pectus ſuum vinciret, ne peſſum abiret. quod cum feciſſet, enatauit. Inde in inſulam Phæacum venit, nudúſque ex arborum foliis ſe obruit, quâ Nauſicaa Alcinoi regis filia, veſtem ad flumen lauandum tulit. ille erepſit è foliis, & ab ea petit vt ſibi opem ferret. illa miſericordia mota, pallio eum operuit, & ad patrem ſuum eum adduxit. Alcinous hoſpitio liberaliter acceptum, doníſque decoratum, in patriam Ithacam dimiſit. ira Mercurij iterum naufragium fecit. poſt viceſimum annum, ſociis amiſſis, ſolus in patriam redit. & cum ab hominibus ignoraretur, domúmque ſuam attigiſſet, procos qui Penelopen in coniugium petebant, obſidentes vidit regiam, ſéque hoſpitem ſimulauit: & Eurvclia nutrix ipſius, dum pedes ei lauat, ex cicatrice Vlyſſem eſſe cognouit. poſtea procos Minerua adiutrice, cũ Thelemacho filio & duobus ſeruis interfecit ſagittis.

*Hæc in veteri exemplari in margine annotata erant.*

*Deioneus genuit Cephalum. Cephalus Archiũ, Archius Laertẽ, Laertes Vlyſſem, Vlyſſes ex Circe Telegonũ, ex Penelope Telemachũ: Telegon⁹ ex Penelope Vlyſsis cõiuge Ita.*

*lum,qui Itáliã ex ſuo nomine appellauit: è Telemacho La*
*tinus,qui Latinam linguam ex ſuo nomine cognominauit.*
*Homerus pro Arthio Laertis patre,Arceſiũ habet. Ouid.*
*tamen non Cephali ſed Iouis filium Arceſium facit.* †*a Ho*
*merus hanc inſulam Ogygiam vocat , & erant quoque in*
*vetusto ęxemplari quædam eraſa,& pro iis Acæam ab in-*
*docto aliquo ſuperinductum.*

CXXVI. *Vlyſſis cognitio.*

VLyſſes ab Alcinoo rege Nauſicæ patre cũ eſſet mu-
nerib.dimiſſus,naufragio facto nudus Ithacã perue
nit , ad quandã caſam ſuã,vbi erat nomine Eumæus ſy-
botes,hoc eſt ſubulcus pecoris, quem canis cũ agnoſce-
ret,& ei blãdiretur,Eumæus eũ nõ recognoſcebat:quo-
niã Minerua eũ , & habitũ eius cõmutauerat. Eumæus
eũ rogauit,vnde eſſet, & ille ait,ſe naufragio huc perue
niſſe.quẽ cùm paſtor interrogaret, an Vlyſſem vidiſſet:
dixit ſe comitem eius eſſe, & ſigna & argumenta cœpit
dicere.quem mox Eumęus caſa recepit,cibo potúq; ani-
mauit.quo cũ veniſſent famuli,miſſi ſolito more pecora
petitũ,& ille interrogaſſet Eumęũ qui eſſent:ait,poſt V-
lyſſis profectionem,cum iã tẽpus intercederet,proci Pe-
nelopem in coniugiũ petentes venerũt. quos illa cõdi-
tione ita differt,Cũ telam detexuero,nubam,quã inter-
diu detexebat,& ſic eos differebat,nũc autem illi cũ an-
cillis Vlyſſis diſcumbunt,&pecora eius conſumunt. Tũc
Minerua effigiem ſuam ei reſtituit. Subitò ſybotes vt vi-
dit Vlyſſem eſſe,tenens amplecténſque lachrymari cœ-
pit præ gaudio,& admirari quid eſſet illud quòd eũ im
mutauerat.Cui Vlyſſes ait,Craſtino die perduc me in re
giam ad Penelopem. Quem cum duceret, Minerua ei i-
terum faciẽ mendici transformauit. Quẽ cũ Eumæus ad μνιςῆρας.
*mneſteras perduxiſſet,& cũ ancillis diſcũberent,ait ad
illos: Habetis ecce alterũ mendicũ,qui cũ Iro vos dele-
ctet. Tunc *Melanthius vnus ex mneſteribus ait : Imò *Antinous.*
inter ſe luctentur,& victor accipiet ventriculũ farſum &
harũdinẽ,vnde victũ ei ciat:qui cũ luctati eſſent,& Vlyſ
ſes *iterũ aploſiſſet,atq; eũ eieciſſet,Eumæus in medi- *interram*
ci perſona Vlyſſem ad Eurycliã nutricẽ perduxit,dicitq;
eum ſociũ Vlyſſis fuiſſe,*cui cũ vellet,*Vlyſſes ei os cõ-
preſſit,atq; Penelopẽ & eã præmonuit,vt arcũ & ſagittas

eius daret procis, vt qui ex iis cum intendiſſet, eam vxorem duceret. quæ cum fecit *inter ſe certarent, & nemo †poſt intendere. Eumæus ait deridendi gratia, demus *non pateretur Melanthius qui erat *Eumæus arcum ſeni tradidit. Ille omnes procos confixit, excepto Melanthio ſeruo. is clam procis deprehenſus eſt, cui nares & brachia & reliquas partes membrorum minutatim ſecuit, atque † domum ſuam cum coniuge potitus eſt. ancillas autem ſuas iuſſit corpora eorum ad mare deferre, in quas rogatu Penelopes poſt cædem procorum Vlyſſes animaduertit.

*poſſet.* *domo ſua*

### CXXVII. *Telegonus.*

TElegonus Vlyſſis & Circes filius, miſſus à matre vt genitorem quæreret, tempeſtate in Ithacam eſt delatus: ibíque fame coactus, agros depopulari cœpit. Cum quo Vlyſſes & Telemachus ignari arma contulerunt. Vlyſſes à Telegono filio eſt interfectus: quod ei reſponſum fuerat, vt à filio caueret mortem. Quem poſtquam cognouit qui eſſet, iuſſu Mineruæ, cum Telemacho & Penelope in patriam redierunt, in inſulam † Aeacam ad Circen Vlyſſem mortuum deportauerunt, ibíq; ſepulturæ tradiderunt. eiuſdem Mineruæ monitu Telegonus Penelopen, Telemachus Circen duxerunt vxores. Circe & Telemacho natus eſt Latinus, qui ex ſuo nomine Latinæ linguæ nomen impoſuit. ex Penelope & Telegono natus eſt Italus, qui Italiam ex ſuo nomine denominauit.

*Æacam*

### CXXVIII. *Augures.*

AMycus Elati filius, Mopſus Ampyci filius, Amphiaraus Oeclei vel Apollinis filius, Tireſias Eurymi filius, Manto Tyreſiæ filia, Polydus Cœrani filius, Helenus Priami filius, Caſſandra Prami filia, Calchas Theſtoris filius, Theoclimenus + Theſtoris filius, † Telemus Protei filius, Telemus Eurymi filius, Sibylla Samia, alij Cymeam dixerunt.

*Polyphidæ, vt apud Homer. Odyſſ. o. TheonoeProtei filia, legendum puto, ex Helena Euripidis.*

### CXXIX. *Oeneus.*

LIber cum ad Oeneum Parthaonis filium in hoſpitium veniſſet, Althæam Theſtii filiam, vxorem Oenei adamauit. quod Oeneus vt ſenſit, voluntate ſua ex vrbe exceſſit, ſimulátque ſe ſacra facere, at Liber cum

*Fabula quæ hinc ad Marſyam vſque, hoc eſt, ad ca-*

Althęa concubuit, ex qua nata eſt Deianira. Oeneo autem ob hoſpitium liberale munerivitem dedit, monſtra uítque quomodo ſereret: fructúmque eius ex nomine hoſpitis Oenon vt vocaretur, inſtituit.

*pi. 65. ſequū tur, capi. ſus, & numero inſcripta non erant in veteri exemplo. quæ nos tamen ad indicem reſtituimus.*

## CXXX. *Icarius & Erigone.*

CVm Liber pater ad homines eſſet profectus, vt ſuorum fructuum ſuauitatem atque iucunditatem oſtenderet, ad Icarium & Erigonam in hoſpitium liberale deuenit, iis vtrem plenum vini muneri dedit, iuſſítque, vt in reliquas terras propagarent. Icarius plauſtro onerato cum Erigone filia & cane Mera in terram Atticam ad paſtores deuenit, & genus ſuauitatis oſtendit. Paſtores cum immoderatius biberent, ebrij facti, conciderunt: qui arbitrantes Icarium ſibi malum medicamẽtum dediſſe, fuſtibus eum interfecerunt. Icarium autem occiſum canis vlulans Mera, Erigonæ monſtrauit, vbi pater inſepultus iaceret. quò cum veniſſet, ſuper corpus parentis in arbore ſuſpendio ſe necauit. ob quod factum Liber pater iratus, Athenienſium filias ſimili pœna afflixit. De ea re ab Apolline reſponſum petierunt: quibus reſponſum eſt, quòd Icarij & Erigones mortem negle xiſſent. Quo reſponſo, de paſtoribus ſupplicium ſumpſerunt, & Erigonæ diem feſtum oſcillationis, peſtilentiæ, cauſa inſtituerunt, & vt per vindemiam de frugibus Icario & Erigonæ primùm † deliberarent, qui deorum voluntate in aſtrorum numerum ſunt relati. Erigone ſignum virginis, quam nos iuſtitiam appellamus: Icarius arcturus in ſideribus eſt dictus. Canis autem, Mera canicula.

*deliberarẽt*

## CXXXI. *Niſus.*

LIber cum in Indiam exercitum duceret, Niſo nutricio ſuo dum ipſe inde rediret, regni Thebani poteſtatem tradidit: ſed poſteaquam inde reuerſus eſt Liber, Niſus regno cedere noluit. Liber cum nutricio contendere noluit, paſſúſque eſt eum regnum obtinere, dum occaſio ſibi regni recuperandi daretur. Itaque poſt annum tertium cum eo redit in gratiam, ſimulátque in regno ſe ſacra facere velle, quæ Trieterica dicuntur, quoniam poſt tertium annum faciebat, militéſque muliebri ornatu pro Bacchis introduxit, & Niſum cepit, regnúm-

que ſuum recuperauit.

CXXXII. *Lycurgus.*

LYcurgus Driantis filius, Liberum de regno fugauit: quem cum negaret Deum eſſe, vinúmque bibiſſet, & ebrius matrem ſuam violare voluiſſet, tunc vites excidere eſt conatus, quòd diceret illud malum medicamentum eſſe, quod mentes immutaret. qui inſania ab Libero obiecta, vxorem ſuam & filium interfecit, ipſúmque Lycurgũ Liber pantheris obiecit in Rhodope, qui mons eſt Thraciæ, cuius imperium habuit. Hic traditur vnum pedem ſibi pro vitibus excidiſſe.

CXXXIII. *Hammon.*

LIber in India cum aquam quęreret, nec inueniſſet, ſubitò ex harena aries dicitur exiiſſe, quo duce Liber, cum aquam inueniſſet, petit ab Ioue vt eum in aſtrorum numerum referret, qui adhuc hodie æquinoctialis aries dicitur. In eo autem loco vbi aquam inuenerat, templum conſtituit, quod Iouis Hammonis dicitur.

CXXXIIII. *Tyrrheni.*

TYrrheni qui poſtea Tuſci ſunt dicti, cum pyraticam facerent, Liber pater impubis in nauem eorum conſcendit, & rogat eos, vt ſe Naxum deferrent. qui cum eum ſuſtuliſſent, atque vellent ob formam conſtuprare, Acetus gubernator eos inhibuit, qui iniuriam ab eis paſſus eſt. Liber vt vidit in propoſito eos permanere, remos in thyrſos commutauit, vela in pampinos, rudentes in hederam. deinde leones atqueantherę proſiluerunt: qui, vt viderunt, timentes in mare ſe præcipitauerunt, †quod & in mari in aliud monſtrum transfigurauit. nam quiſquis ſe præcipitauerat, in delphini effigiẽ transfiguratus eſt: vnde delphini Tyrrheni ſunt appellati, & mare Tyrrhenum eſt dictum. numero autem fuerunt duodecim, his nominibus: †Ethalides, Medon, Lycabas, Libys, Opheltes, † Melas, Alchimedon, Epopeus, Dictys, Simon, Acœtes. Hic gubernator fuit, quem ob clementiam Liber ſeruauit, † & Proteus.

*Ethalion Melanthus. ſic Ouid. li. 4.*

† *Hic in vetere exemplari omiſſus erat, quemadmodum apud Ouid. contrà Simonis nulla mentio fit.*

CXXXV. *Laocoon.*

LAocoon Acœtis filius † Anchiſæ frater, Apollinis ſacerdos, contra voluntatem Apollinis, cum vxorem duxiſſet, atque liberos procreaſſet, ſorte ductus vt ſacrum faceret Neptuno ad litus: Apollo occaſione data, à Tenedo per fluctus maris dracones miſit duos, qui filios eius Antiphantem & Thymbræum necarent. quibus Laocoon cum auxilium ferre vellet, ipſum quoque nexum necauerunt. Quod Phryges idcirco factum putarunt, quòd Laocoon haſtam in equum Troianum miſerit.

## CXXXVI. *Polyidus.*

GLaucus Minois & Paſiphaæ filius, dum ludit pila, cecidit in dolium melle plenum, quem cum parentes quęrerent, Apollinem ſciſcitati ſunt de puero. Quibus Apollo reſpondit: Monſtrum vobis natum eſt, quod ſi quis ſoluerit, puerum vobis reſtituet. Minos ſorte audita cœpit monſtrum à ſuis quęrere. cui dixerunt natũ eſſe vitulum, qui ter in die colorem mutaret per quaternas horas, primùm album, ſecundò rubeum, deinde nigrum. Minos autem ad monſtrum ſoluendum augures conuocauit. qui cum non inuenirentur, Polyidus Cœrani filius *Bizanti monſtrum demonſtrauit, cum arbori mori ſimilem eſſe. nam primùm album eſt, deinde rubrum, cum permaturauerit nigrum: tunc Minos ait ei, Ex Apollinis reſpõſo filiũ mihi oportet reſtituas. quod Polyidus dum auguratur, vidit noctuam ſuper cellam vinariam ſedentem, atque apes fugantem. augurio accepto, puerum exanimem de dolio eduxit. Cui Minos ait, Corpore inuento, nunc ſpiritum reſtitue. quod Polyidus cum negaret poſſe fieri, Minos iubet eum cum puero in monumẽto includi, & gladium poni. qui cum incluſi eſſent, drago repente ad corpus pueri proceſſit. † quod Polyidus æſtimans eũ velle conſumere, gladio repentè percuſſit, & occidit altera ſerpens parem quęrens, vidit eam interfectã, & progreſſa herbam attulit, atque eius tactu ſerpenti ſpiritũ reſtituit. Idémque Polyidus fecit qui cũ intus vociferarentur quidã, præteriens Minoi nunciauit, qui monumẽtũ iuſſit aperiri, & filiũ incolumẽ recuperauit, Polyidum cum multis muneribus in patriã remiſit.

*Quod pro quare, vt ſu- prà quoque*

## CXXXVII. *Merope.*

POlyphontes Meſſeniæ rex, Creſphontem Ariſtomachi filium cum interfeciſſet, eius imperium & Meropem vxorem poſſedit.

*Credo eundem eſſe qui à pauſa. Deiphontes dicitur. vide latius infra in Pentheo.*

## CXXXVIII. *Philyra, quæ in tiliam verſa eſt.*

SAturnus Iouem cum quæreret per terras, in Thracia cum Philyra Oceani filia, in equum conuerſus concubuit, quæ ex eo peperit Chironem centaurum, qui artem medicam primus inueniſſe dicitur. Philyra poſtquã inuſitatam ſpeciem ſe peperiſſe vidit, petit ab Ioue, vt ſe in aliquam ſpeciem commutaret: quæ in arborem Philyram, hoc eſt tiliam, commutata eſt.

## CXXXIX. *Curetes.*

POſtquã Opis Iouem ex Saturno peperit petit Iuno vt ſibi eum concederet, quoniam Saturnus Orcum ſub Tartara deiecerat, & Neptunum ſub vndas: quòd ſciret, ſi quis ex eo natus eſſet, ſe regno priuaret. Qui cum Opẽ rogaret, † vt eſſet quod illa peperiſſet, illa lapidem inuolutum oſtendit, eum Saturnus deuorauit. Quod cum ſenſiſſet, cœpit Iouem quærere per terras. Iuno autem Iouem in Cretenſi inſula detulit. Adamantæa pueri nutrix eum in cunis in arbore ſuſpendit, vt neque cœlo, neque terra, neque in mari inueniretur. & ne pueri vagitus exaudiretur, impuberes conuocauit, eíſque clypeola ænea & haſtas dedit, & iuſſit eos circum arborem euntes crepare, qui Græcè Curetes ſunt appellati. alij Corybantes dicuntur, hi autem Lares appellantur.

## CXL. *Python.*

PYthon Terræ filius, draco ingens. hic ante Apollinem ex oraculo in monte Parnaſſo reſponſa dare ſolitus erat. huic ex Latonæ partu interitus erat fato futurus. eo tempore Iouis cum Latona Poli filia concubuit. hoc cum Iuno reſciit, facit vt Latona ibi pareret, quò Sol non accederet. Python vbi ſenſit Latonam ex Ioue grauidam eſſe, perſequi cœpit, vt eam interficeret. At Latonam Iouis iuſſu ventus Aquilo ſublatam ad Neptunum pertulit. ille eam tutatus eſt: ſed ne reſcinderet Iunonis factum, in inſulam eam Ortygiam detulit, quã inſulam fluctibus cooperuit. Quòd cum Python eam non inueniſſet, Parnaſſum redit. At Neptunus inſulam

Ortygiam

Ortygiam in ſuperiorem partem retulit, quæ poſtea inſula Delus eſt appellata. ibi Latona oleam tenens, parit Apollinem & Dianam, quibus Vulcanus ſagittas dedit donum poſt diem quartum quàm eſſent nati, Apollo matris pœnas executus eſt. nam Parnaſſum venit, & Pythonem ſagittis interfecit, inde Pythius eſt dictus: oſſáque eius in cortinam coniecit, & in templo ſuo poſuit, ludóſque funebres ei fecit, qui ludi Pythia dicuntur.

### CXLI. *Sirenes.*

SIrenes Acheloi fluminis & Melpomenes Muſæ filiæ, Proſerpinæ raptu aberrantes ad Apollinis terram venerunt, ibíque Cereris voluntate, quòd Proſerpinæ auxilium non tulerant, volaticæ ſunt factæ. His reſponſum erat, tam diu eas victuras, quandiu cantantes eas audiens nemo eſſet præteruectus: quibus fatalis fuit Vlyſſes. aſtutia enim ſua cum præternauigaſſet ſcopulos, in quibus morabantur, præcipitarunt ſe in mare: à quibus locus Sirenides cognominatur, qui eſt inter Siciliam & Italiam.

### CXLII. *Pandora.*

PRometheus Iapeti filius, primus homines ex luto finxit. poſtea Vulcanus Iouis iuſſu ex luto mulieris effigiem fecit: cui Minerua animam dedit, cæteríque dij alius aliud donum dederunt, ob idq; Pandoram nominarunt. ea data in coniugium Epimetheo fratri: inde nata eſt Pyrrha. quæ mortalis dicitur prima eſſe creata.

### CXLIII. *Phoroneus.*

INnachus Oceani filius, ex Archia ſorore ſua procreauit Phoroneum, qui primus mortalium dicitur regnaſſe. Homines ante ſecula multa ſine oppidis legibúſque vitam exegerunt, vna lingua loquentes, ſub Iouis imperio. Sed poſtquam Mercurius ſermones hominum interpretatus eſt, vnde Hermeneutes dicitur eſſe interpres (Mercurius enim Græcè Hermes vocatur: idem nationes diſtribuit) tum diſcordia inter mortales eſſe cœpit, quod Ioui placitum non eſt. Itaque exordium regnandi tradidit Phoroneo, ob id beneficium quod Iunonis ſacra primus fecit.

### CXLIIII. *Prometheus.*

HOmines antea ab immortalibus ignem petebant, neque in perpetuum ſeruare ſciebant: quod poſtea Prometheus in ferula detulit in terras, hominibúſque monſtrauit quomodo cinere obrutum ſeruarent. Ob hanc rem Mercurius Iouis iuſſu deligauit eum in monte Caucaſo ad ſaxum clauis ferreis, & aquilam appoſuit, quæ cor eius exeſſet. quantum die ederat, tantum nocte creſcebat. hanc aquilam poſt triginta annos Hercules interfecit, eúmque liberauit.

### CXLV. *Niobe, ſiue Io.*

EX † Thronio & Cinnanati Apis & Nioba, hanc Iupiter mortalem primam compreſſit, ex ea natus eſt Argus, qui ſuo nomine Argos oppidum cognominauit. ex Argo & Euadne Crimus, Piranthus, & Baſus nati ex † Pirantho Callirhoe, Argus, Ariſtorides, Triopas hic* ex hoc Euriſabe Anthus, Pelaſgus, Agenor. ex Triope & Oreaſide Xanthus & Inachus, ex Pelaſgo Laris, ex Inacho & Argia Io. Hanc Iupiter dilectam compreſſit, & in vaccæ figuram conuertit, ne Iuno eam cognoſceret. id Iuno cum reſciuit, Argum, cui vndique oculi refulgebant, cuſtodem ei miſit. hunc Mercurius Iouis iuſſu interfecit. at Iuno formidinem ei miſit, cuius timore exagitata, coegit eam vt ſe in mare præcipitaret, quod mare Ionium eſt appellatum. inde in Scythiam transnauit, vnde Boſphorus fines ſunt dictæ. inde in Ægyptum, vbi parit Epaphum. Iouis cum ſciret ſuapte propter opera tot eam ærumnas tuliſſe, formam ſuam ei propriam reſtituit, deámque Ægyptiorúmq; eſſe fecit, quæ Iſis nuncupatur.

*† Phoroneo, ſic enim ex Pauſ. colligitur legendum eſſe, qui Argum φορωνέως θυγατριδοῦν vocat.*

*† Phorbante. Pauſan. ſic: ἄργου δὲ πείρασος γίνεται καὶ φόρβας, φόρβαντι δὲ τριόπας, τριόπα δὲ ἴασος καὶ ἀγήνωρ. ἰὼ μὲν οὖν ἰάσου θυγάτηρ. Vide in Argolic.*

### CXLVI. *Proſerpina.*

PLuton petit ab Ioue, vt Proſerpinam filiam eius & Cereris, in coniugium daret. Iouis negauit Cererem paſſuram, vt filia ſua in Tartaro tenebricoſo ſit: ſed iubet eum rapere eam, flores legentem in monte Ætna, qui eſt in Sicilia. in quo Proſerpina dum flores cum Venere & Diana & Minerua legit, Pluton quadrigis venit, & eam rapuit. quod poſtea Ceres ab Ioue impetrauit, vt dimidia parte anni apud ſe, dimidia apud Plutonem eſſet.

### CXLVII. *Triptolemus.*

CVm Ceres Proſerpinam filiam ſuam quæreret, venit ad † Eleuſinum regem, cui vxor † Cothonea puerum Triptolemum pepererat, ſéque nutricem lactantem ſimulauit. Hanc regina libens nutricem filio ſuo recepit. Ceres cum vellet alumnum ſuum immortalem reddere, interdiu lacte diuino alebat, clàm in igne obruebat. Itaque præterquã ſolebant mortales, creſcebat. & ſic fieri cum mirarentur, parentes eã obſeruauerunt: cum Ceres eũm vellet in ignem mittere, pater expauit. Illa irata Eleuſinum exanimauit, ab Triptolemo alumno ſuo æternum beneficium tribuit. nam fruges propagati * currum draconibus iunctum tradidit, quibus vehens orbem terrarum frugibus obſeuit. Poſtquam domum rediit † Peleus eum pro bene facto interfici iuſſit. ſed re cognita iuſſu Cereris Triptolemo regnum dedit, quod ex patris nomine † Eleuſinum nominauit: ſierique ſacrum inſtituit, quæ Theſmophoria Græcè dicuntur.

*Eleuſinus. Metanira hæc à Pauſ. dicitur, Triptolemi autem pater Celeus.*

*a Eleuſino.*

*Celeus vel Cepheus, vt Boccatius. Niſi quis malit Lyncium intelligere, de quo Ouidius.*

CXLVIII. *Vulcanus.*

VVlcanus cum reſciit Venerem cum Marte clàm concumbere, & ſe virtuti eius obſiſtere non poſſe, catenam ex adamante fecit, & circum lectum poſuit, vt Martem aſtutia deciperet. Ille cùm ad conſtitutum veniſſet, concidit cum Venere in plagas, adeò vt ſe exoluere non poſſet. id Sol cum Vulcano nunciaſſet, ille eos nudos cubantes vidit, deos omnes conuocauit, * viderunt ex eo Martem, id ni faceret, pudor terruit. Ex eo conceptu nata eſt Armonia, cui Minerua & Vulcanus veſtem ſceleribus tinctam muneri dederunt: ob quam rem progenies eorum ſcelerata extitit. Soli autem Venus ob indicium ad progeniem eius ſemper fuit inimica.

CXLIX. *Epaphus*

IVpiter Epaphum, quem ex Io procreauerat, Ægypto oppida communire, ibíque regnare iuſſit. Is oppidum primum Memphim, & alia plura conſtituit: & ex Caſſiopeia vxore procreauit filiam Libyen, à qua terra eſt appellata.

CL. *Titanomachia.*

POſtquam Iuno vidit Epapho ex pellice nato tantam regni poteſtatem eſſe, curat in venatu, vt Epaphus necetur: Titanóſque hortatur, Iouem vt regno pellant, & Saturno reſtituant. Hi cum conarentur in cœlum aſcendere, eos Iouis cum Minerua & Apolline & Diana præcipites in Tartarum deiecit. Atlanti autem, qui dux eorum fuit, cœli fornicem ſuper humeros impoſuit, qui adhuc dicitur cœlum ſuſtinere.

CLI. *Ex Typhone & Echidna nati.*

EX Typhone gigante & Echidna Gorgon, canis Cerberus triceps, draco qui mala Heſperidum trans oceanum ſeruabat, Hydra: quam ad fontem Lernæum Hercules interfecit: Draco qui pellem arietis Colchos ſeruabat: Scylla, quæ ſuperiorem partem mulieris inferiorem canis, & canes ſex ſe natos habebat: Sphinx, quæ in Bœotia fuit: Chimæra in Lycia, quæ priorem partem leonis figuram, poſteriorem draconis habebat, media ipſa Chimæra. ex Meduſa Gorgonis filia & Neptuno nati ſunt, Chryſaor, & equus Pegaſus: ex Chryſaore & Callirhoe, Geryon trimembris.

CLII. *Typhon.*

*al. Terra*

TArtarus ex Tartara procreauit Typhonem immani magnitudine, ſpeciéque portentoſa, cui centum capita draconum ex humeris enata erãt. hic Iouem prouocauit, ſi vellet ſecum de regno certare. Iouis fulmine ardenti pectus eius percuſſit. cui cum flagraret, montem Ætnam, qui eſt in Sicilia, ſuper eum impoſuit: qui ex eo adhuc ardere dicitur.

*Hoc caput in indice nõ numeratur.*

PHaeton Solis & Climenes filius, cum clàm patris currum conſcendiſſet, & altius à terrà eſſet elatus, præ timore decidit in flumen Eridanum. Hunc Iupiter cum fulmine percuſſiſſet, omnia ardere cœperunt. Iouis vt omne genus mortalium cum cauſa interficeret, ſimulauit id velle extinguere: amnes vndique irrigauit, omnéque genus mortalium interiit, præter Pyrrham & Deucalionem. at ſorores Phaethontis, quòd equos iniuſſu patris iunxerant, in arbores populos commutatæ.

CLIII. *Deucalion & Pyrrha.*

CAtaclyſmus, quod nos diluuium vel irrigationem dicimus, cum factum eſt, omne genus humanum

interiit, præter Deucalionem & Pyrrham, qui in montem Ætnam, qui altiſſimus in Sicilia eſſe dicitur, fugerunt. Hi propter ſolitudinem cum viuere non poſſent, petierunt ab Ioue, vt aut homines daret, aut eos pari calamitate afficeret. Tum Iouis iuſſit eos lapides poſt ſe iactare. quos Deucalion iactauit, viros eſſe iuſſit: quos Pyrrha, mulieres. ob eam rem Laos dictus: Las enim Græcè lapis dicitur.

### CLIIII. *Phaeton Heſiodi.*

PHaeton Clymeni Solis filij & Meropes nymphæ filius, quam Oceanitidem accepimus, cum indicio patris auum Solem cognouiſſet, impetratis curribus malè vſus eſt. nam cum eſſet propius terram vectus, vicino igni omnia conflagrarunt: & fulmine ictus, in flumen Padum cecidit. hic amnis à Græcis Eridanus dicitur, quem Pherecydes primus vocauit. Indi autem quòd calore vicini ignis ſanguis in atrum colorem verſus eſt, nigri ſunt facti. Sorores autem Phaetontis dum interitum deflent fratris in arbores ſunt populos verſæ. Horum lachrymæ, vt Heſiodus indicat, in electrum ſunt duratæ: Heliades tamen nominantur. ſunt autem, Merope, Helie, Aegle, Lampetie, Phœbea, Etherie, Dioxippe. Cygnus autem rex Liguriæ, qui fuit Phaetonti propinquus, dum deflet propinquum, in cygnum conuerſus eſt. is quoque moriens flebile canit.

### CLV. *Iouis filij.*

LIber ex Proſerpina, quem Titanes carpſerunt: Hercules ex Alcumena, Liber ex Semele Cadmi & Hermoniæ, Caſtor & Pollux ex Leda Theſtij filia, Argus ex Nioba Phoronei filia, Epaphus ex Io Inachi filia, Perſeus ex Danae Acriſij filia, Zethus & Amphion ex Antiopa Nictei filia: Minos, Sarpedon & Rhadamantus ex Europa Agenoris filia. Helena ex Pyrrhe Pimeti filia, Ethalion ex Protogenie Deucalionis filia, Dardanus ex Electra Atlantis filia, Lacedemon ex Taygete Atlantis filia, Tantalus ex Plutone Himantis filia, Aeacus ex Aegina Aſopi filia, † Aegippam ex capra Boëtis * Arcada ex Caliſto Lycaonis filia. † Etolus ex Protogenia Deucalionis filia. Piritous ex Dia Oenei filia.

Ægippana. Æthlius, ſic Pauſan. in Eliacis.

### CLVI. *Solis filij.*

CIrce ex Perſide Oceani filia , Paſiphae ex Clymene Oceani filia, Phaeton, Lampetie, Aegle, Phœbe.

*Videntur deeſſe quædam.*

CLVII. *Neptuni fi'ij.*

*Antas, Vt apud Pauſ. in Bœot.*

BOœtus † & Hellen ex Antiopa Æoli filia, Agenor & Bellerophon ex Eurynome Nyſi filia, Leuconoe Themiſtho Hipſei filia, † Rias ex Alcyone Atlantis filia, Abas ex Arethuſa Herilei filia, Ephoceus * ex Alcyone Atlantis filia: Belus, Actor, Dictys ex Agamede Augei filia: Euadne ex Lena † Leucippi filia, Megareus ex Oenope Epopei filia, Cygnus ex Calyce Hecatonis filia, Ericlimenus & Antheus ex Aſtiphile Phœnicis filia, Neleus & Pelias ex Tyro Salmonei filia, Euphemus & Lycus & Nyctæus ex Celæno Ergei filia, Peleus Arprites, *Ancæus, Mœpus ex Chiona Aquilonis filia. Amœmone*item. Cyclops Euphemus, Metus ex Melite Buſiris filia.

*a Alij Bœotum & Æoleum vocant, matrem autem Menalippam. b Calchinia habet Pauſan. in Corinth. ſed ex ea non Euadnem, ſed Peratum natum dicit.*

CLVIII. *Vulcani filij.*

PHilamnon, Cecrops, Erichthonius, Corynetes, Cercion, Philoctus*Pinther.

CLIX. *Martis filij.*

*Alij ex Harpina. Pauſ. Steropen Oenomai coniugem vocat.*

OEnomaus ex † Aſterope, Harmonia ex Venere, Leodoce ex Ce*Lycus, Diomedes, Thrax, Aſcalaphus, Ialmenus, Cycnus, Dryas.

CLX. *Mercurij filij.*

PRiapus, Echo, Antian, *Eurytus, Cephalus ex Creuſa Erichthei filia, Eureſtus, *Aptale, *Libye ex Libie Palamedis filia.

CLXI. *Apollinis filij.*

DElphus, Aſclepius ex Coronide Phlegyæ filia, Euripides ex Cleobula. Ilius ex Vrea Neptuni filia, Argeus ex Eubea Macarei filia, Philammon ex*Leuconoe Luciferi filia, Lycoreus ex nympha, Linus ex Vrania muſa, Ariſteus ex Cyrene Penei filia.

*Ouid. Chionem vocat, & Dædalio*

CLXII. *Herculis filij.*

Hillus ex Deianira, Tlepolemus ex Aſtyoche, Leu- *nis filiā Lu-*
cites Telephus ex Auge Alei filia, Leucippus The- *ciferi neptē*
romachus, † Leontiades, Archelous, Ophites, Deuca- *Creontiades*
lion, Euhenus, Lydus, & duodecim Theſpiades, quos ex
Theſpij regis filiabus procreauit.

CLXIII. *Amazones.*

Ocyale, Dioxippe Iphinome, Xanthe, Hippothœe,* *Otrere*
Orthrepte, Antioche, Laomache, Glauce, Agaue,
Theſeis, Hippolyte, Clymene, Polydora, Penthe-
ſilea.

*Apud Calabrum quoque in primo duodecim numerantur, ſed diuerſis nominibus.*

CLXIIII. *Athena.*

Inter Neptunum & Mineruam cum eſſet certatio, qui primus oppidum in terra Attica conderet, Iouem iudicem ſumpſerunt. Minerua quòd primùm in ea terra oleam ſeuit, quæ adhuc dicitur ſtare, ſecundum eam indicatum eſt. At Neptunus iratus, in eam terram mare cœpit irrigare velle. quod Mercurius Iouis iuſſu id ne faceret prohibuit. itaque Minerua ex ſuo nomine oppidum Athenas condidit, quod oppidum in terris dicitur primum eſſe conſtitutum.

Orpheus Eurydicem nympham amauit, quam ſono *Neque hæc*
citharæ mulcens vxorem duxit. Hanc Ariſteus paſtor *duo in indi-*
dum amans ſequitur, illa fugiens in ſerpentē incidit, & *ce ſignātur*
mortua eſt: poſtque maritus ad inferos deſcendit & legem accepit, ne eam conuerſus aſpiceret. quam conuerſus aſpiciens, iterum perdidit. Myrrha cum patrem ſuum amaret, inebriauit, & ſic cum eo concubuit. Quod pater reſciens, vtero plenam cœpit euaginato perſequi gladio. illa in arborem myrrham eſt conuerſa: quam pater gladio feriēs, Adonis exinde natus eſt, quem Venus diligens.*

*Deſunt reliqua.*

CLXV. *Marſias.*

Minerua tibias dicitur prima ex oſſe ceruino feciſſe, & ad epulum deorum cantatum veniſſe. Iuno & Venus cum eam irriderent, quòd & cæſia erat, & buccas inflaret, fœda viſa, & in cantu irriſa, in Idam ſyluā ad fontē venit: ibíque cātās in aqua ſe aſpexit, & vidit

ſe meritò irriſam: vnde tibias ibi abiecit, & imprecata eſt, vt quiſquis eas ſuſtuliſſet, graui afficeretur ſupplicio. quas Marſyas Oeagri filius paſtor vnus ex † turis inuenit, quibus aſſiduè commeletando, ſomnum ſuauiorem indies faciebat, adeò vt Apollinem ad citharæ cantum in certamen prouocaret: quò vt Apollo venit, Muſas iudices ſumpſerunt, & cum iam Marſyas inde victor diſcederet Apollo citharā verſabat, idémque ſon⁹ erat: quod Marſya tibiis facere non potuit. itaque Apollo victum Marſyan ad arborem religatū Scythæ tradidit, qui eum membratim ſeparauit, reliquum corpus diſcipulo Olympo ſepulturæ tradidit, è cuius ſanguine flumen Marſyan eſt appellatum.

*Satyris, forṡaſſe legendum.*

## CLXVI. *Erichthonius.*

VVlcanus Ioui cæteríſque diis ſoleas aureas ex adamante cum feciſſet, Iuno cum ſediſſet, ſubitò in aere pendere cœpis. quod cum ad Vulcanum miſſum eſſet, vt matrem quam ligauerat ſolueret, iratus quòd de cælo præcipitatus erat, negat ſe matrem vllam habere. Quem cum Liber Pater ebrium in concilio deorum adduxiſſet, pietati negare non potuit, tum optionem à Ioue accepit, ſi quid ab iis petiiſſet impetraret. tunc ergo Neptunus, quod Mineruæ erat infeſtus, inſtigauit Vulcanum, Mineruam petere in coniugium. Qua re impetrata, in thalamum cum veniſſet, Minerua monitu Iouis, virginitatem ſuam armis defendit, intérque luctandum ex ſemine eius quod in terram decidit, natus eſt puer, qui inferiorem partem draconis habuit: quem Erichthonium ideo nominarunt, quòd ἔρις græcè certatio dicitur, χθὼν autem terra dicitur. quem Minerua cum clam nutriret, dedit in ciſtula ſeruandum Anglauro Pandroſo & Herſe Cecropis filiabus. Hæ cùm ciſtulā aperuiſſent, cornix indicauit. illę à Minerua inſania obiecta, ipſæ ſe in mare præcipitauerunt.

## CLXVII. *Liber.*

LIber Iouis & Proſerpinæ filius à Titanis eſt diſtractus, cuius cor contritum Iouis Semele dedit in potionem. ex eo prægnans cum eſſet facta, Iuno in Beroen nutricem Semeles ſe commutauit, & ait: Alumna,

pete à Ioue,vt ſic ad te veniat, quemadmodum ad Iunonem, vt ſcias quæ voluptas eſt,cum dea concumbere. illa autem inſtigata petit ab Ioue,& fulmine eſt icta. ex cuius vtero Liberum exuit,& Nyſo dedit nutriendũ, vnde Dionyſus eſt appellatus,& Bimater eſt dictus.

CLXVIII. *Danaus.*

DAnaus Beli filius ex pluribus coniugibus,quinquaginta filias habuit,totidémque filios.frater Ægyptus, qui Danaum fratrem & filias eius interficere voluit,vt regnum paternum ſolus obtineret,filiis vxores à fratre popoſcit. Danaus re cognita,Minerua adiutrice, ex Africa Argos profugit.tunc primùm dicitur Minerua nauem feciſſe biproram,in qua Danaus profugeret. At Ægyptus vt reſciit Danaum profugiſſe, mittit filios ad perſequendum fratrem : & eis præcepit,vt aut Danaum interficerent,aut ad ſe non reuerterentur. Qui poſtquam Argos venerunt, oppugnare patruum cœperunt. Danaus vt vidit ſe eis obſiſtere non poſſe,pollicetur eis filias ſuas vxores, vt pugna abſiſterent. impetratas ſorores patrueles acceperunt vxores, quę patris iuſſu viros ſuos interfecerunt. Sola Hypermeſtra Lynceum ſeruauit. ob id cæteræ dicuntur apud inferos in dolium pertuſam aquam ingerere. Hypermeſtræ & Lynceo fanum factum eſt.

CLXIX. *Amymone.*

AMymone Danai filia,dum ſtudioſè in ſylua venatur, Satyrum iaculo percuſſit: eam Satyrus voluit violare.Illa Neptuni fidem implorauit. quò Neptunus cum veniſſet,Satyrum abegit,& ipſe cum ea concubuit. ex quo conceptu naſcitur Nauplius. Id in quo loco factum eſt,Neptunus dicitur fuſcina percuſſiſſe terram,& inde aquam profluxiſſe,qui Lernæus fons dictus eſt, & Amymonium flumen.

Amymone Danai filia miſſa eſt à patre aquam petitum ad ſacrum faciendum:quæ dum quærit,laſſitudine obdormiit: quam Satyrus violare voluit. illa Neptuni fidem implorauit.quod cum Neptunus fuſcinam in Satyrum miſiſſet,illa ſe in petram fixit. Satyrum Neptunus fugauit.qui cum quæreret in ſolitudine à puella, illa ſe aquatum miſſam eſſe dixit à patre: quam Neptunus

*Repetita eſt hæc fabula. nam in indice ſemel tantum ponitur.*

compreſſit. Pro quo beneficiũ ei tribuit, iuſsítque eius ſitſcinam de petra educere. quæ cũ eduxiſſet, & tres ſilani*, ſunt ſecuti, qui ex Amymonis nomine Amymonius fons appellatus eſt. ex qua compreſſione natus eſt Nauplius. Hic autem fons Lernæus eſt poſtea appellatus.

CLXX. *Filiæ Danai quæ quos occiderunt.*

IDea Antimachum, Philomela Panthium, Scylla Proteum, Phicomone Plexippum, Euippe Agenorem, Demoditas Chryſippum, Hyale Perium, Trite Enceladum, Damone Amyntorem, Hyppothoe Obrimum, Myrmidone Mineum, Euridice Canthum, Cleo Aſterium, Arcania Xanthum, Cleopatra Metalcem, Philea Philinam, Hyparete Protheonem, Chryſothemis Aſteriden, Pyrante Athamantem, Armoasbus * Glaucippe Niauium, Demophile Pamphilum, Antodice Clytum, Polyxena Ægyptum, Hecabe Dryantem, Achamantis, Echominum, Arſalte Ephialtem, Monuſte Euryſthenem, Amymone Midamum, Helice Euideam, Amoeme Polydectorem, Polybe Iltonomum, Helicta Caſſum, Electra Hyperantum, Eubule Demarchum, Daplidice Pugnonem, Hero Andromachum, Europome Atlitem, Pyrantis Plexippum, Critomedia Antipaphum, Pyrene Dolichum, Eupheno Hyperbium, Themiſtagora Podaſimum, Palæno Ariſtonon, Itea Antiochum, Erate Eudæmonem, Hypermeſtra Lynceum ſeruauit: qui, cum Danaus periſſet, primúſque Abas ei nunciaſſet, Lynceus circonſpiciens in templo quid ei muneri daret, caſu conſpexit clypeum quem Danaus conſecrauerat Iunoni, quem in iuuenta geſſerat: refixit, & donauit Abanti, ludóſque conſecrauit, qui quinto quôque anno aguntur, qui appellantur Aſpis en Argo. è quibus ludis curſoribus corona non datur, ſed clypeus. At Danaides poſt patris interitum, viros duxerunt Argiuos, è quibus qui nati ſunt appellati.

CLXXI. *Althæa.*

CVm Althæa Theſtij filia vna nocte concubuerunt Oeneus & Mars: ex quibus cum eſſet natus Meleager, ſubitò in regia apparuerunt Parcæ, Clotho,

Lacheſis, Atropos. Cui fata ita cecinerunt. Clotho di-
xit, eum generoſum futurum, Lacheſis fortem. Atro-
pos titionem ardentem aſpexit in foco, & ait: Tamdiu
hic viuit, quàm diu hic titio conſumptus non fuerit.
Hoc Althæa mater cum audiſſet, exiluit de lecto, at-
que titionem extinxit, & eum in regia media obruit fa-
talem, ne ab igni obrueretur.

### CLXXII. *Oeneus.*

OEneus Porthaonis filius, Ætoliæ rex, cum omni-
bus diis annua ſacra feciſſet, & Dianam præteriiſ-
ſet: ea irata, aprum immani magnitudine, qui agrum
Calydonium vaſtaret, miſit. Tunc Meleager Oenei fi-
lius ſe pollicetur cum delectis Græciæ ducibus ad eum
expugnandum iturum.

### CLXXIII. *Qui ad aprum Calydonium ierunt.*

CAſtor & Pollux Iouis filij, Veruſius* Mercurij,
Parthecion* Mercurij Thebis, † Aeſculapius A-
pollinis, Iaſon Aeſonis, Thebis, Alcon Martis, Thra-
cia. Euphemus Neptuni, Iolaus Iphicli, Lynceus &
Idas Apharei, Peleus Aeaci, Telamon Aeaci: Admetus
Pheretis, Laerta † Arcippa, Deucalion Minois, The-
ſeus Aegei, Plexippus: Ideus, Lynceus, Theſtij filij,
fratres Althææ: Hippotas Geryonis, * Cæneus Elati,
Mopſus Amyci, Meleager Oenei, Hyppaſſus Euryti,
Ancæus Lycurgi, Phœnix Amyntoris, Dryas Iapeti †
Euatimus, Alcon, Deuxippus, Hippocoon Amyci, *
Atlantes Pondæi. Quæ ciuitates auxilium miſerunt
Oeneo, † Tenerdos, Iolcos, Sparta, *Teurone, Meſ-
ſe, Perrhœbia, Phthia, Magneſta, *Salamin, Caly-
don, Theſſalia, Oechalia, Ithaca, Tegæa, Creta, Do-
lopea, Athenæ, Magneſia & Arcadia.

*Amphiaraus*

*Areeſij*

*Alij duos eã tum fratres Althææ faciunt, Plexippum & Toxeũ, quẽ hic corrupte puto Lynceũ dici.*

*a Thebæ, Argos, Pleuron.*

*a Legendum fortaſſis, Enaſimus Hippocoontis, Leucippus, Amyclæ, Atalanta Schœnei.*

### CLXXIIII. *Meleager.*

ALthęa Theſtij filia ex Oeneo peperit Meleagrũ. Ibi
in regia dicitur titio ardẽs apparuiſſe. huc Parcę ve
nerũt, & Meleagro fata cecinerũt, cũ tãdiu victurũ, quàm
diu is titio eſſet incolumis. Hunc Althæa in arca clauſũ
diligẽter ſeruauit. Interim ira Dianæ, quia Oeneus ſacra

annua ei non fecerat,aprum mira magnitudine qui agrũ Calydonium vaſtaret,miſit. quem Meleager cum delectis iuuenibus Græciæ interfecit,pellémque eius ob virtutem Atalantæ virgini donauit, quam Ideus, Plexippus.Lyncæus Althæę fratres eripere voluerunt.Illa cum Meleagri fidem implorаſſet, ille interuenit,& amorem cognitioni antepoſuit,auunculóſque ſuos occidit.Id Althæą mater audiuit;filium ſuum tantum facinus eſſe auſum:memórque Parcarum præcepti, Titionem ex arca prolatum in ignem coniecit. Ita dum fratrum pœnas vult exequi,filium interfecit. At ſorores eius, præter Gergon & Deianiram,flendo, deorum voluntate in aues ſunt transfiguratæ, quæ Meleagrides vocantur. At coniunx eius Alcyone mœrens in luctu deceſſit.

### CLXXV. *Agrius.*

AGrius Parthaonis filius, vt vidit Oeneum fratrem orbum liberis factum,egentem regno expulit, atque ipſe regnum poſſedit. Interim Diomedes Tydei filius & Deiphiles,Ilio deuicto,vt audiuit auum ſuum regno pulſum, peruenit in Ætoliam cum Sthenelo Capanei filio,& armis contendit cum † Opopa Agrij filio.quo interfecto,Agrium egentem è regno expulit, atque Oeneo auo ſuo regnum reſtituit.poſtque Agrius regno expulſus,ipſe ſe interfecit.

*Epopea.*

### CLXXVI. *Lycaon.*

AD Lycaonem Pelaſgi filium † Iouis in hoſpitium veniſſe dicitur, & filiam ejus Calyſto compreſſiſſe,ex quo natus eſt Arcas, qui ex ſuo nomine terræ nomen indidit. Sed Lycaonis filij Iouem tentare voluerunt,deus ne eſſet:carnem humanam cum cætera carne commiſcuerunt, idque in epulo ei appoſuerunt. Qui poſtquam ſenſit,iratus menſam euertit: Lycaonis filios fulmine necauit. eo loco poſtea Arcas oppidum communiuit,quod Trapezos nominatur. patrem Iupiter in Lupi figuram mutauit.

*Iupiter.*

### CLXXVII. *Calyſto.*

CAlyſto Lycaonis filia vrſa dicitur facta eſſe, ob iram Iunonis, quòd cum Ioue concubuit. Poſtea † Iouis in ſtellarũ numero retulit,quæ Septẽtrio appella-

*Iupiter.*

tur. quod ſignum loco non mouetur, neque occidit. Thetis enim Oceani vxor, nutrix Iunonis, prohibet eã in Oceanum occidere. Hic ergo ſeptentrio maior, de qua in Creticis verſibus:

*Túque Lycaoniæ mutatæ ſemine nymphæ*
*Quam gelido raptam de vertice Nonacrinæ*
*Oceano prohibet ſemper ſe tingere Thetis,*
*Auſa ſuæ quia ſit quondam ſuccumbere alumnæ.*

Hęc igitur vrſa à Græcis ἑλίκη appellatur. hæc habet ſtellas in capite ſeptem nõ claras, in vtraque aure duas, in armo vnam, in pectore claram vnam, in pede priore vnam in extrema, in extrema coxa claram vnam, in femine poſteriori duas, in pede extremo duas, in cauda tres, omnes numero viginti.

## CLXXVIII. *Europa.*

EVropa † Agriopes & Agenoris filia, Sidonia: hanc Iupiter in taurum conuerſus, à Sidone Cretam trãſportauit: & ex ea procreauit Minoem, Sarpedonem, Rhadamanthum. Huius pater Agenor ſuos filios miſit, vt ſororem reducerent, aut ipſi in ſuum conſpectum nõ redirent. Phœnix in Africam eſt profectus, ibíque remanſit: inde Afri Pœni ſunt appellati. Cilix ſuo nomine Ciliciæ nomen indidit. Cadmus cum erraret, Delphos deuenit: ibi reſponſum accepit, vt à paſtoribus bouem emeret, qui Lunæ ſignum in latere haberet, eúmque ante ſe ageret. vbi decubuiſſet, ibi fatum eſſe, eum oppidum condere, & ibi regnare. Cadmus ſorte audita, cum imperata perfeciſſet, & aquam quæreret, ad fontem Caſtalium venit, quem Draco Martis filius cuſtodiebat: qui cum ſocios Cadmi interfeciſſet, à Cadmo lapide eſt interfectus: dentéſque eius, Minerua monſtrante, ſparſit & arauit, vnde Spartæ ſunt enati. Qui inter ſe pugnarunt ex quibus quinque ſuperfuerunt, id eſt, Chthonius, Vdæus, Hyperenor, Pelorus, & Echion. ex boue autem quem ſequutus fuerat, Bœotia eſt appellata. *Argyropes.*

## CLXXIX. *Semele.*

CAdmus Agenoris & Agriopes filius ex Armonia Martis & Veneris filia procreauit filias quatuor, Semelen, Ino, Agauen, Autonoen, & Polydorum filium.

Jupiter Iouis cum Semele voluit concumbere. Quod Iuno cùm reſciit, ſpecie immutata in Beroen nutricem, ad eam venit, & perſuaſit, vt peteret ab Ioue, vt eodem modo ad ſe, quomodo ad Iunonem veniret: Vt intelligas, inquit, quæ ſit voluptas cum deo concumbere. Itaque Semele petiit ab Ioue, vt ita veniret ad ſe. Qua re impetrata,† Iupiter Iouis cum fulmine & tonitribus venit, & Semelem conflagrauit. ex vtero eius Liber eſt natus, quem Mercurius ab igne ereptum, Niſo dedit educandum. & græcè Dionyſus eſt appellatus.

## CLXXX. *Actæon.*

Actæon Ariſtei & Autonoes filius, paſtor Dianam lauantem ſpeculatus eſt, & eam violare voluit. Ob id irata Diana, fecit vt ei cornua in capite naſcerentur, & à ſuis canibus conſumeretur.

## CLXXXI. *Diana.*

Diana cùm in valle opaciſſima, cui nomen eſt Gargaphia, æſtiuo tempore fatigata ex aſſidua venatione, ſe ad fontem, cui nomen eſt Parthenius, perlueret, Actæon Cadmi nepos, Ariſtei & Autonoes filius, eundem locum petens ad refrigerandum ſe, & canes quos exercuerat, feras perſequens, in conſpectum deæ incidit: qui ne loqui poſſet, in ceruam ab ea eſt conuerſus. Ita pro ceruo laceratus eſt à ſuis canibus. quorum nomina, maſculi, Melamphus, Ichnobates, Echnobas, * Pamphagos, Dorceus, Oribaſus, Nebrophonos, Lelaps, Theron, Pterelas, Hylæus, Nape, Ladon, Pœme- Aello nis, Therodanapis, *Aura, Lacon, Harpyia, † Elion, Dromas, Thous, Canache, Cyprius, Sticte, Labros, Arcas, Agriodus, Tigris, Hilactor, Alce, Harpalus, Lyciſca, Melaneus, Lachne, Leucon. Item tres qui eum Gnoſius† cõſumpſerunt. fœminæ, Melanchœtes, Agre, Therodamas, Oreſiſtrophos. Item alii autores tradunt hæc nomina: Acamas, Syrus, Aeon, Stilbon, Agrius Charops, Aethon, Coran, † Boreas, Draco, Eudromus, Dromius, Zephyrus, Lampus, Hemon, Cyllopotes, Harpalicus, Machimus, Ichneus, Omelymphus, *Ocydromus, Borax, Ocythous, Pachitos, Obrimus: fœminæ, Argo, Aretuſa, Vrania, Theriope, Dinomache, Dioxippe, Echione, Gorgo, Cyllo, Arpyia, Lynceſte, Leæ-

ne, Lacena, Ocypote, Ocydrome, Oxyroe, Orias, Sagnos *Theriphone, Volatos, *Chedietros*.

CLXXXII. *Oceani filiæ.*

OCeani filiæ, Idothea, Althæa, Adraſta, alij dicunt Meliſſi filias eſſe, Iouis nutrices, quæ nymphæ Dodonides dicuntur. alij Naiades vocant: quarum nomina, Ciſſeis, Nyſa, Erato, Eriphia, Bromie, Polyhymno: hæ in monte Nyſa † munere alumni potitæ ſunt, qui Medeam rogauerat, & depoſita ſenectute in iuuenes mutatæ ſunt, conſecratæque poſteà inter ſidera, Hyades appellantur. alij tradunt vocitatas, Arſine, Ambroſie, Bromie, Ciſſeis, Coronis.

*a Videntur huic loco quædam deeſſe ſcilicet ex quibus intelligatur, Bacchum ab his nutritum eſſe, & eundem poſtea Medeam rogaſſe, vt nutrices ſuas ex vetulis in iuuenes mutaret. cuius rei etiam Ouid. meminit lib. 7. Metam.*

CLXXXIII. *Equorum Solis & Horarum nomina.*

EOs, † per hunc cœlum verti ſolet: † Æthyops, quaſi flammeus eſt, concoquit fruges. Hi funales ſunt mares: fœminæ, Locarie, Bronte, quæ nos tonitrua appellamus, Sterope, qua fulgitura. Huic rei autor eſt Eumelus Corinthius. Item quos Homerus tradit, Abrax, Aſlo *Therebeo. *Item quos Ouidius, Pyrois Eous, Aethon & Phlegon. Horarum verò nomina hæc ſunt, Iouis Saturni filij & Themidis filiæ, Titanaide, Auxo, Eunomia, Pheruſa, Caria, Odice, Euporie, Irene, Orteſie, Thallo. Alij autores tradunt decem his nominib. Auge, Anatole, Muſia, Gymnaſia, Nimphes, Meſembria, Sponde, Elete, Acte, & Hecypris, Dyſis

*Eous.* *Aethon.*

CLXXXIIII. *Pentheus & Agaue.*

PEntheus Echionis & Agaues filius, Liberum negauit deum eſſe, nec myſteria eius accipere voluit. Ob hoc eum Agaue mater cum ſororibus Ino & Autonoe, per inſaniam à Libero obiectam membratim laniauit. Agaue, vt ſuæ mentis compos facta eſt & vidit ſe Liberi impulſu tantum ſcelus admiſiſſe, profugit ab Thebis, atque errabunda in Illyriæ fines deuenit, ad Licoterſen Regem, quam Licoterſes excepit. Cum qua Polyphontes, occiſo Creſphonte, regnum occu-

*Hunc poſtea ex inſidiis occidit, vt infrà ca. ccxl.*

pauit. filium autem eius infantem Merope mater, quem ex Creſphonte habebat, abſconſe ad hoſpitem in Aetoliam mandauit. Hunc Polyphontes maxima cum induſtria quærebat, aurúmque pollicebatur, ſi quis eum necaſſet. Qui poſtquam ad puberem ætatem venit, capit conſilium, vt exequatur patris & fratrum mortem. Itaque venit ad regem Polyphontem, aurum petitum, dicens ſe Creſphontis interfeciſſe filium & Meropis, Telephontem. Interim rex eum iuſſit in hoſpitio manere, vt amplius de eo perquireret. qui cum per laſſitudinem obdormiſſet, ſenex qui inter matrem & filium internuncius erat, flens ad Merobem venit, negans eum apud hoſpitem eſſe, nec comparere. Merobe credens eũ eſſe filij ſui interfectorem, qui dormiebat, in Chalcidicũ cum ſecuri venit, inſcia, vt filium ſuum interficeret. quem ſenex cognouit & matrem ab ſcelere retraxit. Merope poſtquam † venit occaſionem ſibi datam eſſe, ab *videt* inimico ſe vlciſcẽdi, redit cum Polyphonte in gratiam. Rex lætus cum rem diuinam faceret, hoſpes falſo ſimulauit ſe hoſtiam percuſſiſſe, eúmque interfecit, patriúmque regnum adeptus eſt.

*a De Creſphonte ac Merope, & aliis, conſimilia narrat Pauſanias in Meſſenicis, qui illum Meſſeniæ, non Illyrici regem facit. Et ſuprà quoque Meſſeniæ regem Polyphontẽ Hyginus vocat.*

## CLXXXV. *Atalanta.*

SChœneus Atalantam filiam virginem formoſſimam dicitur habuiſſe, quæ virtute ſua curſu viros ſuperabat. ea petiit à patre, vt ſe virginem ſeruaret. Itaque cum à pluribus in coniugium peteretur, pater eius ſimultatẽ conſtituit, qui eam ducere vellet, prius in certamine, curſu cum ea cõtenderet, termino conſtituto, vt ille inermis fugeret, hæc cum telo inſequeretur: quem infra finem termini conſtituta * fuiſſet, interficeret, cuius caput in ſtadio fieret. Pleróſque cum ſuperaſſet, & occidiſſet nouiſſimè ab Hippomene Megarei & Meropes filio victa eſt. Hic enim à Venere mala tria inſignis formæ acceperat, edoctus quis vſus in eis eſſet. Qui in ipſo certamine iactando puellæ impetum alligauit. illa

enim

enim dum colligit, & ammiratur aurum, declinauit. & iuueni victoriam tradidit. Cui Schœneus ob induſtriam libens filiam ſuam dedit vxorem. Hanc cum in patriam duceret, oblitus beneficio Veneris ſe viciſſe, gratias ei nō egit. Irata Venere in monte Parnaſſo cum ſacrificaret Ioui victori, cupiditate incenſus, cum ea in fano concubuit. quos Iupiter ob id factum in leonem & læ nam cōuertit, quibus dij concubitum Veneris denegant.

*CLXXXVI. Melanippe.*

MEnalyppen Deſmontis filiam, ſiue Aeoli, vt alij poëtæ dicunt, formoſiſſimam Neptunus compreſſit, ex qua procreauit filios duos. Quod cum Deſmontes reſciſſet, Melanippen excæcauit, & in munimento concluſit: cui cibum atque potum exiguum præſtari iuſſit, infantes autem feris proiici. Qui cum proiecti eſſent, vacca lactans veniebat ad infantes, & vbera præſtabat. Quod cum armentarij vidiſſent, tollunt eos vt educarent. Interim Metapontus rex Icariæ à coniuge Theano petebat, vt ſibi liberos procrearet, † vt regno cederet. illa timens mittit ad paſtores, vt infantem aliquem explicarent, quem regi ſubderet. qui miſerunt duos inuentos, ea regi Metaponto pro ſuis ſuppoſuit. Poſtea autem Theano ex Metaponto peperit duos. Cum autem Metapontus priores valde amaret, quòd formoſiſſimi eſſent, Theano quærebat vt eos tolleret, & filiis ſuis regnum ſeruaret. Dies aduenerat, vt Metapontus exiret ad Dianam Metapontinam ad ſacrum faciendum. Theano occaſionem nacta, indicat filiis ſuis eos ſuppoſiticios priores eſſe. Itaque cum in venatione exirent, eos cultris *interficite. Illi autem matris monitu cum in montem exiſſent, prælium inter ſe commiſerunt. Neptuno autem adiuuante, Neptuni filij vicerūt, & eos interfecerunt. quorum corpora cum in regia allata eſſent, Theano cultro venatorio ſe interfecit. Vltores autem Boëtus & Aeolus ad paſtores, vbi educati erant, confugerunt. Ibi Neptunus eis indicat, ex ſe eſſe natos, & matrem in cuſtodia teneri. Qui ad Deſmontem peruenerunt, eúmque interfecerunt, & matrem cuſtodia liberarunt, cui Neptunus lumen reſtituit, eam filij perduxerunt in Icariam ad Metapontum regem, &

*Menalippe ab aliis dicitur.*

*aut.*

*interficere iubet.*

indicant ei perfidiã Theanus. Poſt quæ Metapontus duxit coniugio Melanippen, eóſque ſibi filios adoptauit, qui in Propontide ex ſuo nomine condiderunt, Boetus Boetiam, Aeolus Aeoliam.

### CLXXXVII. *Alope.*

ALope Cercyonis filia, formoſiſſima cum eſſet, Neptunus eam compreſſit: qua ex compreſſione peperit infantem, quem inſcio patre nutrici dedit exponendum. Qui cum expoſitus eſſet, equa venit, & ei lac præſtabat. quidam paſtor equam perſequutus, vidit infantem, atque eum ſuſtulit, qui veſte regia indutum cum in caſam tuliſſet, alter compaſtor rogauit, vt ſibi eum infantem donaret. Ille ei donauit ſine veſte. cum autem inter eos iurgium eſſet, quòd qui puerum acceperat, inſignia ingenuitatis repoſceret, ille autem non daret, contendentes ad regem Cercyonem venerunt, & cõtendere cœperunt. Ille autem qui infantem donatum acceperat, repetere inſignia cœpit. quęcum allata eſſent, & agnoſceret Cercyon ea eſſe ex veſte ſciſſæ filiæ ſuæ: Alopes nutrix timens regis iudicium, fecit infantem eum Alopes eſſe, qui filiam iuſſit ad necem includi, infantem autem proiici. Quem iterum equa nutriebat. paſtores iterum inuentum infantem ſuſtulerunt, ſentientes eum deorum numine educari, atque nutrierunt, noménque ei impoſuerunt † Hippothoum. Theſeus cum ea iter faceret à Trœzene, Cercyonem interfecit. Hippothous autem ad Theſeum venit, regnáque auita rogauit. cui Theſeus libens dedit, cum ſciret Neptuni filium eſſe, vnde ipſe genus ducebat. Alopes autem corpus Neptuni in fontem commutauit, qui ex nomine Alopes eſt cognominatus.

*Hippothoon, vt Pauſ. in Atti.*

### CLXXXVIII. *Theophane.*

THeophane Byſaltidis filia, formoſiſſima virgo. Hanc cum plures proci peterent à patre, Neptunus ſublatam tranſtulit in inſulam † Crumiſſam. quod cum proci eam ſciſſent ibi morari, naue comparata * Crumiſſam contendere cœperunt. Neptunus vt eos deciperet, Theophanem in ouem cõmutauit formoſiſſimam, ipſe autem in arietem, ciues autem Crumiſſenſes in pecora. quò cum proci veniſſent, neque vllum hominem

*Cromiuſa*
*Cromiuſam*

inuenirent,pecora mactare cœperunt,atque ea victu cõſumere. Hoc Neptunus vt vidit,in pecora commutatos conſumi, procos in lupos conuertit: ipſe autem vt erat aries,cum Theophane concubuit: ex quo natus eſt aries Chryſomallus, qui colchos Phryxum vexit. cuius pellem Æeta in luco Martis habuit poſitam, quam Iaſon ſuſtulit.

CLXXXIX. *Procris.*

PRocris Pandionis filia. Hanc Cephalus Deionis filius habuit in coniugio: qui cùm mutuo amore tenerentur,alter alteri fidem dederunt, ne quis cum alio concumberet. Cephalus autem cum ſtudio venandi teneretur,& matutino tempore in montem exiſſet,Aurora Tithoni coniunx eum adamauit,petitque ab eo concubitum, cui Cephalus negauit, quòd Procri fidem dederat. Tunc aurora ait: Nolo vt fallas fidẽ,niſi illa prior fefellerit. Itaque cõmutat eũ in hoſpitis figuram,atque dat munera ſpecioſa quę Procri deferret. quò cũ Cephalus veniſſet,immutata ſpecie munera Procri dedit,& cũ ea concubuit. tunc ei Aurora ſpeciem hoſpitis abſtulit. Quæ cùm Cephalum vidiſſet, ſenſit ſe ab Aurora deceptam,& inde profugit in Cretã inſ. vbi Diana venabatur. Quã cum Diana conſpexiſſet,ait ei: Mecũ virgines venantur,tu virgo nõ es,recede de hoc*tu. cui Procris indicat caſus ſuos,& ſe ab Aurora deceptam. Diana miſericordia tacta,dat ei iaculum,quod nemo euitare poſſet,& canem Lælapen,quẽ nulla fera effugere poſſet: & iubet eam ire, & cum Cephalo * concedere. Ea capillis demptis,iuuenili habitu Dianæ voluntate ad Cephalum venit,eúmque prouocauit: quem in venatione ſuperauit. Cephalus,vt vidit tantam potentiam canis atque iaculi eſſe,petit ab hoſpite, nõ æſtimans coniugem ſuam eſſe, vt ſibi iaculum & canem venderet. illa negare cœpit. regni quoque partem pollicetur: illa negat. Sed ſi vtique,ait,perſtas id poſſidere, da mihi id quod pueri ſolent dare. Ille amore iaculi & canis incenſus, promiſit ſe daturũ. qui cum in thalamos veniſſent,Procris tunicam leuauit,& oſtendit ſe fœminam eſſe,& coniugem illius. cum qua Cephalus,muneribus acceptis, redit in gratiam. nihilominus illa timens Auroram, matutino

*Cœtu fortaſſe legendũ.*

*contenderẽ*

tempore ſecuta eum, vt obſeruaret, atque inter virgulta delituit. quæ virgulta cum Cephalus moueri vidit, iaculum ineuitabile miſit, & Procrin coniugem ſuam interfecit. ex qua Cephalus habuit filium *Archium, ex quo naſcitur Laertes, Vlyſsis pater.

*Arceſium, vt Homer. & Ouid.*

## CXC. *Theonoe.*

THeſtor habuit Calchantem filium, & Leucippen filiam, & Theonoen, quam ludentem à mari piratæ rapuerunt, & detulerunt in Cariam, quam rex Icarus ſibi in concubinatum emit. Theſtor autem filia amiſſa inquiſitum profectus eſt, qui naufragio in terram Cariam venit, & in vincula eſt coniectus, ibi vbi & Theonoe morabatur. Leucippe autem patre & ſorore amiſsis, Delphos petit * an eorum foret inueſtigatio. Tum Apollo reſpondit: Pro meo ſacerdote per terras vade, & eos reperies. Leucippe ſorte audita capillos totondit, atque pro iuuene ſacerdote circum terras exit inueſtigatum. Quæ cum in Cariam deueniſſet, & Theonoe eam vidiſſet, æſtimans ſacerdotem eſſe in amorem eius incidit, iubétque ad ſe perduci, vt cum eo concumberet. Illa autem quia fœmina erat, negat id poſſe fieri. Theonoe irata, iubet ſacerdotem includi in cubiculum, atque aliquem ex ergaſtulo venire, qui ſacerdotem interficeret. quem ad interficiendum mittitur ſenex Theſtor, imprudens ad filiam ſuam, †quam Theonoe non agnouit, dátque ei gladium, & iubet eum ſacerdotem interficere. Qui cum intraſſet, & gladium teneret, Theſtorem ſe vocitari dixit, duabus filiis Leucippe & Theonoe amiſsis: ad hoc exitium veniſſe, vt ſibi ſcelus imperaretur. quod ille in ſe cum conuertiſſet, & vellet ipſum ſe interficere, Leucippe audito patris nomine, gladium ei extorſit. Quæ ad reginam interficiendam vt veniret, patrem Theſtorem in adiutorio vocauit. Theonoe patris nomine audito, indicat ſe filiam eſſe eius. Icarus autem rex agnitione facta, cum muneribus eum in patriam remiſit.

*quem*

## CXCI. *Rex Midas.*

MIdas rex Mygdonius, filius Matris Deæ, à Timolo * ſumptus eo tempore quo Apollo cum Marſya vel Pane fiſtula certauit. quod cum * Timolus vi-

*Videtur nõnihil deeſſe.*

ctoriam Apollini daret, Midas dixit Marſyæ potius dandam. tunc Apollo indignatus, Midæ dixit: Quale cor in iudicando habuiſti, tales & auriculas habebis. quibus auditis effecit, vt aſininas haberet aures. Eo tempore Liber pater cum † exceptum in Indiam duceret, Silenus aberrauit. quem Midas exercitum hoſpitio liberaliter accepit, atque ducem dedit, qui eum in comitatum Liberi deduceret. At Midæ Liber pater ob beneficium, deoptãdi dedit poteſtatem, vt quicquid vellet peteret à ſe. Quo Midas petiit, vt quicquid tetigiſſet, aurũ fieret. quod cum impetraſſet, & in regiam veniſſet, quicquid tetigerat, aurum fiebat. Cum iam fame cruciaretur, petit à Libero, vt ſibi ſpecioſum donum eriperet. Quem Liber iuſſit in flumine Pactolo ſe abluere. cuius corpus aquam cum tetigiſſet, facta eſt colore aureo. Quod flumen nũc Chryſorrhoas appellatur in Lydia.

*Tmolus*

*exercitum*

CXCII. *Hyas.*

ATlas ex Pleione ſiue * Oceanitide duodecim filias habuit, & filium Hyantem: quem ab apro vel leone occiſum dum lugent ſorores, ab eo luctu conſumptæ ſunt. ex his quinque primæ inter ſidera relatæ, locum habent inter cornua tauri, Phæſyla, Ambroſia, Coronis, Eudoꝛa, Polyxo. quę à fratris nomine appellantur Hyades, eaſdem Latinè Suculas vocant: quidam aiunt in modum Y literæ poſitas, inde Hyadas dici. Nonnulli, quòd cum oriantur, pluuias efficiant, eſt autem Græcè † hyin pluere. Sunt qui exiſtiment ideo has in ſideribus eſſe, quòd fuerint nutrices Liberi patris, quas Lycurgus ex inſula Naxo eiiderat. Cæteræ ſorores poſtea luctu conſumptæ, ſidera facta ſunt: & quia plures erant Pleiades dictæ, nonnulli exiſtimant ita nominatas, quia inter ſe coniunctæ quod eſt † pleſion, † ideo autem confertæ ſunt, vt vix numerentur: ita nec vnquam vllius oculis certum eſt, ſex an ſeptem exiſtimentur. Earum nomina hæc ſunt, Electra, Alcyone, Celæno, Merope, Sterope, Taygeta & Maia: ex quibus Electrẽ negant apparêre, propter Dardanũ amiſſum, Troiámq; ſibi ereptam. alij exiſtimant Meropen † conſpicere erubeſcere, quia mortalem virum acceperit, cum cæteræ deos haberent. ob eamque rem de choro ſororum expulſa, mœrẽs crinem

*Legendum fortaſſis ex Æthra Oceanitide. ita enim Græcus autor Timaeus habet.*

*ὕειν*

*πλησίον*

*ita*

*conſpicẽ*

ſolutum gerit, quæ cometes appellatur: ſiue * longodes quia in longitudinem producitur: ſiue xiphax, quia gladij mucronis effigiem producit. ea autem ſtella luctum portendit.

*a λογχώδης fortaſſe, à ſpecie haſtæ, ſeu lanceæ, quales à Plinio Acontiæ dicuntur.*

CXCIII. *Harpalicus.*

HArpalicus rex Amymneorum Thrax cum haberet filiam Harpalicen, amiſſa matre eius vaccarum equarúmque eam vberibus nutriuit, & creſcentem armis exercuit, habiturus ſucceſſorem regni ſui. poſtmodum nec ſpes paternas puella decepit. nam tantum bellatrix euaſit, vt etiam ſaluti fuerit parenti. Nam reuertens à Troia Neoptolemus, cum expugnaret Harpalicum, grauíque eum vulnere affeciſſet, illa periturum patrem impetu facto conſeruauit, fugauítque hoſtem. Sed poſtea Harpalicus per ſeditionem ciuium interfectus eſt. Harpalice grauiter tum ferens patris mortem, contulit ſe in ſyluas: ibíque vaſtando iumentorum ſtabula, tandem concurſu paſtorum interiit.

CXCIIII. *Arion.*

*Gellius & Herodotus Periãdrum hunc vocãt.*

ARion Methymnæus, cum eſſet arte citharæ potens, rex * Pyranthus Corinthius eum dilexit: qui cum à rege petiiſſet, per ciuitatem artem ſuam illuſtrare, & magnum patrimonium acquiſiſſet, conſenſerunt famuli cum nautis, vt eum interficerent. cui Apollo in quietem venit, eíque dixit, vt ornatu ſuo & corona decantaret, & eis ſe traderet, qui ei præſidio veniſſent. quem cum famuli & nautæ vellent interficere, petit ab eis, vt antè decantaret. cùm autem citharæ ſonus & vox eius audiretur, delphini circa nauem venerunt. quibus ille viſis, ſe præcipitauit. qui eum ſublatum attulerunt Corinthum ad regem Pyranthum. qui cum ad terram exiſſet, cupid⁹ viæ, delphinum in mare non protulit, qui ibi exanimatus eſt. Qui cum caſus ſuos Pyrantho narraſſet, iuſſit Pyranthus delphinum ſepeliri, & ei monimentum fieri. Poſt paucum tempus nunciatur Pyrantho, nauem Corinthum delatam tempeſtate, in qua Arion vectatus fuerat. Quos cum perduci ad ſe imperaſſet, & de Arione inquireret, dixerunt eum obiſſe, & eum ſepulturæ tradidiſ-

ſe. Quibus rex reſpondit, Craſtino die ad delphini monimentum iurabitis. ob id factum eos cuſtodiri imperauit, atque Arionem iuſſit ita ornatum quomodo ſe præcipitauerat in monimento delphini mane deliteſcere. Cum autem rex eos adduxiſſet, iuſſiſſetque eos per delphini manes iurare Arionem obiſſe, Arion de monimento prodit. Quod illi ſtupentes, qua diuinitate ſeruatus eſſet, obmutuerunt. quos rex iuſſit ad delpini monimentum crucifigi. Apollo autẽ propter artem citharæ Arionem & Delphinum in aſtris poſuit.

### CXCV. *Orion.*

IOuis*, Neptunus, Mercurius in Thraciam ad † Byrſeum regem in hoſpitium venerunt: qui ab eo cùm liberaliter eſſent excepti, optionem ei dederunt, ſi quid peteret. Ille liberos optauit, Murcurius de tauro quem Hercules*Ypſeo ei immolarat, corium protulit. Illi in *eum vrinam fecerunt, & in terram obruerunt, vnde natus eſt Orion. Qui cum Dianam vellet violare, ab ea eſt interfectus. poſtea ob Ioue in ſtellarum numerum eſt relatus, quam ſtellam Oriontem vocant.

*Iupiter*
*Hyreum.*
*Apparet nõ nihil deeſſe.*
*id*

### CXCVI. *Pan.*

DIj in Ægypto cum Typhonis immanitatem metuerunt, Pan iuſſit eos vt in feras beſtias ſe conuerterent, quo facilius eum deciperent, quem *Iouis poſtea fulmine interfecit. Pan deorum voluntate, quòd eius monitu vim Typhonis euitarant, in aſtrorum numerum relatus: & quòd ſe in capram eo tempore conuerterat, inde Ægocerus eſt dictus, quem nos Capricornum dicimus.

*Iupiter*

### CXCVII. *Venus.*

IN Euphratem flumẽ de cœlo ouum mira magnitudine cecidiſſe dicitur, *quem piſces ad ripam euoluerunt: ſuper quod columbæ conſederunt, & excalefactum excluſiſſe, Venerem quæ poſtea dea Syria eſt appellata, & iuſtitia & probitate cum cæteros exuperaſſet, & ab Ioue optione data * piſces in aſtrorum numerum relati ſunt: ob id Syri piſces & columbas ex deorum numero habent, non edunt,

*quod*

### CXCVIII. *Niſus.*

NIſus Martis filius, ſiue vt alij dicunt Deionis filius, rex Megarenſium, in capite crinem purpureum habuiſſe dicitur. Cui reſponſum fuit, tam diu eum regnaturum, quàm diu eum crinem cuſtodiſſet. Quem Minos Iouis filius oppugatum cum veniſſet, à Scylla Niſi filia, Veneris impulſu, eſt amatus. quem vt victorem faceret, patri dormienti fatalem crinem præcidit. Itaque Niſus victus à Minoe eſt. Cum autem Minos Cretam rediret, eum ex fide data rogauit, vt ſecum aueheret. Ille negauit Creten ſanctiſſimam tantum ſcelus recepturã. illa ſe in mare præcipitauit, ne perſequeretur. Niſus autem dum filiam perſequitur, in auem halieton, id eſt, aquilam marinam conuerſus eſt. Scylla filia in piſcem Cirim quem vocant. hodiéque ſi quando ea auis eum piſcem natantem conſpexerit, mittit ſe in aquam, raptúmque vnguibus dilaniat.

### CXCIX. *Scylla altera.*

*Alij, inter quos etiam Homerus eſt, Scyllam à matre Craſſeda vocãt.*

SCylla Crateris fluminis filia virgo formoſiſſima dicitur fuiſſe. Hanc Glaucus amauit, Glaucus autem Circe Solis filia. Scylla autem cum aſſueta eſſet in mari lauari, Circe Solis filia propter Zelum, medicamentis aquam inquinauit. quo Scylla cum deſcendiſſet, ab inguinibus eius canes ſunt nati, atque ferox facta, quæ iniurias ſuas executa eſt. nam Vlyſſem prænauigantem cum ſociis ſpoliauit.

### CC. *Chione.*

CVm Chione, ſiue, vt alij poetæ dicunt, Philonide Dædalionis filia Apollo & Mercurius vna nocte concubuiſſe dicitur. ea peperit ex Apolline Philammonem, ex Mercurio Autolycum, quæ poſtea in venatione in Dianam eſt locuta ſuperbius. Itaque ab ea ſagittis eſt interfecta, at pater Dædalion vnicam filiam flendo, ab Apolline eſt conuerſus in auem dædalionem, id eſt accipitrem.

### CCI. *Autolycus.*

MErcurius Autolyco, ex Chione quem procreauerat, muneri dedit, vt furaciſſimus eſſet, nec deprehenderetur in furto: vt quicquid ſurripuiſſet, in quamcũque effigiem vellet, tranſmutaretur, ex albo in nigrũ, vel ex nigro in album, in cornutum ex mutilo, in muti-

lum ex cornuto. is cum Siſyphi pecus aſſiduè inuolaret, nec ab eo poſſet deprehendi, ſenſit eum furtum ſibi facere, quòd illius numerus augebatur, & ſuus minuebatur. qui vt eum deprehenderet, in pecorum vngulis notã impoſuit. qui cum ſolito more inuolaſſet, & Siſyphus ad eum veniſſet, & pecora ſua ex vngulis deprehendit, quę ille inuolauerat, & abduxit. qui cum ibi moraretur Siſyphus Anticliam Autolyci filiam compreſſit, quæ poſtea Laertæ data eſt in cõiugium, ex qua natus eſt Vlyſſes: ideo nonnulli autores dicunt † Ypſipylon. ob hoc Vlyſſes verſutus fuit.

CCII. *Coronis.*

Apollo cum Coronida Phlegyæ filiam grauidam feciſſet, coruum cuſtodem ei dedit, ne quis eam violaret. cum ea & † Chylus Elati filius concubuit: ob id ab Ioue fulmine eſt interfectus. Apollo Coronidem grauidam percuſſit, & interfecit, cuius ex vtero exectum Aſclepium educauit: at coruum qui cuſtodiam præbuerat, ex albo in nigrum commutauit.

*Siſyphium*

*Iſchys ab aliis hic dicitur.*

CCIII. *Daphne.*

Apollo Daphnen Penei fluminis filiam, cum virginem perſequeretur, illa à terra præſidiũ petit, quæ eam recepit in ſe, & in arborem laurum commutauit. Apollo inde ramum fregit, & in caput impoſuit.

CCIIII. *Nyctimene.*

Nyctimene † Epopei regis Leſbiorum filia, virgo formoſiſſima dicitur fuiſſe. hanc Epopeus pater amore incenſus compreſſit, quæ pudore tacta ſyluis occultabatur. quam Minerua miſerata, in noctuam transformauit, quæ pudoris cauſa in lucem non prodit, ſed noctu patet.

*Hyaclei alij*

CCV. *Arge.*

Arge venatrix cum ceruum ſequeretur, ceruo dixiſſe fertur: Tu licet Solis curſum ſequaris, tamen te conſequar. Sol iratus, in ceruam eam conuertit.

CCVI. *Harpalice.*

Clymenus Schœnei filius, rex Arcadiæ amore captus, cum Harpalice filia ſua concubuit. ea cum peperiſſet, in epulis filiam appoſuit patri. Clymenus patre cognita, Harpalicen interfecit.

## CCXIX. *Archelaus.*

*Deſiderantur hoc loco capita duodecim, vt ex indice apparet.*

ARchelaus Timeni filius exul, à fratrib. eiectus, in Macedoniam ad regem Ciſſeum venit. qui cum à finitimis oppugnaretur, Archelao regnum & filiam in coniugium dare pollicetur, ſi ſe ab hoſte tutatus eſſet Archelaus, qui ab Hercule eſſet oriundus. nam Timenus Herculis filius fuit, qui* hoſtes vno prælio fugauit, & ab rege pollicita petit. ille ab amicis diſſuaſus, fidē fraudauit eumq́ue per dolū interficere voluit, itaque foueā iuſſit fieri, & multos carbones eò incendi, & ſuper virgulta tenuia poni. quò cum Archelaus veniſſet, vt decideret, hoc regis ſeruus Archelao patefecit. qui re cognita dicit, ſe cum rege colloqui velle ſecretò, arbitris ſemotis Archelaus regem arreptum in foueam coniecit, atque ita eum perdidit, inde profugit ex reſponſo Apollinis in Macedoniam capra duce, oppidúmque ex nomine capræ Ægeas conſtituit. ab hoc Alexāder magnus oriundus eſſe dicitur.

## CCXX. *Cura.*

CVra cùm quendam fluuium tranſiret, vidit cretoſum lutum: ſuſtulit cogitabunda, & cœpit fingere hominem. Dum deliberat ſecum, quidnam feciſſet, interuenit† Iouis: rogat eum Cura, vt ei daret ſpiritum. quod facilè ab Ioue impetrauit. † qui cum vellet Cura, nomen ſuum imponere, * Iouis prohibuit: ſuúmque nomen ei dandum eſſe dixit. Dum de nomine Cura & *Iouis diſceptarent, ſurrexit & Telus ſuumq́ue nomen ei imponi debere dicebat, quandoquidem corpus ſuum præbuiſſet: ſumpſerunt Saturnum iudicem, quibus Saturnus ſecus videtur iudicaſſe, Tu*Iouis quoniam ſpiritum dediſti, corpus recipito: Cura quoniam prima eum finxit quam diu vixerit, Cura eum poſſideat. ſed quoniam de nomine eius controuerſia eſt, homo vocetur, quoniam ex humo videtur eſſe factus.

*Iupiter* *Iupiter* *Iupiter* * *cui*

## CCXXI. *Septem ſapientes.*

PIttachus Mitylenæus, Periander Corinthius, Thales Mileſius, Solon Athenienſis, Chilon Lacedæmonius, Cleobulus Lindius, Bias Prieneus. ſententiæ eorum ſunt:

*Optimus eſt, Cleobulus ait, modus, incola Lindi.*
*Ex Ephyra Periandre doces, cuncta & meditanda,*
*Tempus noſce, inquit Mitylenus Pittacus ortus.*
*Plures eſſe malos, Bias autumat ille Prieneus.*
*Mileſiúſque Thales ſponſori damna minantur.*
*Noſce, inquit, tete, chilon Lacædemonæ cretus.*
*Cecropiúſque Solon, nequid nimis, induperabit.*

CCXXII. *Septem Lyrici.*

* * *

CCXXIII *Septem opera mirabilia.*

EPheſi Dianæ templum, quod fecit Amazon Otrira Martis coniunx. Monimentum regis Mauſoli, lapidibus lychnicis altum pedes 80, circuitus pedes 1340. Rhodi ſignum ſolis æneum, id eſt coloſſus, altus pedibus 90. Signum Iouis Olympij, quod fecit Phidias ex ebore & auro ſedens, pedes 60. Domus Cyri regis in Ecbatanis, quam fecit Memnon lapidibus variis & candidis, vinctis auro. Murus in Babylonia, quem fecit Semiramis Dercetis filia, latere cocto & ſulphure, ferro vinctum, latum pedes 25. altum pedes 60. in circuitu ſtadiorum" 300. * Pyramides in Ægypto, quarum vmbra non videtur, altæ pedes 60.

*Plinius in circuitu paſſuũ fuiſſe 60000. ſcribit, qui ſtadia cõſtituunt. 480.*

CCXXIIII. *Qui facti ſunt ex mortalibus immortales.*

HErcules Iouis & Alcumenæ filius, Liber Iouis & Semelæ filius, Caſtor & Pollux Helenæ fratres, Iouis & Ledæ filij. Perſeus Iouis & Danaes filius, in ſtellas receptus. Arcas Iouis & Calyſto filius in ſtellas relatus. Ariadnem Liber pater liberam appellauit, Minois & Paſiphaes filiam. Calyſto Lycaonis filia in ſeptentrionem relata. Cynoſura Iouis nutrix, in alterum Septentrionem, Aſclepius Apollinis & Crodinis filius, Pan Mercurij & Penelopes filius. † Croton Panis & Euphemes filius, conlactius muſarum in ſtellam ſagittarium: Icarus & Erigone Icari filia in ſtellas, Icarus in arcturi, Erigone in virginis ſignum: Ganymedes Aſſaraci filius, in aquario duodecim ſignorum.

*Crotus*

Ino Cadmi filia in Leucothoam, quam nos Matrem Matutam dicimus. Melicertes Athamantis filius

in deum Palæmonem, Myrtilus Mercurij & Theobules filius in Heniochon.

CCXXV. *Qui primi templa deorum conſtituerunt.*

AEdem Ioui Olympo primũ fecit Pelaſgus Triopæ filius in Arcadia, Theſſalus templum quod eſt in Macedonia Iouis Dodonæi in terra Moloſſorum. Eleuther primus ſimulacrum Liberi patris conſtituit, & quemadmodum coli deberet oſtẽdit. Phoroneus Inachi filius, templum Argis Iunoni primus fecit. Otrira Amazon Martis coniunx templum Dianæ Epheſi prima fecit, quod poſtea à rege* reſtituerunt. Lycaon Pelaſgi filius templum Mercurio Cyllenio in Arcadia fecit. Pierius.

*Deſunt & hic duodecim capita, ut ex indice videre licet. Fortaſſe legendum, Calliſthenes Eubœam filiam &c. Schœnei, ut ſuprà quoque.*

CCXXXVIII. *Qui filias ſuas occiderunt.*

AGamemnon Atrei filius, Iphigeniam, quam Diana ſeruauit, id eſt * Calliſthenem Eubœæ filiam ex ſortibus pro patriæ ſalute. Climenus †Oenei filius, Harpalicem, quòd ei filium ſuum in epulis appoſuit. Hyacinthus Spariantidem * filiam ex reſponſo pro Athenienſibus. Erichtheus Pandionis filius, Colophoniam ex ſortibus pro Athenienſibus. Reliquæ ipſius ſorores ipſæ ſe præcipitauerunt. Cercyon Vulcani filius, Alopem propter inceſtum cum Neptuno: Aeolus Canacem propter inceſtum cum fratre Macareo admiſſum.

CCXXXIX. *Matres quæ filios interfecerunt.*

MEdea Æetæ filia, Macareum & Pheretum filios ex Iaſone: Progne Pandionis filia, Ityn ex Tereo Martis: Ino Cadmi filia, Melicerten ex Athamante Aeoli filio, dum eũm fugit: Althæa Theſtij filia, Meleagrum ex Oeneo Parthaonis filio, quòd is auunculos ſuos occiderat. Themiſto Hypſei filia * Plinthium & Orchomenum ex Athamante Aeoli filio impulſu Inûs Cadmi filiæ. Tyros Salmonei filia duos ex Siſypho Aeoli filio ex reſponſo Apollinis. Agaue Cadmi filia, Pentheum Echionis filium, impulſu Liberi patris. Harpalice Clymeni filia propter impietatem patris, quòd cum eo inuita concubuerat, ex eo quem concœperat interfecit.

*Hunc ſuprà Spincium vocauit.*

CCXL. *Quæ coniuges ſuos occiderunt.*

Clytæmneſtra Theſtij filia Agamemnonem Atrei filium. Helena Iouis & Ledæ filia Deiphobum Priami filium. Agaue Lycorherſen in Illyria, vt regnum Cadmo patri daret. Deianira Oenei filia Herculem Iouis & Alcumenæ filium impulſu Neſſi. Iliona Priami filia Polymneſtorem regem Thracum. Semiramis Ninum regem in Babylonia.

CCXLI. *Qui coniuges ſuas occiderunt.*

HErcules Iouis filius, Megæram Creontis filiam, per inſaniam: Theſeus Aegei filius, Antiopam Amazonam Martis filiam, ex reſponſo Apollinis: Cephalus Deionis ſiue Mercurij filius, Procridem Pandionis filiam imprudens.

CCXLII. *Qui ſe ipſi interfecerunt.*

AEgeus Neptuni filius in mare ſe præcipitauit, vnde Ægeum pelagus eſt dictum: Euhenus Herculis filius in flumen Lycormam ſe præcipitauit, quod nunc Chryſorrhoas appellatur. Aiax Telamonis filius, ipſe ſe interfecit propter armorum iudicium. Lycurgus Dryantis filius obiecta inſania à Libero, ipſe ſe interficit. Macareus Aeoli filius propter Canacem ſororem, id eſt ſpõſam, ipſe ſe interfecit. Agrius Parthaonis filius expulſus à regno à Diomede, ipſe ſe interfecit. Cæneus Elati filius ipſe ſe interfecit. † Menicus Iocaſtes pater ſe de muro præcipitauit * Athenis, propter peſtilentiam. Niſus Martis filius, crine fatali amiſſo ipſe ſe interfecit. *Menœtius* *Thebis*
Clymenus Cænei filius rex Arcadiæ ipſe ſe interfecit, quòd cum filia concubuerat. Cinyras Paphi filius rex Aſſyriorum, quod cum Smyrna filia concubuerat. Hercules Iouis filius ipſe ſeſe in ignem miſit, Adraſtus & Hipponous eius filius ipſi ſe in ignem iecerunt, ex reſponſo Apollinis. Pyramus in Babylonia ob amorem Thysbes ipſe ſe occidit. Oedipus Laij filius propter Iocaſtẽ matrem ipſe ſe occidit, ablatis oculis.

CCXLIII. *Quæ ſeipſæ interfecerunt.*

HEcuba Ciſſei filia, ſiue Dimantis, vxor Priami, in mare ſe præcipitauit, vnde Cynæum mare eſt dictum, quoniam in canem fuerat conuerſa. Ino Cadmi filia in mare ſe præcipitauit cũ Pſelicerte filio, Anticlia

Autolyci filia, mater Vlyſſis, nuncio falſo audito de Vlyſſe, ipſa ſe interfecit. Sthenobœa Iobatis filia, vxor Prœti, propter amorem Bellorophontis. Euadne Philaci filia, propter Capaneum coniugem qui apud Thebas perierat, in eandem pyram ſe coniecit. Æthra Pithei filia propter filiorum mortem ipſa ſe interfecit. Deianira Oenei filia propter Herculem decepta à Neſſo quòd ei tunicam miſerat, in qua conflagrauit. Laodamia Acaſti filia propter deſiderium Proteſilai mariti. Hippodamia † Oenei filia, vxor Pelopis, quòd eius ſuaſu Chryſippus occiſus eſt. Megæra Autolyci filia propter Hippothoi filii mortem. Alceſtis Pelei filia propter Admetum coniugẽ vicaria morte obiit. Iliona Priami filia propter caſus parentum ſuorum. Themiſto Hypſei filia impulſu Inûs, quòd filios ſuos occidit. Erigone Icari filia propter interitum patris ſuſpendio ſe necauit. Phædra Minois filia propter Hippolytum priuignum ſuum ſuſpendio ſe necauit, ob amorem. Phyllis, propter Demophoonta Theſei filium, ipſa ſe ſuſpendio necauit. Canace Aeoli filia propter amorem Macarei fratris, ipſa ſe interfecit. Byblis Mileti filia propter amorem Cauni fratris ipſa ſe interfecit. Calypſo Atlantis filia propter amorem Vlyſſis ipſa ſe interfecit. Dido Beli filia, propter Æneæ amorem ſe occidit. Iocaſta Menœci filia propter interitum filiorum & nefas. Antigona Oedipodis filia propter ſepulturam Polynices. Pelopea Thyeſtis filia, propter ſcelus patris. Thisbe Babylonia propter Pyramum, quòd ipſe ſe interfecerat. Semiramis in Babylonia equo amiſſo in pyram ſe coniecit.

*Oenomai.*

## CCXLIIII. *Qui cognatos ſuos occiderunt.*

THeſeus Aegei filius, Pallantem filium Nilei fratris: Amphitryon Electryonem † Perſi filium. Meleager Onei filius auunculos ſuos Plexippum & Agenorem, propter Athlantam Schœnei filiam. Telephus Herculis filius Hippothoum & Nerea auiæ ſuæ filios. Ægiſthus Atreum & Agamemnonẽ Atrei filios. Oreſtes Ægiſthũ Thyeſtis filium. Megapenthes Prœti filius, Perſeum Iouis & Danaes filium propter patris mortem. Abas propter patrem Lynceum Magapentheum occidit.

*Perſei.*

Phegeus Alphei filius, Alpheſibœæ filiæ ſuæ filiam. Amphiō Terei filius, aui ſui filios. Atreus Pelopis filius, Tantalum & Pliſthenem Thyeſtis filios infantes in epulis Thyeſti appoſuit. *Phillus Herculis filius, Sthenelum Electryonis proaui ſui fratrem. Medus Ægei filius, Perſen Æetæ fratrem Solis filiū. Dædalus Eupalami filius, Perdicen ſororis ſuæ filium, propter artificij inuidiam. *Hillus.*

*CCXLV. Qui ſoceros & generos occiderunt.*

IAſon Æſonis filius Phlegionam, *Pelops Tantali filius, Oenomaum Martis filium.

*Qui generos ſuos occiderunt.*

Plegeus Alphei filius, Alcmæonem Amphiarai filium. Idem & Eurypylum, Æeta Solis filius Phryxum Athamantis filium.

*CCXLVI. Qui filios ſuos in epulis conſumpſerunt.*

TEreus Martis filius ex Progne Ityn. Thyeſtes Pelopis ex Ærope, Tantalum & Pliſthenem. Clymenus Schœnei filius ex Harpalice filia, filium ſuum.

CCXLVII. *Qui à canibus conſumpti ſunt.*

ACtæon Ariſtei filius, * Thaſius, Deloami ſacerdotis Apollinis filius, ex eo Delo nullus canis eſt. Euripides tragœdiarum ſcriptor, † in templo conſumptus eſt. *Thaſus, vt apud Ouidiū in Ibin.*

CCXLVIII. *Qui ab apro percuſſi interierunt.*

ADonis Cinyræ filius, Ancæus Lycurgi filius à Calydonio. Idmon Apollinis filius, qui extra metam exierat cum Argonautis apud Lycum regem. *Hyon ab apro vel leone, Atlantis & Pleonis filius. *Hyas.*

CCXLIX. *Faces ſceleratæ.*

FAcem, quam ſibi viſa eſt parere Hecuba Ciſſei filia, ſiue Dymantis. Nauplij, ad ſaxa Capharæa, cum naufragium Achiui fecerunt. Helenæ, quam de muris oſtendit, & Troiam prodidit. Althææ, quæ Meleagrum occidit.

CCL. *Quæ quadrigæ rectores ſuos prodiderunt.*

PHaetonta Solis filium ex Clymene. Laomedonta Ili filium ex Leucippe. Oenomaum Martis filium ex Aſterie, Atlantis filia. Diomedem Atlantis filium, ex eadem. Hippolytum Theſei filiū ex Antiope Amazone.

Amphiaraum Oiclei filium ex Clytæmneſtra, Theſtij filia. Glaucum Siſyphi filium ludis funebribus, Pelian *equæ ſuæ cõſumpſerunt. Iaſonem Iouis filium ex Electra Atlantis filia. Salmoneus, qui fulmina in quadrigas ſedens imitabatur, cum quadriga fulmine ictus.

CCLI. *Qui licentia Parcarum ab inferis redierunt.*

CEres Proſerpinam filiam ſuam quærens, Liber pater ad Semelem matrem ſuam Cadmi filiam deſcẽdit. Hercules Iouis filius ad canem Cerberum educendum. Aſclepius Apollinis & Coronidis filius. Caſtor & Polux Iouis & Ledæ filij alterna morte redeunt. Proteſilaus Iphicli filius, propter Laodamiam Acaſti filiam. Alceſtis Pelei filia, propter Admetum coniugem. Theſeus Ægei filius, propter Pirithoum. Hippolytus Theſei filius, voluntate Dianæ, qui poſtea Virbius eſt appellatus. Orpheus Oeagri filius, propter Eurydicem coniugem ſuam. Adonis Cinyrę & Zmirnę filius, voluntate veneris. Glaucus Minois filius, reſtitutus à Polyido Carani filio. Vlyſſes Laertæ filius, propter patrem. Æneas Anchiſæ filius, propter patrem. Mercurius Maiæ filius, aſſiduo itinere.

CCLII. *Qui lacte ferino nutriti ſunt.*

TElephus Herculis & Auges filius ab cerua. Ægiſthus Thyeſtis & Pelopiæ filius ab capra. Æolus & Boetus Neptuni & Menalippes filij, à vacca. Hippothous Neptuni & Alopes filius, ab equa. Romulus & Remus Martis & Iliæ filij, ab lupa. Antilochus Neſtoris filius expoſitus in Ida monte, ab cane. Harpalice Harpalici regis Amymneorum filia, à vacca & equa. Camilla Metabi regis Volſcorum filia, ab equa.

CCLIII. *Quæ contra fas concubuerunt.*

IOcaſte cum Oedipo filio. Pelopea cum Thyeſte patre. Harpalice cum Glymeno patre. Hipponamia cum Oenomao patre. Procris cum Erichtheo patre, ex quo natus eſt Aglaurus. Nictymene cum Epopeo patre, rege Leſbiorum. †Menophrus cum Cyllene filia in Arcadia & cum Bliade matre ſua.

*Menephron, vt Ouid. 7. Met.*

CCLIIII. *Quæ piiſſimæ fuerunt, vel piiſſimi.*

ANtigona Oedipi filia, Polynicen fratrem ſepulturæ dedit. Electra Agamemnonis filia, in fra-

trem

trem Oreſtem. Iliona Priami filia, in fratrem Polydorum, & parentes. Pelopea Thyeſtis filia in patrem, vt eum vindicaret, Hypſipyle Thoantis filia patri, cui vitam conceſſit. Calciope filia patrem non deſeruit, regno amiſſo. Harpalice Harpalici filia, in bello patrem ſeruauit, & hoſtem fugauit. Erigone Icari filia, patre amiſſo, ſuſpendio ſe necauit. Agaue Cadmi filia, in Illyrica Lycotherſen regem interfecit, & patri ſuo regnum dedit. Xantippe † Myconi patri incluſo carcere, lacte ſuo alimentum vitæ præſtitit. Tyro Salmonei filia, propter patrem filios ſuos necauit. In Sicilia cùm Aethna mons primùm ardere cœpit, Damon matrem ſuam ex igne rapuit. Item † Pythia patrem. Æneas item in Ilio Anchiſem patrē humeris, & Aſcanium filiū ex incendio eripuit. *Cleops & Bitias Cidippe filij. Cidippe ſacerdos Iunonis Argiuæ, cùm boues in paſtionem miſiſſet, neque ad horam qua ſacra in monte ad templum Iunonis duci & fieri deberent, apparerent, & eſſent mortui: quæ niſi ad horam ſacra facta eſſent, ſacerdos interficiebatur. inter quam trepidationem Gleops & Bitias pro bobus ſub iugo ſe iunxerunt, & ad fanum ſacra, & matrem Cidippen in plauſtro duxerunt: ſacrificióque peracto, Cidippe precata eſt Iunonem, ſi ſacra eius caſtè coluiſſet, ſi filii aduerſus eam pij fuiſſent, vt quicquid bonum mortalibus poſſet contingere, id filiis eius contingeret. Precatione peracta plauſtrum & matrem filij domum reduxerunt, & feſſi ſomno acquieuerunt. At Cidippe diligenter agnouit nihil eſſe melius mortalibus quàm mori: & ob hoc obiit voluntaria morte.

*Cimoni, vt in vulgatis codicibus Valerij legitur lib. 5. cap. 4.*

*Anapias fortaſsis, & Amphinomus intelligendi, de quibus idem Valerius lib. 5. Cleobis & Biton ab Herodoto vocantur vide libro primo.*

## CCLV. *Quæ impiæ fuerunt.*

SCylla Niſi filia patrem occidit. Ariadne Minois filia fratrem & filios occidit. Progne Pandionis filia filiū occidit. Danaides coniuges ſuos patrueles occiderunt. Lemniades in Lemno inſula patres & filios occiderunt. Harpalice Clymeni filia, filium quem ex patris concubitu pepererat, occidit. Tullia Romanorum ſuper parentis corpus currum duxit, vnde vicus ſceleratus eſt dictus.

## CCLVI. *Quæ caſtiſſimæ fuerunt.*

PEnelope Icarij filia vxor Vlyſſis, Euadne Philacis filia coniunx Capanei, Laodamia Acaſti filia coniunx Proteſilai, Hecuba Ciſſei filia vxor Priami, Theonoe Theſtoris filia vxor Admeti. Romanorum Lucretia Lucretij filia, coniunx Collatini.

*CCLVII. Qui inger ſe amicitia iunctiſſimi fuerunt.*

PYlades Strophij filius cum Oreſte Agamemnonis filio. Pirithous Ixionis filius cum Theſeo Ægei filio. Achilles Pelei filius cum Patroclo Menœtij filio. Diomedes Tydei filius cum Sthenelo Capanei filio. Peleus Aeaci filius cũ Phœnice Amyntoris filio. Hercules Iouis filius cum Philocteta Pæantis filio. Armodius & Ariſtogiton more fraterno. In Sicilia Dionyſius tyrannus crudeliſſimus cum eſſet, ſuóſque ciues cruciatibus interficeret, Mœrus tyrannum voluit interficere: quem ſatellites cum deprehendiſſent, armatum ad regem perduxerunt. qui interrogatus, reſpondit ſe regem voluiſſe interficere. quem rex iuſſit crucifigi. à quo Mœrus petit tridui commeatum, vt ſororem ſuam nuptui collocaret, & daret tyranno Selinuntium amicum ſuum & ſodalem, qui ſponderet eum tertio die venturum. cui rex indulſit commeatum ad ſororem collocandam, dicítque rex Selinuntio, vt niſi ad diem Mœrus veniret, eum eandem pœnam páſſurum, & dimitti Mœrum. Qui collocata ſorore, cum reuerteretur, repente tempeſtate, & pluuia orta, flumen ita increuit, vt nec tranſiri nec tranſnatari poſſet. ad cuius ripam Mœrus conſedit, & flere cœpit, ne amicus pro ſe periret. Phalaris autem Selinuntiũ crucifigi cum iuberet, ideo quòd horæ ſex tertij iamdiei eſſent, nec veniret Mœrus. cui Selinuntius reſpondit, diem adhuc non præteriiſſe. Cúmque iam horæ nouem eſſent, rex iubet duci Selinuntium in crucem. Qui cum duceretur, vix tandem Mœrus liberato flumine, conſequitur carnificem, exclamátque à longè: Suſtine carnifex, adſum quem ſpopondi. Quod factum regi nunciatur. quos rex ad ſe iuſſit perduci, rogauítque eos, vt ſe in amicitiam reciperent, Armodius & Ariſtogiton, vitámque Mœro conceſſit, idem in Sicilia eundem Phalarim Armodius cum vellet interficere, ſimulationis cauſa

ſcropham porcellos habentem occidit, & venit ad Ariſtogitonem amicum ſuum enſe ſanguinolento, dicítque ſe matrem interfeciſſe, rogátque eum vt ſe celaret: qui cum ab eo celaretur, rogauit Ariſtogitonem, vt progrederetur, rumoréſque qui eſſent de matre ſibi renunciaret *nullos eſſe rumores: qui veſpere ita litem contraxerunt, vt alius alio potiora ingererent: nec ideò Ariſtogiton voluit obiicere, cum matrem interfeciſſe. Cui Armodius patefecit, ſe ſcropham porcellos habentem interfeciſſe, & ideò matrem dixiſſe: cui indicat ſe regem velle interficere: rogátque eum, vt ſibi adiutorio eſſet. qui cùm ad regem interficiendum veniſſent, deprehenſi ſunt à ſatellitibus armati. & cùm perducerētur ad tyrannum, Ariſtogiton à ſatellitibus effugit. Armodius autem ſolus cùm perductus eſſet ad regem, quærerént que ab eo quis ei fuiſſet comes, ille ne amicum proderet, linguam dentibus ſibi præcîdit, cámque regis in faciem inſpuit. Niſus cum Eurialo ſuo, pro quo & mortuus eſt.

*a Eadem de Damone & Pythia Valer. lib. 4. cap. 7. refert. Quanquam haud ſcio an hic quoque in propriis nominibus erratum ſit, quemadmodum ſuprà quoque.*

## CCLVIII. *Atreus & Thyeſtes.*

ATreus & Thyeſtes germani cùm in diſſenſione ſibi nocere non poſſent, in ſimulatā gratiam redierunt, qua occaſione Thyeſtes cum fratris vxore concubuit. Atreus verò ei filium epulando appoſuit: quæ ſol ne pollueretur, aufugit. Sed veritatis hoc eſt: Atreum apud Mycenas primùm ſolis eclipſim inueniſſe: cui inuidens frater, ex vrbe diſceſſit.

## CCLIX. † *Lyncus.*

LYncus rex * Siciliæ fuit, qui miſſum à Cerere Triptolemum, vt hominibus frumentum monſtraret, ſuſcepum hoſpitio, vt in ſe gloriam tantam migraret, interimere cogitauit. Ob quam rem irata Ceres, eum conuertit in lyncem varij coloris, vt ipſe variæ mentis extiterat.

*Lynceus aliy. Scythiæ fortaſſe: ſic enim & Boccatius legit.*

## CCLX. *Eryx.*

ERyx Veneris & Butæ filius fuit, qui occiſus ab Hercule eſt. monti ex ſepultura ſua nomen im-

poſuit, in quo Æneas Veneris templum conſtituit. in hoc autem monte dicitur etiam Anchiſes ſepultus, licet ſecundum Catonem ad Italiam venerit.

### CCLXI. *Agamemnon, qui ignarus Dianæ ceruam occidit.*

CVm de Græcia ad Aulidem Danai veniſſent, Agamemnon Dianæ ceruam occidit ignarus: vnde dea irata, flatus ventorum remouit. Quare cum nec nauigare poſſent, & peſtilentiam ſuſtinerent, conſulta oracula dixerunt, Agamemnonio ſanguine eſſe placandam Dianam. Ergo cum ab Vlyxe per nuptiarum ſimulationem, adducta Iphigenia in eo eſſet vt immolaretur, nûminis miſeratione ſublata eſt & cerua ſuppoſita, & tranſlata ad Tauricam ciuitatem, regi Thoãti tradita eſt, ſacerdóſque facta, * ductum ne Dianæ ſecundum conſuetudinem ſtatutam, humano ſanguine numen placaret, cognouit fratrem Oreſtem, qui accepto oraculo carendi * ſororis cauſa, cum amico Pylade Colchos petierat, & cum occiſo Thoante ſimulachrum ſuſtulit, abſconditum faſce lignorum, (vnde & faſcelis dicitur, notandum à face cum qua pingitur, propter quod & lucifera dicitur) & Ariciam detulit. Sed cum poſtea Romanis ſacrorum crudelitas diſpliceret, quanquam ſerui immolarentur, ad Laconas Diana tranſlata eſt, vbi ſacrificij conſuetudo adoleſcentum verberibus ſeruabatur, qui vocabantur Bomonicæ, quia * auri ſuperpoſiti contendebant, qui plura poſſet verbera ſuſtinere. Oreſtis verò oſſa de Aricia Romam tranſlata ſunt, & condita ante templum Saturni, quod eſt ante cliuum Capitolinum iuxta Concordiæ templum.

*Videtur deeſſe aliquid.*

*aris*

*Hîc iterum deſunt octo capita, vt videre eſt in indice.*

Iouis & Europæ filius, Cygnus alter Martis filius, quem idem Hercules occidit.

### CCLXX. *Qui formoſiſſimi fuerunt.*

IAſion * Illithij filius, quem Ceres dicitur amaſſe, quòd ipſum hiſtoriis creditur. Cinyras Paphi filius rex Aſſyriorum. Anchiſes Aſſaraci filius, quem Venus amauit. Alexander Paris Priami filius & Hecubæ, quem Helena ſecuta eſt. Nireus Charopis filius. Cephalus Pandionis filius, quem Aurora amauit. Tithonus

*Coriti alij. alij Minou.*

Laomedontis filius, Auroræ coniunx, Parthenopæus Meleagri & Atalantes filius, Achilles Pelei & Thetidis filius, Patroclus Menœtij filius, Idomeneus qui Helenam amauit. Theſeus Ægei & Aethræ filius, quem Ariadne amauit.

*Suprà Deionis filium dixit.*

CCLXXI. *Qui ephebi formoſiſſimi fuerunt.*

ADonis Cinyræ & Smyrnæ filius, quem Venus amauit. Endymio Ætoli filius, quem Luna amauit. Ganymedes Erichthonij filius, quem * Iouis amauit. Hyacinthus Oebali filius, quem Apollo amauit. Narciſſus Cephiſi fluminis filius, qui ſe ipſum amauit. Atlantius Mercurij & Veneris filius, qui hermaphroditus dictus eſt. Hylas Theodomantis filius, quem Hercules amauit. Chryſippus Pelopis filius, quem Theſeus ludis rapuit.

*Iupiter*

*Deeſt caput* CCLXXII. *De iis qui in Areopago cauſam dixerunt.*

CCLXXIII. *Qui primi ludos fecerunt, vſque ad Aeneam quintum decimum.*

* * *

QVinto loco Argis, quos fecit Danaus Beli filius, filiarum nuptiis cantu, vnde Hyemeneus dictus. Sexto autem iterum Argis, quos fecit Lynceus Ægypti filius, Iunoni Argiuæ, qui appellantur ἀσπιδαγῶνες: quibus ludis qui vicit, accipit pro corona clypeum, ideo quod Abas Lyncei & Hypermeſtræ filius nunciauit, Danaum parentibus periſſe, cui Lynceus de templo Iunonis Argiuæ detraxit clypeum † quod Danaus in iuuenta geſſerat, & Iunoni ſacrauerat, & Abanti filio muneri dedit. In his ludis qui ſemel vicit, & iterum deſcendit ad certamen, vt niſi iterum vincat, ſæpe deſcendat. Septimo autem loco Perſeus Iouis & Danaes filius, funebres Polydectæ nutritori ſuo in inſula Seripho, vbi cum luctatur, percuſſit Acriſium auum ſuum, & occidit. Itaque quòd ſua voluntate noluit, in deorum factus eſt numero. Octauo loco fecit Hercules Olympiæ gemnicos, Pelopi Tantali filio, in quibus ipſe contendit, pammachum quod nos pancratium vocamus, cum Acharco. Nono loco facti ſunt in Nemea Archemoro Lyci & Eurydices filio,

*quem*

quos fecerunt ſeptem duces qui Thebas ibant oppugnatum. in quibus ludis poſtea vicerunt curſu Eunæus & Deiphylus Iaſonis & Hypſipyles filij. his quoque ludis Pythaules, qui Pythia cantauerunt, ſeptem habuit palliatos: qui voce cantauerunt, vnde poſtea appellatus eſt Choraules. Decimo Iſthmia Melicertæ Athamantis filio & Inûs, feciſſe dicitur Eratocles, alii poetæ dicunt Theſeum. vndecimo fecerunt Argonautæ in Propontide Cyzico regi vnà cum filio, quem Iaſon imprudens noctu in litore occiderat, ſaltu, luctatione,& iaculo. Duodecimo, autem Argiuis,*quos fecit Acaſtus Pelei filius. his ludis vicerunt, Zethus Aquilonis filius dolichodromo, Calais eiuſdem filius diaulo, Caſtor Iouis filius ſtadio, Pollux eiuſdem filius ceſtu, Telamon Æaci filius diſco, Peleus eiuſdem luctatione,Hercules Iouis filius pammacho, Meleager Oenei filius iaculo, Cyhnus Martis filius armis occidit Pilum Diodoti filium, Bellerophontes vicit equo. Quadrigis autem vicit Iolaus Iphilci filius. Glaucum Siſyphi filium, quem equi mordici diſtraxerunt. Eurytus Mercurij filius ſagittis, Cephalus Deionis filius funda, Olympus Marſyæ diſcipulus tibiis, Orpheus Oeagri filius cithara, Linus Apollinis filius cantu, Eumolpus Neptuni filius ad Olympi tibias voce. Tertiodecimo fecit in Ilio Priamus cenotaphium Paridi, quem natum iuſſerat interfici, gymnicos, in quibus † certati ſunt curſu, Neſtor * Nerei filius, Helenus Priami filius, Deiphobus eiuſdem, Polites eiuſdem, Telephus Herculis filius, Cygnus Neptuni filius, Sarpedon Iouis filius,Paris Alexander paſtor Priami ignarus filius. vicit autem Paris, & inuentus eſt eſſe Priami filius. Quartodecimo Achilles Patroclo funebres, in quibus Aiax vicit lucta, &accepit lebetem aureum munus. deinde Menelaus vicit iaculo, & accepit muneri iaculum aureum. dimiſſo ſpectaculo eodem, Phrygas captiuas duodecim in rogum Patrocli & equum & canem coniecit. Quintodecimo fecit Æneas Veneris & Anchiſæ filius, in Sicilia ad Aceſten Criniſi fluminis filium, hoſpitem. Ibi Æneas patris ornauit exequias, ludicróque certamine honores

† certarunt.

debitos manibus ſoluit, in quibus primùm nauale certamen fuit de*Mneſtheo, nauis, Piſtris Gyas, nauis Chimęræ: Sergeſtus, nauis Centaurus. Vicit autem cum Cloanthus naui Scylla, & accepit præmium talentum argenti, auratam clamydem ex purpura intextum Ganymeden. Mneſtheus loricam adeptus eſt, Gygas abſtulit lebetas, cymbiáque argento cælata. Sergeſtus captiuam cum duobus filiis nomine Pholoen. Secundo deinde certamine † curſu, Niſus, Euryalus, Diores, Salius, Helimus, Panopes. vicit Euryalus, accepit præmium equum phalaris inſignem, ſecundo Helimus Amazoniam pharetram, tertio Diores galeam Argolicam, Salio exuuias leonis donauit, Niſo clypeum opus Didymaonis. Tertio deinde ceramen ceſtibus Dares & Entellus. vicit Entellus, accepit præmium taurũ, Dareti galeam & enſem tribuit. Quarto deinde certarunt ſagitta, Hypocoon, Mneſtheus, Aceſtes, Eurytion, qui accepit muneri galeam, quia iudicis* propter omne Aceſtæ honorẽ ceſſit. Quinto Aſcanio puero duce, luſerunt puer' Troiani.

*ſcilicet certarunt*

## CCLXXIIII. *Quis quid inuenerit.*

NOmine Ceraſſus vinum cum Acheloo flumine in Aetolia miſcuit, vnde miſcere κεράσαι eſt dictum. Antiqui autem noſtri in lectis triclinaribus in † pulchris capita aſellorum vite alligata habuerunt, ſignificantes* ſuauitatem inueniſſe. Caper autem vitem quam præroſerat, plenius fructum protulit, vndé etiam potationem inuenerunt. Pelethronius frenos & ſtratum equis primus inuenit. Bellona prima acum reperit, quæ Gręcè belone appellatur. Cadmus Agenoris filius æs Thebis primus inuentum condidit. † Sacus Iouis filius in Panchaia in monte Taſo aurum primus inuenit. † Indus rex in Scythia argentum primus inuenit, quod Erichthonius Athenas primùm attulit. Elide, quæ vrbs eſt in Peloponneſo, certamina quadrigarum primùm inſtituta ſunt. Midas rex, Cybeles filius Phryx, plumbum album & nigrum primus inuenit. Arcades res diuinas primi diis fecerunt. Phoroneus Inachi filius arma Iunoni primus fecit, qui ob eam cauſſam primus regnandi poteſtatem habuit. Chiron Centaurus Saturni filius, artem medicinam chirurgicam ex herbis

*fulcris*

*Cæacus, vt Polydorus de inuentoribus rerum. quãuis ille Cæaco non aurũ, ſed argentũ inuentum tribuit, vt etiã Cadmo non æs, ſed aurum.*

† Lycus forſaſſe. primus inſtituit. Apollo artem ocularíam medicinam primus fecit. Tertio autem loco Aſclepius Apollinis filius, Clinicen reperit. Antiqui obſtetrices non habuerunt, vnde mulieres verecundia ductæ interierant. Nam Athenienſes cauerant, ne quis ſeruus aut fœmina artem medicinam diſceret. Agnodice quædam puella virgo concupiuit medicinam diſcere, quæ cum concupiſſet, demptis capillis, habitu virili, ſe Hierophilo cuidã tradidit in diſciplinam. quæ cum artem didiciſſet, & fœminam laborantem audiſſet, ab inferiore parte veniebat ad eam: quæ cum credere ſe noluiſſet, æſtimans virum eſſe, illa tunica ſublata, oſtendebat ſe fœminam eſſe: & ita eas curabat. Quod cum vidiſſent medici, ſe ad fœminas non admitti, Agnodicen accuſare cœperunt, quod dicerent eum glabrum eſſe, & corruptorẽ earum, pro Quare & illas ſimulare imbecilitatem. † Quò cum Areopagitæ conſediſſent, Agnodicen damnare cœperunt. quibus Agnodice tunicam alleuauit, & ſe oſtendit fœminam eſſe. Et validius medici accuſare cœperunt, quare* tum fœminæ principes ad iudicium conuenerunt, & dixerunt: Vos coniuges non eſtis, ſed hoſtes: quia quæ ſalutem nobis inuenit, eam damnatis. Tunc Athenienſes legem emendarunt * vt ingenuæ artem medicinam diſcerent. Perdix Dædali ſororis filius* & circinum & ſerram ex piſcis ſpina reperit: Dædalus Eupalami filius, deorum ſimulacra primus fecit. Euhadnes, qui in Chaldea de mari exiſſe dicitur, aſtrologiam interpretatus eſt. Lydi ſurculis * lanam fecerunt, poſtea idem ſemen* Pan fiſtulæ cantum primus inuenit. In Sicilia frumentũ Ceres prima inuenit. Tyrrhenus Herculis filius tubam primus inuenit, hac ratione, quòd cùm carne humana comites eius veſcerentur, ob crudelitatem incolæ circa regionem diffugerunt. tunc ille quia ex eorum * deceſſerat, concha pertuſa buccinauit, & pagum conuocauit, teſtatique ſunt ſe mortuum ſepulturæ dare, nec cõſumere. Vnde tuba Tyrrhenum melos dicitur. Quod exemplum hodie Romani ſeruant: & cùm aliquis deceſſit, tubicines cantant, & amici conuocantur, teſtandi gratia, eum neque veneno, neque ferro interiiſſe. Cornicines autem claſſici inuenerunt. Afri & Ægyptij pri-

mum fuſtibus dimicauerunt, poſtea Belus Neptuni filius gladio belligeratus eſt, vnde bellum eſt dictum.

*CCLXXV. Oppida qui quæ condiderunt.*

IOuis in India Thebas Thebaidas, nomine nutricis ſuæ: quæ Hecatompylæ appellantur, ideo quòd centum portas habent. Minerua in Chalcide Athenas, quas ex ſuo nomine appellauit. Epaphus Iouis filius in Ægypto Memphim. Arcas Iouis filius, in Arcadia Trapezunta. Apollo Iouis filius Arnas* Eleuſinus Mercurij filius, Eleuſinem. Dardanus Iouis filius, Dardaniam. Argus Agenoris filius Argos, quæ * Cadmus Agenoris filius Thebas Heptapylas, quę ſeptem portas habuiſſe dicitur. Perſeus Iouis filius Perſeida. Caſtor & Pollux Iouis filij Dioſcorida. Medus Aegei & Medeæ filius, in Echatanis Medam. Nilus Solis filius, Carmentum * Liber in India Hammonem. Ephyre nympha Oceani filia Ephyren, quam poſtea Corinthum appellarunt. Sardo Stheneli filia Sardis. Gynaras Paphi filius, filiæ ſuæ nomine Smyrnam. Perſeus Iouis filius Mycenas. Semiramis Dercetis filia in Syria Babylonem.

*CCLXXVI. Inſulæ maximæ.*

MAuritania poſita ad ſolis occaſum in circuitu ſtadia lxxvj. Ægyptus in ſole & auſtro poſita, quem Nilus circumlauat, circuitu ſtadia * Sicilia in triſcelo* poſita, circuitu ſtadia xxxdlxx. * Sardinia in circuitu ſtadia xccl. Creta in longitudine * & oppida vtraque parte centum poſſidet circuitu ſtadia xxc. Cyprus poſita eſt inter Ægyptum & Africam, ſimilis ſcuto Gallico* circuitu ſtadia xlic. Rhodos in rotundo poſita, circuitu ſtadia xxc. Eubœa conſimilis arcui circuitu ſtadia xxcc. Corcyra, ager bonus, circuitu ſtadia xxc. Sicyon ager bonus, circuitu ſtadia mille centum. Tenedos inſula contra Ilium circuitu ſtadia mcc. Corſica, ager peſſimus, circuitu ſtadia mcxx. Cyclades inſulæ ſunt nouem, id eſt Andros, †Micos, Delos, †Tenedos, Naxos, Seriphus, Gyarus, †Tardos, †Rhene.

*Myconos, Tenos, Paros. Rheniā vocat Strabo libro decimo.*

*CCLXXVII. Rerum inuentores primi.*

PArcæ Clotho, Lacheſis, Atropos, inuenerunt literas græcas ſeptem Α.Β.Η.Τ.Ι.Υ. * Alij dicunt Mercu-

rium,ex gruum volatu: quæ cum volant, literas exprimunt. Palamedes autem Nauplij filius inuenit æquè literas vndecim* Simonides literas æquè quatuor † ω.ι.ζ. ρ. Epicharmus Siculus literas duas † π & ψ. Has autem Græcas Mercurius in Ægyptum primus detuliſſe dicitur, ex Ægypto Cadmus in Græciam, quas Euandrus profugus ex Arcadia in Italiam tranſtulit, quas mater eius Carmenta in Latinas commutauit numero xv.* Apollo in cithara, cæteras adiecit: idem Mercurius & palæſtram mortales primus docuit. Ceres fruges ſerere, boues domare, & alumno ſuo Triptolemo fruges ſerere demõſtrauit. qui cum ſeruiſſet, & ſus, id eſt porcus, quod ſeuerat effodiſſet, ſuam comprehendit, & duxit ad aram Cereris: & frugibus ſuper caput eius poſitis, eidem Cereri immolauit. Inde primùm inuentum eſt, ſuper hoſtias molam ſalſam imponere. Velificia primùm inuenit Iſis. nam dum quærit Harpocratem filium ſuum, rate velificauit. Minerua prima nauem biproram Danao ædificauit, in qua Ægyptum fratrem profugit.

alij ω.η.ζ.ψ

alij θ. & χ.

*Deſunt nonnulla.*

FINIS.

# CLARISSIMI VIRI, C. IVLII HYGINI, AVGVSTI LIBERTI POETICON ASTRONOMICON, Libri quatuor.

## *DE MVNDI ET SPHÆRÆ AC vtriuſque partium declaratione, Liber primus.*

### PROOEMIVM.

### HYGINVS M. Fabio S. P. D.

ETsi ſtudio Grammaticæ artis inductum, non ſolùm verſuum moderatione, quam pauci peruiderunt, ſed hiſtoriarum quoque varietate, qua ſcientia rerum perſpicitur, præſtare video, facilius etiam ſcriptis tuis perſpici poteſt, deſiderás potius ſcientem quàm liberalem iudicem: tamē quo magis exercitatus & nonnullis etiam ſæpius in his rebus occupatus eſſe videar, & ne nihil in adoleſcentia laboraſſe dicerer, & imperitorum iudicio deſidiæ ſubirem crimen, hoc velut rudimento ſcientiæ niſus, ſcripſi ad te. Non vt imperito monſtrans, ſed vt ſcientiſſimū commonens. Sphæræ figurationem, circulorúmque qui in ea ſunt notationem: & quæ ratio fuerit, vt non æquis partibus diuiderētur. Præterea terræ maríſq; diffinitionem, & quæ partes eius non habitantur, vt multis iuſtíſque de cauſis hominibus carere videantur, ordine expoſuimus. Rurſúſque redeuntes ad ſphærā, duo & 40. ſigna nominatim pernumerauimus. Exinde vniuſcuiuſque ſigni hiſtorias, cauſamque ad ſidera perlationis oſtendimus. Eodem loco nobis vtile viſum eſt perſequi eorum corporum deformationes, & in his numerum ſtellarum. Nec prætermiſimus oſtendere ad ſeptem circulorum notationem, quæ corpora aut partes corporum peruenirent, & quemadmodum ab his diuiderentur. Diximus

etiam in æſtiui circuli diffinitione, quærentes quare non idem hyemalis vocaretur: & quid eos fefellerit, qui ita ſenſerint. Et quid in ea parte ſphæræ ſolis efficiat curſus. Præterea quare circulos in octo partes diuideremus, ordine expoſuimus. Scripſimus etiam quo loco circulus æquinoctialis foret conſtitutus, & quid efficeret ad eum perueniens ſol. In eiuſdem circuli demonſtratione oſtẽdimus, quare Aries interſidera celerrimus diceretur. Pauca præterea de hyemali circulo dicimus. Exinde Zodiacum circulum diffiniuimus, & eius effectus: & quare potius 12. ſigna quàm 11. numerentur: quid etiam nobis de reliquis circulis videretur. His præpoſitis rebus, ad id loci venimus, vt exponeremus vtrum mundus ipſe cum ſtellis verteretur, an mundo ſtante vagæ ſtellæ ferrentur, & quid de eo nobis & compluribus videretur, quáque ratione ipſe mundus verteretur. Præterea quare nonnulla ſigna celerius exorta, ſerius occiderent: nonnulla etiã tardius cæteris exorta, citius ac occaſum peruenirent. Quare etiam quæ ſigna pariter oriantur, non ſimul occidant. Eodem loco diximus, quare nõ eſſent in ſphera, ſuperiora interiorib⁹ hemicycli æqualia, & quot modis ſtellas videre non poſſimus. præterea ſcripſimus in 12. ſignorum ortu, quæ de reliquis corpora exoriri, & quæ eodem tempore occidere viderentur. Deinde perſcripſimus vtrum ſol cum mundo fixus verteretur, an ipſe per ſe moueretur: & cum ipſe per ſe moueatur, & contra 12. ſignorum ortus eat, quare cum mundo exoriri & occidere. Deinde protinus de Lunæ curſu pauca propoſuimus, & vtrum ſuo an alieno lumine vteretur. Eclipſis ſolis & lunæ quomodo fieret: quare luna per eundem circulum iter faciens, celerius ſole currere videatur: & quid fefellerit eos qui ita ſenſerint. Quinque ſtellæ quantum habeant interuallum, & vtrum quinque an ſeptem ſint? & vtrum quinque certæ errent, an omnes: & quinque quomodo currant. Diximus etiam qua ratione priores Aſtrologi non eodem tempore ſigna & reliquas ſtellas reuerti dixerint, & quare metam diligentiſſimè obſeruaſſe videatur: & quid reliquos fefellerit in eadem cauſa. In his igitur tam multis & variis rebus nõ erit mirum aut pertimeſcendum, quod tãtum numerum

verſum ſcripſerimus: neque enim magnitudinem voluminis, ſed rerum multitudinem per nos cõuenit ſpectare. Quòd ſi longior in ſermone viſus fuero, non mea facunditate, ſed rei neceſſitate factum exiſtimato: nec ſi breuius aliquid dixero, minus idem valere confidito, quàm ſi pluribus eſſet audiendum verbis. Etenim præter noſtram ſcriptionem ſphæræ, quæ fuerunt ab Arato dicta obſcurius, perſecuti planius oſtẽdimus, vt penitus id quod cœpimus exquiſiſſe videremur. Quòd ſi vel optimis vſus authoribus effeci, vt neque verius, neque breuius diceret quiſpiam, non immeritò fuerim laudari dignus à vobis, quæ vel ampliſſima laus hominibus eſt doctis. Si minus, non deprecamur in hac confectione noſtram ſcientiam ponderari. Ideóque maioribus etiam niti laboribus cogitamus. in quibus & ipſi exerceamur, & quibus volumus nos probare quid poſſimus. Etenim neceſſariis noſtris hominibus ſcientiſſimis maximas res ſcripſimus, non leuibus occupati rebus, populi captamus exiſtimationem: ſed ne diutius de eo quod negligimus loquamur, ad propoſitum veniemus, & initium rerum demonſtrabimus.

## *De mundo & Sphæra.*

MVNDVS appellatur is qui conſtat ex ſole & luna & terra, & omnibus ſtellis. Sphæra eſt ſpecies quædam in rotundo conformata, omnibus ex partibus æqualis apparens, vnde reliqui circuli finiuntur. Huius autem neque exitus, neque initium poteſt definiri. Ideo quòd in rotundo omnes tractus & initia & exitus ſignificari poſſunt.

## *De Centro.*

CEntrum eſt, cuius ab initio circunductio ſphæræ terminatur, ac terræ poſitio conſtituta declaratur.

## *De Axi.*

DImenſio quæ totius oſtenditur ſphæræ eſt, cum ex vtriuſque partibus eius ad extremam circunductionem rectæ, vt virgulæ perducuntur, quæ dimenſio à compluribus axis eſt appellata. huius autem cacumina,

quibus maximè ſphæra nititur, Poli appellantur: quorum alter ad aquilonem ſpectans, Boreus: alter adpoſitus Auſtro, Notius eſt dictus.

*De ſignificationibus.*

SIgnificationes quædam in circunductionem ſphæræ circuli appellantur, è quibus paralleli dicuntur, qui ad eundem polum conſtituti finiuntur. Maximi autem ſunt, qui eodem centro quo ſphæra continentur. Horizon appellatur is, qui terminat ea quæ perſpici aut non videri poſſunt. Hic autem id certa ratione diffinitur, quòd modò polo ſubiectus, & circulis his qui paralleli dicuntur, modò duobus extremis & æqualibus nixus, modò aliis partibus adiectus terræ peruidetur, ita, vtcunque fuerit ſphæra collocata.

*De Polo.*

POlus is qui Boreus appellatur, peruideri poteſt ſemper. Notius autem, ratione diſſimili ſemper eſt à conſpectu ſemotus. Naturalis autem mundi ſtatio phyſice dicitur. ea eſt enim Boreo polo finita, vt omnia è dexteris partibus exoriri, in ſiniſtris occidere videantur. Exortus enim eſt ſubita quædam ſpecies obiecta noſtro conſpectui. Occaſus autem pari de cauſa, vt erepta ab oculis viſa.

*De figuratione circulorum ſpheræ.*

IN finitione mundi circuli ſunt paralleli quinque, in quibus tota ratio ſphæræ conſiſtit, præter eum qui Zodiacus appellatur, qui quòd non vt cæteri circuli certa dimenſione finitur, & inclinatior aliis videtur, loxos à Græcis eſt dictus. Quinque autem, quos ſuprà diximus, ſic in ſphera metiuntur. initio ſumpto à polo qui Boreus appellatur, ad eum qui Notius & Antarcticos vocatur. In 30. partes vnumquodque hemiſphærium diuiditur, ita vti dimenſio ſignificari videatur in tota ſphæra per 60. partes factas. Deinde ab eodem principio Boreo ſex partib. ex vtraque finitione ſumptis, circulus ducitur, cuius centrum ipſe eſt polus finitus, qui circulus arcticos appellatur, quod intra eum arcturi ſimulacra, vt incluſa perſpiciuntur: quæ ſigna à noſtris vrſarum ſpecie, ficta, ſeptentriones appellantur. Ab hoc circulo de reliquis partibus quinque ſumptis eodem centro quo ſuprà

dìximus circulus ducitur, qui therinos tropicos appellatur. Ideo quòd ſol cum ad eum circulum peruenit, æſtatem efficit eis qui in aquilonis finibus ſunt: hyemem autem, eis quos auſtris flatibus appoſitos antè diximus. Præterea quòd vltra eum circulum ſol non tranſit, ſed ſtatim reuertitur, tropicos eſt appellatus. Ab hac circuli ſignificatione quatuor de reliquis partibus ſũptis ducitur circulus æquinoctialis, à Græcis iſemerinos appellatus, ideo quòd ſol cum ad eum orbem peruenit, æquinoctium perficit. hoc circulo facto, dimidia ſphæræ pars conſtituta perſpicitur. E contrario item ſimili ratione à Notio polo ſex partibus ſumptis, vt ſuprà de Boreo diximus, circulus ductus antarcticos vocatur: quòd contrarius eſt circulo, quem arcticon ſuprà ei diffiniuimus. Hac diffinitione Sphæræ centróque poli, qui Notius dicitur, quinque partibus ſumptis circulus chimerinus tropicus inſtituitur, à nobis hyemalis, à nonnullis etiam brumalis appellatus. ideo quòd ſol cum ad eum circulum peruenit, hyemem efficit his qui ad aquilonem ſpectant, æſtatẽ autem his qui in Auſtri partibus domicilia conſtituerunt. Quantò enim abeſt longius ab illis qui in aquilonis habitant finibus, hoc hyeme maiore conflictantur, æſtate autem hi quibus ſol appoſitus peruidetur. Itaque Æthiopes ſub vtroq; orbe neceſſariò fiunt. Ab hoc circulo ad æquinoctialẽ circulum, reliquæ fiũt partes quatuor. Ita vt ſol per octo partes ſphæræ currere videatur. Zodiacus autẽ circulus ſic vel optimè diffiniri poterit, vt ſignis factis, ſicut poſtea dicemus, ex ordine circulus perducatur. Qui autẽ Lacteus vocatur, contrarius æquinoctiali, ibi oportet vt eum medium diuidere, & bis ad eum peruenire videatur, ſemel in eo loco vbi aquila conſtituitur, iterũ autẽ ad ei⁹ ſigni regionẽ quod procyõ vocatur. Duodecim ſignorũ partes ſic diuidũtur. quinq; circuli, de quibus ſuprà diximus, ita finiuntur, vt vnuſquiſque eorum diuidatur in partes duodecim, & ita ex eorũ pũctis lineæ perducãtur, quæ circulos ſignificãt factos, in quibus duodecim ſigna deſcribãtur. Sed à nonnullis imperitiorib⁹ quęritur, quare nõ ęquis partib⁹ circuli finiãtur, hoc eſt, vt de 30. partib. quinę partes diuidã tur, & ita circuli pari ratione ducãtur. Id façilimè defẽdi

poſſe confidimus. Cum enim media ſphæra diuiſa eſt,
quin eius circuli nullus poteſt æqualis eſſe, † qui quamuis
proximè eum accedat, tamen minor eſſe videatur. Itaque qui primum ſphæram fecerunt, cum vellent omniũ circulorum æquas rationes eſſe, pro rata parte voluerũt ſignificare, vt quanto magis à polo diſcederetur, hoc minorem numerum partium ſumerent in circulis metiendis, quo neceſſe his erat maiorem circulum definire. Quod etiam ex ipſa ſphæra licet intelligere. Quanto magis à polo diſcedes, hoc maiores circulos fieri, & hac re minorem numerum duci, vt pares eorum videantur effectus. Et ſi non in 30. partes vnumquodque hemiſphærium diuidatur, ſed in alias quotlibet finitiones, tamen eò ratio peruenit eius ac ſi 30. partes feciſſet.

*De Zodiaco circulo.*

ZOdiacus circulus tribus his ſubiectus, de quibus ſuprà diximus, ex quadam parte contingit æſtiuum & hyemalem circulum, æquinoctialem autem medium diuidit. Itaque ſol per Zodiacum circulum currens, neque extra eum tranſiens, neceſſariò cum ſignis his, quibus innixus iter conficere videtur, peruenit ad eos quos ſuprà diximus orbes, & ita quatuor tempora definit. Nam ab Ariete incipiens, ver oſtendit: & taurum & geminos tranſiens, idem ſignificat. Sed iam capitibus geminorum circulum æſtiuum tangere videtur: & per cancrum & leonem tranſiens & virginem, æſtatem efficit. Et rurſum à virginis extrema parte tranſire, ad æquinoctialem circulum perſpicitur. In libra autem æquinoctium conficit, & autumnum ſignificare incipit ab hoc ſigno tranſiens ad ſcorpium & ſagittarium. Deinde protinus incurrit in hyemalem circulum, & capricorno, aquario, piſcibus hyemem ttanſigit. Itaque oſtẽditur non per tres ipſos circulos currere, ſed Zodiacum tranſiens ad eos peruenire. Sed quoniam de his rebus diximus, nunc terræ poſitionem definiemus, & mare quibus locis interfuſum videatur, ordine exponemus.

*De Terra & Mare.*

TErra mũdi media regione collocata, omnibus partibus æquali diſſidens interuallo, centrum obtinet ſphæræ. Hanc mediam diuidit axis in dimenſione totius

tius

tius terræ.Oceanus autem regione circũductionis ſphæræ profuſus,propè totius alluit fines.Itaque & ſigna occidentia,in eundem decidere exiſtimantur.Sic igitur & terra contineri,poterimus explanare. Nam quæcunque regio eſt,quæ inter arcticon & æſtiuum finem collocata eſt,ea diuiditur trifariam,è quibus vna pars Europa,altera Aphrica , tertia Aſia vocatur. Europam igitur ab Aphrica diuidit mare ab extremis Oceani finib.& Herculis columnis.Aſiam verò & Libyam cum Ægypto diſterminatos Nili fluminis,quod Canopicon appellatur. Aſiam ab Europa Tanais diuidit,bifariam ſe coniiciens in paludem,quę Meotis appellatur.Hac igitur definitione facilè peruidetur , mare omnibus obiectum finibus terræ.Sed ne videatur nonnullis mirum,cùm ſphæra in ſexaginta partes diuidatur,vt antè diximus,quare definiuimus ab æſtiuo circulo ad arcticum finem duntaxat habitari , ſic vel optimè defendimus. Sol enim per mediam regionem ſphæræ currens,nimium his locis efficit feruorem.Itaque quæ finis eſt ab æſtiuo circulo ad hyemalem , ea terra à Græcis διακεκαυμένη vocatur,quòd neque fruges propter exuſtam terrã naſci,neque homines propter nimium ardorem durare poſſunt : extremæ autem regiones ſphęrę duorum circulorum,quorum alter Boreus,alter Notius vocatur,ſine arctici circuli , & eius qui antarcticus vocatur,non habitantur , ideò quòd ſol eſt ſemper ab his circulis longè,ventíque aſſiduos habẽt flatus. Quamuis enim ſol perueniat ad æſtiuum circulum , tamen longè ab arctico videbitur fine id ita eſſe, hinc quoq; licet intelligere. Cùm enim ſol peruenit ad eum circulum qui hyemalis vocatur,&efficiet nobis qui prope eum ſumus conſtituti nimium frigus,qui arbitramur eis locis frigoris eſſe,qui longius etiam abſunt à nobis ? Quod cùm in hac parte ſphęræ fiat,idem in altera parte definitum putabimus : ideo quòd ſimiles eius ſunt effectus.Præterea hinc quoque intelligimus illic maximum frigus,& in æſtiuo circulo calorem eſſe , quòd qua terra habitatur , eos videmus qui proximè ſunt arcticon finem , vti braccis , & eiuſmodi veſtitu veſtiuntur. Qui autem proximi ſunt æſtiuo circulo, eos Æthiopas & peruſto corpore eſſe.Habitatur autẽ ſic tẽperatiſſimo

cælo, cum inter æſtiuum circulum & arcticum finē hæc perueniat temperatio, quod ab arctico circulo frigus, ab æſtiuo feruor exortus in vnum concurrens, mediam efficit finem temperatam, quæ habitari poſſit. Itaque cum ſol ab eo loco diſceſſit hyeme neceſſariò conflictamur, quòd ventum exorientem non reuerberat ſol. Quod cùm veniat in hac diffinitione, illud quod fieri poſſe videmus, vt hyemali circulo quoque aut ad arcticum finem habitari poſſit, quòd pares eodem proueniāt caſus, certum quidem eſſe nemo contendit: neque peruenire eò poteſt quiſquam propter interiectum terræ, quæ propter ardorem non habitatur. Sed cum videmus hanc regionem ſphæræ habitari, illam quoque in ſimili cauſa poſſe conſtitui ſuſpicamur.

# CLARISSIMI VIRI, C. IVLII HYGINI, AVGVSTI LIBERTI, DE SIGNORVM cœleſtium hiſtoriis. Liber II.

SED quoniam quæ nobis de terræ poſitione dicenda fuerūt, & ſphæram tam totam definiuimus: nunc quæ in ea ſigna ſunt, nominabimus ſigillatim. E quibus igitur primùm duas arctos & draconem, deinde arctophylaca cum corona dicemus. Cæterùm qui engonaſim vocatur, exinde lyram cū Olore & Cepheo & eius vxore Caſſiopeia, filiáq; Andromeda & genero Perſeo. Dicemus etiā protinus aurigam, à Græcis ἡνίοχον appellatū. Ophiuchum præterea cum ſagitta, & aquila, paruóq; delphine. Inde equū dicemus, cū eo ſidere quod Deltotū vocatur. His corporibus enumeratis, ad duodecim ſigna perueniemus. Ea sūt hæc: aries, taurus, gemini, deinde cancer cū leone & virgine. Præterea libra, dimidia pars ſcorpionis, & ſcorpius cū ſagittario, & capricorno. Aquarius verò cū piſcibus reliquas habet partes. His cōnumeratis ſuo ordine, eſt cetus cū Eridano flumine & lepore. Dein

de Orió cum cane,& eo ſigno quod procyō dicitur. præterea eſt Argo cum Centauro & ara. Deinde hydra cum piſce qui notius vocatur. Horū omniū non inutile videtur hiſtorias proponere, quæ certè aut vtilitatē ad ſcientiā, aut iucunditatem ad delectationem afferent lectori.

*Arctos maior.*

IGitur, vt ſuprà diximus, initium eſt nobis arctos maxima. Hanc autem Heſiodus ait eſſe Calyſto nomine, Lycaonis filiam, eius qui in Arcadia regnauit, eámque ſtudio venationis inductam, ad Dianam ſe applicuiſſe, à qua non mediocriter eſſe dilectam propter vtriuſque conſimilem naturam, Poſtea autem ab Ioue compreſſam, veritam Dianę ſuum dicere euentum, quod diutius celare non potuit. Nam iam vtero ingraueſcente propediem partus, in flumine corpus exercitatióne defeſſum cum recrearet, à Diana cognita eſt non ſeruaſſe virginitatem: cui dea pro magnitudine ſuſpicionis non minorem retribuit pœnam. Erepta enim facie virginali, in vrſæ ſpeciem eſt conuerſa, quæ Græcè arctos eſt appellata. In ea figura corporis Arcada procreauit. Sed vt ait Amphis comœdiarum ſcriptor, Iupiter ſimulatus effigiem Dianæ, cum virginem venantem vt adiurans perſequeretur, amotam à conſpectu cęterarum compreſſit. quæ rogata à Diana, quid ei accidiſſet, quòd tam grādi vtero videretur, illius peccato id eueniſſe dixit. Itaque propter eius reſponſum in quam figurā ſuprà diximus, eam Diana conuertit. Quæ cum in ſylua vt fera vagaretur, à quibuſdam Ætolorum capta, ad Lycaonem pro munere in Arcadiam cum filio eſt deducta. Ibi dicitur inſcia legis in Iouis Lycei templum ſe conieciſſe, quam confeſtim filius ſecutus eſt. Itaque cum eos Arcades inſecuti interficere conarētur, Iupiter memor peccati, ereptā Calyſto cum filio inter ſidera collocauit. Eámque Arctum, filium autem Arctophylaca nominauit, de quo poſtea dicemus. Nonnulli etiam dixerunt, cū Calyſto ab Ioue eſſet compreſſa, Iunonem indignatam in vrſam eam conuertiſſe: quam Dianæ venanti obuiam factam, ab ea interfectam, & poſtea cognitam inter ſidera collocatam, ſed alij dicunt: Cùm Calyſtonē Iupiter eſſet in ſylua perſecutus, Iunonem ſuſpicatam, illud quod

euenit, contendiſſe, vt eum manifeſtò diceret deprehendiſſe. Iouem autem quò facilius ſuum peccatum tegeretur, in vrſæ ſpeciem conuerſam reliquiſſe. Iunonem autem in eo loco pro virgine vrſam inueniſſe, quã Dianæ venanti vt eam interficeret demonſtraſſet: quod factum vt perſpiceretur, Iouem ægrè tuliſſe, effigiem vrſę ſtellis figuratam conſtituiſſe. Hoc ſignum, vt plures dixerunt, non occidit. & qui volunt aliqua de cauſa eſſe inſtitutum, negant Thetin Oceani vxorem id recipere, cum reliqua ſidera eò perueniant in occaſum: quòd Thetis Iunonis ſit nutrix, Cui Calyſto ſuccubuerit vt pellex.

*Aratus.* † Arietus autem Tegeates hiſtoriarum ſcriptor, non Calyſto, ſed Megiſto dicit appellatam: & non Lycaonis, ſed Cætei filiam, Lycaonis neptam. Præterea Cætea ipſum Engonaſin nominari. Reliqua verò ſuperioribus conueniunt. Quæ res in Nonacri monte Arcadiæ geſta narratur.

### *Arctos minor.*

HAnc Aglaoſthenes qui Naxica conſcripſit, ait Cynoſuram eſſe, vnam de Iouis nutricibus, ex Idæis nymphis, ab eius quoque nomine & vrbē quæ Heſtiæa vocatur, à Nicoſtrato & ſodalibus eius conſtitutam: & portum qui ibi eſt, & agri maiorem partem, Cynoſuram appellatam. Hanc autem inter Curetas fuiſſe, qui Iouis fuerunt adminiſtri. Nonnulli & Helicē & Cynoſuram nymphas eſſe Iouis nutrices dicunt, & hac re etiam pro beneficio in mundo collocatas, & vtraſque Arctos nuncupatas, quas noſtri Septentriones dixerunt. Sed maiorē arctum complures plauſtro ſimilem dixerunt, & ἅμαξαν Græcè appellarunt. Cuius hæc memoriæ prodita eſt cauſa. Initio qui ſidera peruiderunt, & numerum ſtellarum in vnaquaque ſpecie corporis conſtituerunt: quod non arctum, ſed plauſtrum nominauerunt, ex ſeptem ſtellis duæ quæ pariles & maximè in vno loco viderentur, pro bobus haberentur, reliquæ verò quinque figuram paluſtri ſimularent. Itaque & quod proximum huic eſt ſignum, Bootem nominari voluerunt: de quo poſterius plura dicemus. Aratus quidem non hac re Bootem, nec illud plauſtrum dicit appellari: ſed quòd arctum videatur vt plauſtrum circum polum, qui boreas appellatur,

verſari,& Bootes agitare eam dicatur. In quo non mediocriter videtur errare. Poſtea autem de vij. ſtellis, vt Parmeniſcus ait,† quinque ſunt à quibuſdam aſtrologis conſtitutæ, vt vrſæ ſpecies non ſeptẽ ſtellis perficeretur. Itaque & ille qui antea plauſtrum ſequẽs Bootes appellabatur, Arctophylax eſt dictus. Et iiſdem temporibus quibus Homerus fuit, hæc arctos eſt dicta. De ſeptẽtrionibus enim ille dicit, hanc vtroque nomine & arctum & plauſtrum nominari. Bootis autem nuſquam meminit Arctophylaca dici. Incidit etiam compluribus erratio, quibus de cauſis minor arctos Phœnice appellaretur. & illi qui hanc obſeruant, verius & diligentius nauigare dicantur: & quare ſi hæc ſit certior quàm maior, non omnes hanc obſeruent. qui non intelligere videntur, de qua hiſtoria ſit profecta ratio, vt Phœnice diceretur. Thales enim qui diligenter de his rebus exquiſiuit, & hanc primus arcton appellauit, natione fuit Phœnix, vt Herodotus Mileſius dicit. Igitur omnes qui Peloponneſum incolunt, priore vtuntur arcto. Phœnices autem quã à ſuo inuentore acceperunt, obſeruant, & hanc ſtudioſius perſpiciendo, diligentius nauigare exiſtimantur, & verè eã ab inuentoris † nomine Phœnicem appellant.

Quinque & viginti.

generi

*Serpens.*

HIc vaſto corpore oſtenditur inter duas arctos collocatus, qui dicitur aurea mala Heſperidum cuſtodiiſſe, & ab Hercule interfectus, à Iunone inter ſidera collocatus, quòd illius opera Hercules ad eum eſt profectus, qui hortum Iunonis tueri ſolitus exiſtimatur. Ait enim Pherecydes, Iunonem cùm duceret Iupiter vxorem, Terram inueniſſe ferentem aurea mala cum ramis. Inde Iunonem admiratã petiſſe à terra vt in ſuis hortis ſereret, qui erant vſque ad Atlantem montem. Cuius filiæ cum ſæpius de arboribus mala decerperẽt, Iuno dicitur hunc ibi cuſtodẽ poſuiſſe. hoc etiam ſigni erit, quod in ſideribus ſupra eum draconem Herculis ſimulacrum oſtenditur, vt Eratoſthenes demonſtrat: quare quoduis licet intelligere, hunc maximè draconem dici. * Nonnulli enim dixerunt hunc draconem à Gigantibus Mineruæ obiectum eſſe, cum eos oppugnaret: Mineruam verò arreptum draconem contortum ad ſidera ieciſſe, &

ad ipſum axem cœli fixiſſe. Itaque adhuc eum implicato corpore videri, vt nuper ad ſidera perlatum.

*Arctophylax.*

*Ouid. videtur Lycaona ipſam pro Boote accipere lib. 6. Faſtorum, ſic enim inquit: Tertia poſt nonas remouere Lycaona Phœbe Fertur, & à tergo non habet vrſa metum.*

DE hoc fertur, quòd ſit Arcas Calyſtonis & Iouis filius, quem dicitur Lycaon cùm Iupiter ad eum in hoſpitium veniſſet, cum alia carne conciſum pro epulis appoſuiſſe. Studebat enim ſcire, ſi Deus eſſet, qui ſuum hoſpitium deſideraret. Quo facto non minori pœna eſt affectus. nam ſtatim Iupiter menſa proiecta, domum eius fulmine incendit. Ipſum autem in figuram lupi conuertit. At pueri membra collecta & compoſita in vnum, dedit cuidam Ætolorum alendum. qui adoleſcens factus, in ſyluis cum venaretur, inſcius vidit matrem in vrſæ ſpeciem cõuerſam: quam interficere cogitans, perſecutus eſt in Iouis Lycei templum: quò & qui acceſſiſſet, mors pœna erat Arcadum lege. Itaque cum vtrumque neceſſe eſſet interfici, Iupiter eorum miſertus, ereptos inter ſidera collocauit, vt antè diximus. Hic autem è facto ſequens vrſam perſpicitur, & arctum ſeruans Artophylax eſt appellatus. Nonnulli hoc dixerunt Icarium, Erigones patrem, cui propter iuſticiam & pietatem exiſtimatur. Liber pater vinum & vitem & vuam tradidiſſe, vt oſtenderet hominibus quomodo ſereretur, & quid ex eo naſceretur: & cum eſſet natum id, quomodo vti oporteret. qui cum ſeuiſſet vitem, & diligentiſſimè adminiſtrando floridam falce feciſſet, dicitur hircus in vineam ſe conieciſſe: & quæ ibi tenerrima folia videret, decerpſiſſe. quo facto, Icarium animo irato tuliſſe, eumque interfeciſſe, & ex pelle eius vtrem feciſſe, ac vento plenum præligaſſe, & in medium proieciſſe, ſuóſque ſodales circa eum ſaltare coegiſſe. Itaque Eratoſthenes ait, Ἰκαρίου ποσὶ πρῶτα περὶ τράγον ὠρχήσαντο. Alij dicunt, Icarium cum à Libero patre vinum accepiſſet, ſtatim vtres plenos in plauſtrum impoſuiſſe. Hac re etiam

*Bootes.*

Bootem appellatum. qui cũ perambulans Atticorum fines, paſtoribus oſtenderet, nõnulli corũ auiditate pleni nouo genere potus inducti, ſomno conſopiũtur. Atq; vt alij aliã in ſe partem reiiciũt, vt ſemimortua membra iactãtes, alia ac decebat loquebãtur: reliqui eorũ arbitrati venenũ ab Icario datum paſtoribus, vt eorũ pecora abi-

geret in ſuos fines, Icarium interfectum in puteum deiecerunt: ſed, vt alij demonſtrant, ſecundum arborem quandam defoderunt. Qui autem obdormierant, experrecti, cum ſe nunquam melius quieſſe faterentur, ac requirerent Icarium, vt pro beneficio muneraretur, interfectores eius animi cõſcientia permoti ſtatim ſe fugę mandauerunt, & in inſulam Ætolorum peruenerunt: à quibus vt hoſpites recepti, domicilia ſibi conſtituerunt. At Erigone Icarij filia permota deſiderio parentis, cùm eum non redire videret, ac perſequi eum conaretur, canis Icarij, cui Mera fuerat nomen, vlulans vt obitum domini lacrymari videretur, redit ad Erigonem: cui non minimam cogitatæ mortis ſuſpicionem oſtendit. Neque enim puella timida ſuſpicari debebat niſi patrem interfectum, qui tot dies ac menſes abeſſet. At canis veſtem eius tenens dentibus, perducit ad cadauer. quod filia ſimul ac vidit, deſperata ſpe, ſolitudine ac pauperie oppreſſa, multis miſerata lachrymis, in eadẽ arbore, ſub qua parens ſepultus videbatur, ſuſpendio mortem ſibi conſciuit: cui mortuæ carnis ſpiritu ſuo parentauit. Nonnulli hunc in puteum ſe deieciſſe dixerunt, Anigrum nomine: quare poſtea neminem ex eo puteo bibiſſe, memorræ tradiderunt. Quorum caſum Iupiter miſeratus, in aſtris corpora eorum deformauit. Itaque complures Icarium Bootem, Erigonem virginem nominauerunt, de qua poſterius dicemus. Canem autem ſua appellatione & ſpecie Caniculam dixerunt, quæ à Græcis quòd ante maiorem canem exoritur, Procyon appellatur. Alij hos à Libero patre figuratos inter ſidera dicunt. Interim cum in finibus Athenienſium multæ virgines ſine cauſa ſuſpendio ſibi mortem conſciſcerent, quòd Erigone moriens erat precata, vt eodem leto filiæ Athenienſium afficerentur, quo ipſa foret obitura, niſi Icarij mortem perſecuti, & eum forent vlti. Itaque cum id eueniſſet, vt antè diximus, petentibus eis, Apollo dedit reſponſum: Si vellent euentu liberari, Erigonæ ſatisfacerent. Qui quòd ea ſe ſuſpenderat, inſtituerunt, vti tabula interpoſita pendente funibus ſe iactarent, vt qui pendentes, vento mouerentur. Quod ſacrificium ſolenne in-

ſtituerunt : itáque & priuatim & publicè faciunt, & id Aletidas appellant, quòd eam patre patrem perſequentem cum cane, vt ignotam & ſolitariam oportebat, mendicam appellabant, quas Græci aletidas nominant. Præterea canicula exoriens æſtu eorum loca & agros fructibus orbabat, & ipſos morbo affectos pœnas Icario cum dolore ſufferre cogebat, quòd latrones recepiſſent. quorum rex Ariſteus Apollinis & Cyrenes filius, Actæonis tempore petiit à parente, quo pacto calamitate ciuitatem poſſet liberare. quem deus iubet multis hoſtiis expiare Icarij mortem, & ab Ioue petere, vt quo tempore canicula exoriretur, dies quadraginta ventum daret, qui æſtum caniculæ mederetur. Quod iuſſum Ariſteus confecit, & à Ioue impetrauit, vt Eteſiæ flarent. quas nonnulli Eteſias dixerunt, quòd quotannis certo tempore exoriuntur : Græcè enim ἔτος, annus Latinè eſt. Nonnulli etiam Æteſias appellauerunt, quòd expoſtulatæ ſunt ab Ioue, & ita conceſſæ. Sed hoc in medio relinquatur, ne nos omnia præripuiſſe exiſtimemur. Sed vt ad propoſitum reuertamur. Hermippus qui de ſideribus ſcripſit, ait Cererem cum Iaſione Electræ & Coryti filio concubuiſſe: quamobrem fulmine percuſſum, complures cum Homero dixerunt. Ex his, vt Petellides Gnoſius hiſtoriarum ſcriptor demonſtrat, naſcuntur filij duo, Philomelus & Plutus, quos negant inter ſe conueniſſe. Nam Plutum qui ditior fuit, nihil fratri ſuo de bonis conceſſiſſe : Philomelum autem neceſſariò adductum, quodcunque habuit, eò boues duos emiſſe, & ipſum primum plauſtrum fabricatum eſſe. Itaque arando & colendo agros ex eo ſe aluiſſe : cuius matrem miratam inuentum, vt arantem eum inter ſidera conſtituiſſe, & Bootem nominaſſe. Ex hoc autem Pareanta demonſtrat natum, qui de ſuo nomine Pari & oppidum Parona appellauit.

*Aletida.*

### *Corona.*

HÆc exiſtimatur Ariadnæ fuiſſe, à Libero patre inter ſidera collocata. Dicitur enim in inſula Dia cum Ariadne Libero nuberet, hanc primum muneri accepiſſe à Venere & Horis, cum omnes dij in eius nuptiis

dona conferent: ſed (vt ait qui Cretica conſcripſit) quo tempore Liber ad Minoa venit, cogitans Ariadnem cõprimere, hanc coronam ei muneri dedit: qua delectata, non recuſauit conditionem ſtupri. Dicitur etiam à Vulcano facta ex auro & Indicis gemmis, per quas Theſeus exiſtimatur de tenebris labyrinthi ad lucem veniſſe, quòd aurum & gemmæ in obſcuro fulgorem luminis efficiebant. Qui Argolica ſcripſerunt, hanc afferunt cauſam, quòd Liber cum impetraſſet à parente, vt Semelem matrem ab inferis reduceret, & quærens ad eos deſcenſionem, ad Argiuorum fines perueniſſet, obuium ei quendam factum, nomine Hypolipnum, hominem dignum eius ſeculi? qui petenti Libero, deſcenſionem monſtrauit. Hunc autem cum vidiſſet Hypolipnus puerum ætate miranda, corporis pulchritudine reliquis præſtantem, mercedem petiiſſe ab eo, quæ ſine detrimento eius daretur. Liberum autem matris cupidum, ſi eam reduxiſſet iuraſſe, quod vellet ſe facturum, ita tamen quod Deus homini impudenti iuraret, pro quo Hypolipnus deſcenſum monſtrauit. Igitur cum Liber ad eum locum veniſſet, & vellet deſcendere, coronam quam à Venere acceperat depoſuit in eo loco, qui Stephanus facto appellatus. Noluit enim ſecum ferre, ne immortale donum mortuorum tactu coinquinaretur: qui cum matrem incolumem reduxiſſet, coronam dicitur in aſtra collocaſſe, vt æterna memoria nominis efficeretur. Alij dicunt hanc coronam Theſei eſſe, & hac re propter eum collocatam. Nam qui dicitur in aſtris Engonaſin, is Theſeus eſſe exiſtimatur: de quo poſterius plura dicemus. Dicitur enim, cum Theſeus Cretam ad Minoa cum ſeptem virginibus & ſex pueris veniſſet, Minoa de virginibus Peribœam quandam nomine, candore corporis indictum, comprimere voluiſſe. quod cùm Theſeus paſſurum ſe negaret, vt qui Neptuni filius eſſet, & valeret contra tyrannum pro virginis incolumitate decertare. * Itaque cum non iam de puella, ſed de Theſei genere controuerſia facta fuiſſet, vtrum is Neptuni filius eſſet, nec ne, dicitur Minos annulum aureum de digito ſibi detraxiſſe, & in mare proieciſſe: quem

referre iubet Theſea, ſi vellet ſe credi Neptuni filium eſſe. Se enim ex Ioue procreatum facile poſſe declarari. Itaque cōprecatus patrem petiit aliquid, vt ſatisfaceret ſe ex eo natum: ſtatimque tonitruum & fulgorem cœli, indicium ſignificationis feciſſe. Simili de cauſa Theſeus ſine vlla præfatione, aut religione parentis, in mare ſe proiecit: quem confeſtim delphinum magna multitudo mari prouoluta, leniſſimis fluctibus ad Nereidas perduxit: à quibus annulum Minois, & à Theide coronam quam nuptiis à Venere muneri acceperat, retulit, compluribus lucentem gemmis. Alij autem à Neptuni vxore accepiſſe dicunt. Coronam Ariadnæ Theſeus dono dicitur dediſſe, cum ei propter virtutem & animi magnitudinem vxor eſſet conceſſa: hāc autem poſt Ariadnes mortem, Liberum inter ſidera collocaſſe.

*Engonaſin.*

HVnc Eratoſthenes Herculem dicit, ſupra draconem collocatū, de quo antè diximus, eúmque paratum vt ad decertandum, ſiniſtra manu pellem leonis, dextera clauam tenentem. Conatur interficere draconem Heſperidum, qui nunquam oculos aperuiſſe ſomno coactus exiſtimatur, quo magis cuſtos eſſe demonſtratur. De hoc etiam Panyaſis in Heraclea dicit. Horum igitur pugnam Iupiter admiratus, inter aſtra conſtituit. Habet enim draco caput erectum, Hercules autem dextro genu nixus, ſiniſtro pede capitis eius dextram partem opprimere conatur, dextra manu ſublata vt feriens, ſiniſtra proiecta cum pelle leonis, vt is quàm maximè dimicans appareat. & ſi ſit, qui negat hic, (vt Aratus) quicquam poſſe demonſtrari, tamen conabimur vt aliquid veriſimile dicamus. Aratus autem, vt ſuprà diximus, hunc Cetea Lycaonis filium, Megiſtus patrem dicit eſſe, qui videtur vt lamentans filiam in vrſæ figuram conuerſam, genu nixum palmas aduerſas tendere ad cœlum, vt eam ſibi Dij reſtituant. Hegeſianax autem Theſea dixit eſſe, qui Trœzene ſaxum extollere videtur, quòd exiſtimatur Ægeus ſub eo ſaxo Pelopium enſem poſuiſſe, & Æthræ Theſei matri prædixiſſe, ne antè eum Athenas mitteret, quàm lapide ſublato ſua virtute potuiſſet gladium referre.

Itaque niti videtur, quàm altiſſimè poteſt, vt extollat. Hac etiam de cauſa nonnulli lyram, quæ proxima eſt ei ſigno collocata, Theſei eſſe dixerunt, quòd vt eruditus omnium artium, lyram quoque didiciſſe videbatur. Id quoque Anacreon dicit, ἀγχοῦ Θησέως ἐστὶ λύρη. Alij dicunt Thamirin à Muſis excæcatum, vt ſupplicem ad genua iacentem: dicunt alij Orphea à Thraciis mulieribus interfici, quod viderit Liberi patris initia. Æſchylus autem in fabula quæ inſcribitur Prometheus Lyomenos, Herculem ait eſſe non cum dracone, ſed cum Liguribus depugnantem. Dicit enim, quo tempore Hercules à Geryone boues abduxit, iter feciſſe per Lygurum fines, quos conatos ab eo abducere pecus, manus contuliſſe, & quàm plures eorum ſagittis confixiſſe. Sed poſtquam Herculi tela deficerent, multitudine barbarorum & inopia armorum defeſſum, ſe ingeniculaſſe, multis iam vulneribus acceptis. Iouem autem miſertum filij; curaſſe vt circa eum magna copia lapidum eſſet, quibus ſe Herculem defendiſſe, & hoſtes fugaſſe. Itaque Iouem in ſimilitudinem pugnantis inter ſidera conſtituiſſe. Hunc etiam nonnulli Ixiona brachiis vinctis eſſe dixerunt, quod vim Iunoni voluerit afferre. Alij Promethea in monte Caucaſi vinctam.

*De his campis lapide complutis etiam Cato in Originibus, & Mela lib. 26. Geog. meminit.*

## *Lyra.*

Lyra autem inter aſtra conſtituta eſt, hac, vti Eratoſthenes ait, de cauſa, quòd initio à Mercurio facta de teſtudine, Orpheo eſt tradita, qui Calliopes & Oeagri filius fuit, eius rei maximè ſtudioſus. Itaque exiſtimatur ſuo artificio feras etiam ad ſe audiendi cauſa allicuiſſe, qui querens vxoris Euridices mortem, ad inferos deſcendiſſe exiſtimatur, & ibi deorũ progeniem ſuo carmine laudaſſe, pręter Liberũ patrẽ: hunc enim obliuione ductus prætermiſit, vt Oeneus in ſacrificio Dianã. poſtea igitur Orpheus, vt etiã plures dixerunt, in Olympo monte, qui Macedoniã diuidit à Thracia, ſed vt Eratoſthenes ait, in Pãgęo ſedẽs, cùm cãtu delectaretur, dicitur ei Liber bacchas obieciſſe, quæ corpus eius decerperent interfecti. Sed alij dicunt, quòd initia Liberi ſit

ſpeculatus, id ei accidiſſe. Muſas autem collecta membra ſepulturæ mandaſſe:& lyram quo maximè potuerunt beneficio, illius memoriæ cauſa figuratam ſtellis inter ſidera conſtituiſſe: Apollinis & Iouis voluntate, quòd Orpheus Apollinem maximè laudaret. Iupiter verò filio beneficium conceſſit. Alij autem dicunt Mercurium, cum primum lyram feciſſet, in Cyllene monte Arcadiæ, ſeptem chordas inſtituiſſe ad Atlantidum numerum, quod Maia vna ex illarum numero eſſet, quæ Mercurij eſt mater. Deinde cum poſtea Apollinis boues abegiſſet, deprehenſus ab eo, quo ſibi facilius ignoſceret, petenti Apollini vt liceret ſibi ſe dicere inueniſſe lyram, conceſſit, & ab eo virgulam quandam muneri accepit: quam manu tenens Mercurius, cum proficiſceretur in Arcadiam, & vidiſſet duos dracones, inter ſe coniuncto corpore, alium appetere, vt qui dimicare inter ſe viderentur, virgulam inter vtrunque proiecit. Itaque diſceſſerunt: quo facto, eam virgulam pacis cauſa dixit eſſe conſtitutam. Nonnulli etiam cum faciunt caduceos, duos dracones implicatos virgula faciunt, quod initium Mercurio fuerat pacis. Eius exemplo, & athletæ in reliquis eiuſmodi certationibus virgula vtuntur. Sed vt ad propoſitum reuertamur. Apollo lyra accepta dicitur Orphea docuiſſe: & poſtquam ipſe citharam inuenerit, illi lyram conceſſiſſe. Nonnulli dixerunt Venerem cum Proſerpina ad iudicium Iouis veniſſe, cui earum Adonin concederet, quibus Calliopen à Ioue datam iudicem, quæ muſa Orphei eſt mater. Itaque iudicaſſe, vti dimidiam partem anni earum vnaquæque poſſideret. Venerem autem indignatam, vt non ſibi proprium conceſſiſſet, obieciſſe omnibus quæ in Thracia ſunt mulieribus, vt Orphea amore inductæ, ita ſibi quæque appeteret, vt membra eius, diſcerperent. cuius caput in mare de monte perlatum, fluctibus in inſulam Lesbon eſt reiectum: quod ab his ſublatum, & ſepulturæ eſt mandatum. pro quo beneficio ad muſicam artem ingenioſiſſimi exiſtimantur eſſe. Lyra autem à Muſis (vt antè diximus) in aſtra conſtituta eſt. Nonnulli aiunt, quòd cùm Orpheus primus puerilem amorem induxerit mulie-

tibus, viſum contumeliam feciſſe, & hac re ab eis interfectum.

*Olor.*

HVnc Græci Cygnum appellant: quem complures propter ignotam hiſtoriam illis, communi genere auium Ornin nominauerunt. de quo hæc memoriæ prodita eſt cauſa. Iupiter cum amore inductus, Nemeſin diligere cœpiſſet, neque ab ea vt ſecum †cubaret impetrare potuiſſet, hac cogitatione amore eſt liberatus. Iubet enim Venerem aquilæ ſimulatam ſe ſequi, ipſe in olorem conuerſus, vt aquilam fugiens ad Nemeſin fugit, & in eius gremio ſe collocauit. quem Nemeſis non aſpernata, amplexum tenens, ſomno eſt conſopita: quam dormientem Iupiter compreſſit. Ipſe autem auolauit. & quia ab hominibus altè volans cœlo videbatur, inter ſidera dictus eſt eſſe conſtitutus. quod ne falſum videretur, Iupiter è facto eum volantem & aquilam conſequentem collocauit mundo. Nemeſis autem, vt quæ auium generi eſſet iuncta, menſibus actis, ouum procreauit. quod Mercurius auferens detulit Spartam, & Ledæ ſedenti proiecit in gremium: ex quo naſcitur Helena, cæteris corporis ſpecie præſtans, quam Leda ſuam filiam nominauit. Alij autem cum Leda Iouem concubuiſſe in olorem conuerſum dixerunt, de quo in medio relinquimus.

concumberet

*Cepheus.*

HVnc Euripides, cum cæteris, Pœnicis filium, Æthiopum regem eſſe demonſtrauit, Andromedæ patrem, quam ceto propoſitam notiſſimæ hiſtoriæ dixerunt. Hanc autem Perſeum à periculo liberatam, vxorem duxiſſe: itaque vt totum genus eorum perpetuò maneret, ipſum quoque Cephea inter ſidera ſuperiores numeraſſe.

*Caſſiopeia.*

DE hac Euripides & Sophocles & alij plures dixerũt, vt gloriata ſit, ſe forma Nereïdas præſtare: pro quo facto inter ſidera ſedens, in ſiliquaſtro conſtituta eſt: quæ propter impietatem, vertente ſe mundo, reſupinato capite ferri videtur.

*Andromeda.*

HÆc dicitur Mineruæ beneficio inter aſtra collocata propter Perſei virtutem, quòd eam ceto propoſitam à periculo liberarat: nec enim ab ea minorem animi beneuolentiam pro beneficio accepit. Nam neq; pater Cepheus, neque Caſſiopeia mater, ab ea potuerunt impetrare quin parentes ac patriam relinquens, Perſea ſequeretur. ſed de hac Euripides hoc eodem nomine fabulam commodiſſimè ſcribit.

*Perſeus.*

HIc nobilitatis cauſa, & quòd inuſitatò genere concubitionis eſſet natus, ac ſidera dicitur perueniſſe. qui miſſus à Polydecte Magnetis filio ad Gorgonas, à Mercurio, qui eum dilexiſſe exiſtimatur, talaria & petaſum accepit. Præterea galeam, qua indutus ex aduerſo non poterat videri. Itaque Græci ἄϊδος galeam dixerunt eſſe, non vt quidam inſcientiſſimè interpretantur eum Orci galea vſum, quę res nemini docto poteſt probari. Fertur etiam à Vulcano falcem accepiſſe ex adamante factam, qua Meduſam Gorgonam interfecit, quod factum nemo conſcripſit. Sed vt ait Aeſchylus Tragœdiarum ſcriptor in Phorcis, Grææ fuerunt Gorgonum cuſtodes, de quo in primo libro Genealogiarum ſcripſimus, quæ vtræque vno oculo vſæ exiſtimantur. Et ita ſuo quæque tempore accepto oculo vigilias egiſſe. Hunc Perſeus vna earum tradente exceptum, in paludem Tritonida proiecit. Itaque cuſtodibus excæcatis, facilè Gorgonam ſomno conſopitam interfecit. Cuius caput Minerua in pectore dicitur habere collocatum. Euthemerus quidem Gorgonam à Minerua dicit interfectam. De qua alio tempore plura dicemus.

*Heniochus.*

HVnc nos aurigam Latinè dicimus nomine Erichthonium, vt Eratoſthenes monſtrat quem Iupiter cùm vidiſſet primùm inter homines equos quadrigis iũxiſſe, admiratus eſt ingenium hominis, ad Solis inuenta acceſſiſſe, quod princeps quadrigis inter deos eſt vſus. ſed Erichthonius & quadrigas, vt antè diximus, & ſacrificium Mineruæ, & templum in arce Athenienſium,

primus inſtituit. de cuius progenie Euripides ita dicit, Vulcanus Mineruæ pulchritudine corporis inductum, petiiſſe ab ea, vt ſibi nuberet, neque impetraſſe: & cepiſſe Mineruam ſeſe ocultare in eodem loco, qui propter Vulcani amorem Hephestius eſt appellatus. quò perſecutum Vulcanum, ferunt cœpiſſe ei vim afferre. & cum plenus cupiditatis ad eam vt complexui ſe applicaret ferretur, repulſus, effudit in terram voluptatem. Quò Minerua pudore permota, pede puluerem iniecit. Ex hoc autem naſcitur Erichthonius anguis, qui ex terra & eorum diſſenſione nomen poſſedit. Eum dicitur Minerua in ciſtella quadam, vt myſteria contectum ad Erechthei filias detuliſſe, & his dediſſe ſeruandum: quibus interdixit, ne ciſtulam apperirent. Sed vt hominum eſt natura cupida, vt eò magis appetant quò interdicatur ſæpius, virgines ciſtellam apperuerunt, & anguem viderunt. Quo facto, inſania à Minerua iniecta, de arce Athenienſium ſe præcipitauerunt. Anguis autem ad Mineruæ clypeum confugit, & ab ea eſt educatus. Alij autem anguina tantum crura habuiſſe Erichthonium dixerunt, cúmque primo tempore adoleſcentiæ ludos Mineruæ Panathænea feciſſe, & ipſum quadrigis cucurriſſe, pro quibus factis inter ſidera dicitur collocatus. Nonnulli qui de ſideribus ſcripſerunt, hunc natione Argeum, Orſilochum nomine, primum quadrigarum inuentorem eſſe dixerunt, & pro inuentione ſiderum locum poſſediſſe. Alij autem hunc Mercurij filium ex Clytia natum, nomine Myrtylum Oenomai aurigam diffinierunt, cuius poſt notam omnibus mortem parens corpus in mundo conſtituiſſe exiſtimatur. Huius in humero ſiniſtro capra inſtare, & in manu ſiniſtra hœdi videntur formari: de quibus nonnulli ita dicunt. Olenum quendam fuiſſe nomine Vulcani filium. Ex hoc duas nymphas Aega & Aelicem natas, quæ Iouis fuerunt nutrices. Alij autem ab eis etiam vrbes quaſdam appellari dixerunt. & Olenon in Aulide, Aelicem autem in Peloponneſo, & Aegam in Aemonia nominari, de quibus Homerus in Iliados ſecundo dicit. Parmeniſeus autem ait Meliſſea quendam fuiſſe Cretæ regem, ad cuius

filias Iouem nutriendum eſſe delatum : quæ quòd lac non habuerint, capram ei admiſiſſe, Amaltheam nomine, quæ dicitur eum educaſſe. Hanc autem geminos hœdos ſolitam eſſe procreare, & ferè eo tempore peperiſſe, quo Iupiter nutriendus eſt allatus. Itaque propter beneficium matris & hœdos quoque dicitur inter ſidera collocaſſe. hos autem hœdos Cleoſtratus Tenedius dicitur primus inter ſidera oſtendiſſe. †Muſeus autem dicit Iouis nutrices Athemidem & Amaltheam nymphas, quibus eum mater Ops tradidiſſe exiſtimatur. Amaltheam autem habuiſſe capram quandam, vt in deliciis, quæ Iouem dicitur aluiſſe. Nonnulli etiam Aegam Solis filiam dixerunt, multo candore corporis præſtãtem, cui contrarius pulchritudini horribilis aſpectus exiſtebat, quo Titanes perterriti, petierunt à Terra vt eius corpus obſcuraret : quam terra ſpecu quodam celaſſe dicitur in inſula Creta, quæ poſtea * Iupitris fuiſſe nutrix, vt antè oſtendimus, demonſtratur. Sed cum Iupiter fidens adoleſcentia, bellum contra Titanas appararet, reſponſum eſt ei, ſi vincere vellet, vt Aegos pelle tectus & capite Gorgonis bellum adminiſtraret, quam Aegida Græci appellarunt. Itaque facto eo quod ſuprà declarauimus, Iupiter Titanas ſuperans regnum eſt adeptus, & reliqua oſſa ęgos caprina pelle contecta anima donauit, & ſtellis figuratam memoriæ commendauit: & poſtea quibus ipſe vicerat tectus, Mineruæ conceſſit. Euemerus ait Aegam quandam fuiſſe Panos vxorem, eam compreſſam à Ioue peperiſſe, quem viri ſui Panos diceret filium. Itaque puerum Ægyptana, Iouem verò Aegiochum dictum: qui, quòd eum diligebat plurimum, inter aſtra capræ figura memoriæ cauſa collocauit.

*Mnaſeas. alij ſic legũt: Mnaſeas dicit Iouẽ nutritũ à Themite & Amalthea nympha.*

*Iouis*

### *Ophiuchus.*

OPhiuchus, qui apud noſtros ſcriptores Anguitenens dictus eſt, ſupra Scorpionem conſtitutus, tenens manibus anguem, medium corpus eius implicantem. Hunc complures Carnubutam dixerunt nomine, Getarum regem, qui ſunt in Myſia regione, fuiſſe, qui eodem tempore regno eſt potitus, quo primùm ſemina frugum mortalibus tradita eſſe exiſtimantur. Ceres enim cum ſua beneficia largiretur hominibus, Triptolemum, cuius

ipſa

ipſa fuerat nutrix, in curru draconum collocatum: qui primus hominum vna rota dicitur vſus, nec curſu moraretur, iuſſit omnium nationum agros circumeuntem ſemina partiri, quo facilius ipſi poſteríque eorum à fero victu ſegregarentur. qui cum perueniſſet ad eum, quē ſuprà diximus Getarum regem, ab eo primùm hoſpitaliter acceptus, deinde non vt beneficiis aduena & innocens, ſed vt crudeliſſimus hoſtis inſidiis captus, aliorum dum paratus eſt producere, ſuam penè perdidit vitam. Carnubutæ enim iuſſu, cum draco vnus eorum eſſet interfectus, ne cum Triptolemus ſenſiſſet inſidias ſibi parari, currus præſidium ſibi conſtituere ſperaret, Ceres eò veniſſe, & erepto adoleſcenti currum, dracone altero ſubiecto, reddidiſſe: regem autem pro cœpto maleficio pœna non mediocri affeciſſe, narratur. Hegeſianax dicit, Cererem memoriæ hominum cauſa, ita Carnubutam ſideribus figuraſſe, manibus tenentem, vt interficere draconem exiſtimetur, qui ita vixerat acerbè, vt iocundiſſimam ſibi conſciſceret mortem. Alij autem Herculem eſſe demonſtrant, in Lydia apud flumen Sagarim, anguem interficientem, qui & homines complures interficiebat, & ripam frugibus orbabat. Pro quo facto à regina Omphale quæ ibi regnabat, multis ornatum muneribus Argos remiſſum. Ab Ioue verò propter fortitudinem inter ſidera collocatum. Nõnulli etiam Triopam Theſſalorum regem dixerunt eſſe, qui cum ſuum domicilium regere conaretur, Cereris ab antiquis collocatum diruit templum. Pro quo facto à Cerere fame obiecta, nunquam poſtea frugibus vllis ſaturari potuiſſe exiſtimatur. Nouiſſimè propè ad terminum vitæ, dracone obiecto mala plurima perpeſſus, aliquando mortem adeptus, in aſtra Cereris voluntate eſt conſtitutus. Itaque adhuc videtur eum draco circumplexus, æterna merentem afficere pœna. Polizeius autem Rhodius hunc Phorbanta nomine demonſtrat, qui Rhodiis auxilio maximo fuiſſe demonſtratur. Nam cum eorum inſulam ſerpentium multitudine occupatam, ciues Ophiuſam appellaſſent, & in ea multitudine ferarum, draco fuiſſet ingenti magnitudine, qui pluri-mos eorum interfeciſſet, & patria denique deſerta ca-

Hiſcilla. rere coegiſſet: dicitur Phorbas Triopæ filius ex †Hyocla Mirmydonis filia natus, eò tempeſtate delatus, omnes feras & eum draconem interfeciſſe: qui cum maximè Apollini dilectus eſſet, locatus in cœlo interficiens draconem, laudis & memoriæ cauſa videtur. Itaque Rhodij quotieſcunque à littore longius prodeunt claſſes, prius ſacrificant Phorbantis aduentui, vt illis talis euentus inopinatæ virtutis accidat ciuibus, qualis inſcium Phorbanta futuræ laudis ad ſidera gloriæ pertulit caſus. Complures etiam aſtrologi hunc Æſculapium finxerunt, quem Iupiter Apollinis cauſa inter aſtra collocauit. Æſculapius enim cum eſſet inter homines, & tantum medicina cæteris præſtaret, vt non ſatis ei videretur hominum dolores leuare, niſi etiam mortuos reuocaret ad vitam, nouiſſimè fertur Hippolytum, qui iniquitate nouercæ & inſcitia parentis erat interfectus, ſanaſſe. ita Eratoſthenes dicit. Nonnulli Glaucum Minoos filium, eius opera reuixiſſe dixerunt: pro quo, vt peccato, Iouem domum eius fulmine incendiſſe. Ipſum verò propter artificium & Apollinem eius patrem inter ſidera anguem tenentem conſtituiſſe. vt quidam dixerunt, hac de cauſa anguem tenere dicitur, quòd cum Glaucum cogeretur ſanare, concluſus quodam loco ſecreto, bacillum tenens manu, cum quid ageret, cogitaret, dicitur anguis ad bacillum eius arrepſiſſe. quem Æſculapius mente commotus interfecit bacillo, fugientem feriens ſæpius. Poſtea fertur alter anguis eodem veniſſe, ore ferens herbam, & in caput eius impoſuiſſe: quo facto, loco fugiſſe, quare Æſculapium vſum eadem herba, & Glaucum reuixiſſe. Itaque anguis & in Æſculapij tutela, & in aſtris dicitur collocatus. qua conſuetudine ducti poſteri eius tradiderunt, vt reliqui medici anguibus vterentur.

### *Sagitta.*

HAnc vnam de Herculis telis eſſe demonſtrant, qua aquilam dicitur interfeciſſe, quæ iecinora Promethei fertur exediſſe: de quo pluribus verbis dicere, non videtur inutile. Antiqui cum maxima cerimonia deorum immortalium ſacrificia adminiſtrarent, ſoliti ſunt

totas hoſtias in ſacrorum conſumere flamma. Itaque cùm propter ſumptus magnitudinem ſacrificia pauperibus non contingerent, Prometheus, qui propter excellentiam ingenij miram, homines finxiſſe exiſtimatur, recuſatione dicitur ab Ioue impetraſſe, vt partem hoſtiæ in ignem proiicerent, partem in ſuo conſumerent vſu. Idque poſtea conſuetudo firmauit: quod cum facilè à deo, non vt ab homine auaro, impetraſſet, ipſe Prometheus immolat tauros duos, quorum primum iecinora cum in ara poſuiſſet, reliquam carnem ex vtroque tauro in vnum compoſitam, corio bubulo texit. Oſſa autem quæ circum fuerunt, reliqua pelle contecta, in medio collocauit: & Ioui fecit poteſtatem, vt quam vellet eorum conſumeret partem. Iupiter autem, etſi non pro diuina fecit cogitatione, nec vt Deum licebat, omnia qui debuit antè prouidere, ſed (quoniam credere inſtituimus hiſtoriis) deceptus à Prometheo, vtrunque putans eſſe taurum, delegit oſſa pro ſua dimidia parte.
Itaque poſtea in ſolennibus & religioſis ſacrificiis carne hoſtiarum conſumpta, reliquias, quæ pars fuit deorum, eodem igni comburunt. Sed vt ad propoſitum reuertamur, Iupiter cum factum reſciſſet, animo permoto mortalibus eripuit ignẽ, ne Promethei gratia plus deorum poteſtate valeret, neve carnis vſus vtilis hominibus videretur, cum coqui non poſſet. Prometheus autem conſuetus inſidiari, ſua opera ereptum mortalibus ignem reſtituere cogitabat. Itaque cæteris remotis, venit ad Iouis ignem: quo diminuto & in ferulam coniecto, lætus vt volare non currere videretur, ferulam iactãs, ne ſpiritus intercluſus vaporibus extingueret in anguſtia lumen. Itaque homines adhuc plerunque, qui lætitiæ fiunt nuncij, celerrimè veniunt. Præterea †totũ à certatione ludorum curſoribus inſtituerunt ex Promethei conſuetudine, vt currerent lampadem iactantes. Pro quo Iupiter facto mortalibus parem gratiam referens, mulierem tradidit his, quam à Vulcano factam deorum voluntate omni munere donauit. Itaque Pandora eſt appellata. Prometheum autem in monte Scythiæ, nomine Caucaſo, ferrea catena vinxit:

votũ

quem alligatum ad triginta milia annorum Aeſchylus tragœdiarum ſcriptor dixit. Præterea admiſit ei aquilam, quæ aſſiduè noctu renaſcentia iocinora exeſſet. Hanc autem aquilam nonnulli ex Typhone & Echidna natam: alij ex Terra & Tartaro complures à Vulcano factam: Polyzeus autem Vulcani factam manibus demonſtrat, animámque ei ab Ioue traditam dicunt. Sed eius de ſolutione hanc memoriæ proditam eſſe cauſam. Cùm Iupiter Thetidis connubium pulchritudine corporis inductus peteret, neque à timida virgine impetraret, neque ea re minus efficere cogitaret, illo tempore Parcæ ceciniſſe feruntur fata, quæ perfici natura voluit rerum: dixerunt enim, quicunque Thetidis fuiſſet maritus, eius filium patria fore laude clariorem. quod Prometheus non voluntate, ſed neceſſitudine vigilans, auditum Ioui nuntiauit. qui veritus, ne id quod ipſe Saturno patri feciſſet, in ſimili cauſa patris regno priuatus cogeretur, deſtitit Thetim velle ducere vxorem, & Prometheo pro beneficio meritam retulit gratiam, eúmque vinculis liberauit: neque quod illi fuerat iuratus remiſit, vacuum omni alligatione futurum. Sed memoriæ cauſa ex vtraque re, hoc eſt lapide & ferro ſibi digitum vincire iuſſit. qua conſuetudine homines vſi, quo ſatisfacere Prometheo viderentur; annulos lapide & ferro concluſos habere cœperunt. Nonnulli etiam coronam habuiſſe dixerunt, vt ſe victorem impunè peccaſſe diceret. Itaque homines in maxima lætitia victoréſque coronas habere conſtituerunt. Id in exercitationibus & conuiuijs perſpicere licebit: ſed opinio eſt. ad initium & interitum aquilæ reuertamur. Hercules miſſus ab Euryſtheo ad Heſperidum mala, neſcius viæ deuenit ad Promethea, quem in Caucaſo monte vinctum ſuprà diximus. A quo via demonſtrata, partáque victoria ad eum iter facere contendit, vt & draconem, de quo antè diximus, interfectum diceret, & gratiam pro beneficio redderet. Nam confeſtim honorem quem potuit reddidit merenti. * Qua dimiſſa, homines inſtituerunt vt hoſtiis immolatis iocinora conſumerent in deorum altaribus, vt ſaturare eos per viſcera viſceribus Pro-

*Deeſt, & aquila quæ*

methei viderentur. Vt Eratoſthenes autem de ſagitta demonſtrat, hac Apollo Cyclopas interfecit, qui fulmen Iouis fecerunt, quo Æſculapium interfectum complures dixerunt. Hanc autem ſagittam in Hyperboreo monte Apollinem defodiſſe. cum autem Iupiter ignouerit filio, ipſam ſagittam vento ad Apollinem perlatam, cum frugibus quæ eo tempore naſcebantur. Hanc ergo ob cauſam inter ſidera demonſtratur.

*iecur eius exedebat, ſagittu interfecit, aut ſimile quidpiam.*

*De Aquila.*

AQuila hæc eſt, quæ dicitur Ganymedem rapuiſſe, & amanti Ioui tradidiſſe. Hanc etiam Iupiter prim⁹ ex auiū genere delegiſſe ſibi exiſtimatur, quę ſola tradita eſt memoriæ, contra ſolis orientis radios contēdere valere. Itaque ſuper aquarium volare videtur. Hunc enim complures Ganymedem eſſe finxerunt. Nonnulli etiam dixerunt Meropen quendam fuiſſe, qui Coam inſulam tenuerit regno, & à filiæ nomine Coon, & homines ipſos à ſe Meropas appellaret. Hunc autem habuiſſe vxorem nomine Ethemeam, genere Nympharū procreatam: quæ cùm deſierit colere Dianam, ab ea ſagittis figi cœpit. Tandem à Proſerpina viuam ad inferos arreptam eſſe. Meropen autem deſiderio vxoris permotum, mortem ſibi conſciſcere voluiſſe. Iunonem autem miſertam eius, in aquilam corpus eius conuertiſſe, & inter ſidera conſtituiſſe: ne, ſi hominis effigie eum collocaret, nihilominus memoriam tenens, coniugis deſiderio mœreret. Aglaoſthenes autem qui Naxica ſcripſit, ait, Iouem Cretæ ſurreptum, Naxum delatum, & ibi eſſe nutritum: qui poſtquam peruenerit ad virilem ætatem, & voluerit bello laceraſſe Titanas, ſacrificanti ei aquilam auſpicatam: quo auſpicio vſum eſſe, & eam inter aſtra collocaſſe. Nonnulli etiam dixerunt Mercurium, alij autem Anapladem pulcritudine Veneris ductum, in amorem incidiſſe: & cum ei copia non fieret, animum, vt cōtumelia accepta, defeciſſe: Iouem autem miſertū eius, cum Venus Acheloo flumine corpus ablueret, miſiſſe aquilam quæ ſoccum eius in † Amitenea Ægyptiorum delatum Mercurio traderet. quem perſequens Venus, ad cupientem ſui peruenit: qui copia facta, pro beneficio aquilam in mundo collocauit.

*Amithaoniam.*

*Delphin.*

HIc qua de cauſa ſit inter aſtra collocatus, Eratoſthenes ita cum cæteris dicit. Neptunum quo tempore voluerit Amphitritem* ducere vxorem, & illa cupiens ſeruare virginitatem, fugerit ad Atlanta, complures eò quæſitum dimiſiſſe. In his & Delphina quendam nomine, qui peruagatus inſulas, aliquando ad virginem peruenit, eique perſuaſit vt nuberet Neptuno, & ipſe nuptias eorum adminiſtrauit. Pro quo facto inter ſidera delphini effigiem collocauit. Et hoc amplius, qui Neptuno ſimulacrum faciunt, delphinum aut in manu, aut ſub pede eius conſtituere videmus: quod Neptuno gratiſſimum eſſe arbitrantur. Aglaoſthenes autem qui Naxica conſcripſit, Tyrrhenos ait fuiſſe quoſdam nauicularios, qui Liberum patrem puerum receptum, vt Naxum cum ſociis ſuis comitibus tranſuectum, redderent nutricibus nymphis, à quibus cum nutritum, & noſtri in progenie deorum & complures Græci dixerunt. Sed vt ad propoſitum reuertamur, nauicularij ſpe prædæ inducti, nauem auertere voluerunt. quod Liber ſuſpicatus, comites ſuos iubet ſymphonia canere: quo ſonitu inaudito Tyrrheni cum vſque eò delectarentur, vt etiam in ſaltationibus eſſent occupati, cupiditate ſe in mare inſcij proiecerunt, & ibi delphini ſunt facti. quorum cogitationem cum liber memoriæ hominum tradere voluiſſet, vnius effigiem inter ſidera collocauit. Alij autem dicunt, hunc eſſe delphina, qui Ariona citharœdum ex Siculo mari Tænarum tranſuexit: qui, cum cæteros artificio præſtaret, & circum inſulas quæſtus cauſa vagaretur, ſeruuli eius arbitrati, plus in perfidioſa libertate commodi, quàm in placida ſeruitute eſſe, cogitare cœperunt, vt in pelagus domino proiecto, bona eius inter ſe partirentur. qui cum cogitationem eorum ſenſiſſet, petiit non vt dominus à ſeruis, ſed vt innocēs ab improbis, vt parens à filiis, vt ſe liceret ornatum, qua ſæpe fuerat veſte, *quoniam nemo eſſet alius, vt ipſe, qui ſuum queſtum proſequeretur euentum. Quòd cum impetraſſet, cithara ſumpta, ſuā cœpit deflere mortem: quo ſonitu ducti delphines, è toto mari pronatant ad Arionis cantum. Itaque deorum immortalium pote-

*Canere, vel ſimile verbū deeſt.*

ſtate inuocata, ſuper eos ſe deiecit. quorum vnus Ariona exceptum pertulit ad Tænarium litus. in cuius memoriæ cauſam, quæ ibi ſtatuta eſt Arionis, in ea delphin ſimulacrum affixum videtur, pro qua re inter ſidera ab antiquis aſtrologis eſt figuratum. Serui autem qui ſe putarant ſeruitute elapſos, tempeſtate Tænarum perducti, à domino comprehenſi, non mediocri ſupplicio ſunt affecti.

*Equus.*

HVnc Aratus & alij complures Pegaſum, Neptuni & Meduſæ Gorgonis filium, dixerunt, qui in Helicone Bœotiæ monte vngula ſaxum feriens, fontem aperuit, qui ex eius nomine Hippocrene eſt dictus. Alij dicunt: Quo tempore Bellerophontes ad Prœtum Abantis filium Argiuorum regem deuenerit, Antiam coniugem regis, hoſpitis amore inductam, petiiſſe ab eo vti ſibi copiam faceret, promittens ei coniugis regnum. quę cum impetrare non potuiſſet, verita ne ſe ad regem criminaretur, occupat, cum ſibi vim afferre voluiſſe Prœto dicit. qui quòd eum dilexerat, noluit ipſe ſupplicium ſumere: ſed quod æquum eſſe ſciebat, mittit eum ad Iobatam Antiæ reginæ patrem, quam alij Sthenobœam dixerunt, vt ille filiæ pudicitiam defendens, Bellerophontem obiiceret Chimeræ, quæ eo tempore Lyciorum agros vaſtabat flamma: vnde victor profugiẽs poſt fontis inuentionem, cum ad cœlum contenderet euolare, neque longè iam abeſſet, deſpiciens ad terram, timore permotus decidit, ibíque periſſe dicitur. Equus autem ſubuolaſſe inter ſidera ab Ioue conſtitutus exiſtimatur. Alij non criminatum ab Antia, ſed ne ſæpius audiret quod nollet, aut precibus eius moueretur, profugiſſe Argis dixerunt. Euripides autem in Menalippa, ipſam Menalippen Chironis Centauri filiam, Thetin antea appellatam dicit: quæ cum aleretur in monte Pelio, & ſtudium in venando maximum haberet, quodam tempore ab Æolo Hellenis filio Iouis nepote perſuaſam concepiſſe. cúmque iam partus appropinquaret, profugiſſe in ſyluã, ne patri cum virginẽ ſperaret, nepotem procreaſſe videretur. Itaq; cum parẽs eam perſequeretur, dicitur petiiſſe à deorũ poteſtate, ne pariẽs à parẽte

conſpiceretur. quæ deorum voluntate, poſtquam peperit, in equam conuerſa, inter aſtra eſt conſtituta. Nonnulli eam vatem dixerunt eſſe: ſed quòd deorum conſilia hominibus ſit enunciare ſolita, in equam eſſe conuerſam. Gallimachus autem ait quòd deſierit venari, & colere Dianam, in quam ſpeciem ſuprà diximus eam Dianam conuertiſſe. Hęc dicitur etiam hac re non eſſe in conſpectu Centauri, quem Chirona eſſe nonnulli dixerunt: & etiam dimidiam apparere, quòd noluerit ſcire ſe fœminam eſſe.

*Deltotum.*

HOc ſidus velut litera eſt Græca in triangulo poſita: itaque appellatur, quòd Mercurius ſupra caput Arietis ſtatuiſſe exiſtimatur, ideo vt obſcuritas Arietis huius ſplendore, quo loco eſſet, ſignificaretur, & Iouis nomine Græcè Dios primam literam deformaret. Nonnulli Ægypti poſitionem. Alij quà Nilus terminaret Æthiopiam eſſe & Ægyptum dixerunt. Alij Siciliam figuratam putauerunt. Alij, quòd orbem terrarum ſuperiores trifariam diuiſerunt, tres angulos eſſe conſtitutos dixerunt.

*Aries.*

HIc exiſtimatur eſſe qui Phryxum tranſtuliſſe & Hellen dictus eſt, per Helleſpontum: quem Heſiodus & Pherecydes ait habuiſſe auream pellem, de qua alibi plura dicemus. Sed Hellen decidiſſe in Helleſpontum, & à Neptuno compreſſam Pæona procreaſſe complures, nonnulli Edonum dixerunt. Præterea Phryxum incolumen ad Æetam perueniſſe, & arietem Ioui immolaſſe, pellem in templo fixiſſe, arietis ipſius effigiem ab Ioue inter ſidera conſtitutam. habere tempus anni quo frumentum ſeritur, ideò quòd ortum ſeuerit, antè, quæ maximè fugæ fuit cauſa. Ea Eratoſthenes ait, arietem ipſum ſibi pellem auream detraxiſſe, & Phryxo memoriæ cauſa dediſſe, ipſum ad ſidera perueniſſe: quare, vt ſuprà diximus, obſcurius videatur. Hunc autem nonnulli dixerũt in oppido Orchomenio, quod eſt in Bœotia, natum. Alij in Salonum Theſſaliæ finibus procreatum. Alij dicunt Crethea & Athamantem cum aliis pluribus, Æoli filios fuiſſe. Nonnulli etiam Athamantis fi-

lium, Salomon eſſe Æoli nepotem dixerunt. Crethea autem habuiſſe Demodicem vxorem, quam alij Biadicen dixerunt. Hanc autem Phrixi Athamantis filij corpore inductam in amorem incidiſſe: neque ab eo, vt ſibi copiam faceret, impetrare potuiſſe. Itaque neceſſariò coactā criminari eum ad Crethea cœpiſſe, quæ diceret ab eo vim ſibi penè allatam, & horum ſimilia mulierum conſuetudine dixiſſe. Quo facto, Crethea, vt vxoris amātem permotum Athamanti, vt de eo ſupplicium ſumeret, perſuaſiſſe. Nubem autem interueniſſe, & ereptum Phryxum & Hellen eius ſororem in ariete poſuiſſe: & per Helleſpontum quàm longiſſimè poſſet, perfugere iuſſiſſe: Hellen decidiſſe & ibi debitum naturæ reddidiſſe. Ex huius nomine Helleſpontum appellatum. Phryxum Colchos perueniſſe, & antè diximus, arietis interfecti pellem in templo fixiſſe. Ipſum autem à Mercurio ad Athamantem reductum, qui patri eius ſatisfecerit, eum innocentía confuſum profugiſſe. Hermippus autem dicit, quo tempore Liber Africam oppugnauerit, deueniſſe cum exercitu in eum locum, qui propter multitudinem pulueris Ammodes eſt appellatus. Itaque cum in maximum periculum deueniſſet, quod iter neceſſariò facere videbatur, acceſſit eò, vt aquæ maxima penuria eſſet. quo facto exercitus ad defectionem maximā venire cogebatur: qui quid agerent dum cogitant, aries quidā fortuitò ad milites eorum errans peruenit. quos cùm vidiſſet, fuga ſibi præſidium parauit. Milites autem qui eum fuerunt conſpicati, etſi puluere & æſtu preſſi vix progrediebantur, tamen vt prædam ex flamma petentes, arietem ſequi cœperunt vſque ad eum locum, qui Iouis Ammonis poſtea templo conſtituto eſt appellatus. Quò cùm perueniſſent, arietem qui conſecuti fuerant, nuſquā inuenire potuerunt. Sed quod magis hic fuerat optandum, aquæ magnam copiam in eo loco nacti ſunt: corporibúſque recuperatis, Libero ſtatim nunciauerunt. qui gauiſus ad eos fines exercitum deduxit, & Iouis Ammonis templum cum arietinis cornibus ſimulachro facto conſtituit. arietem inter ſidera figurauit, ita vt cùm Sol in eius foret ſigno, omnia naſcentia recrearentur, quæ veris tempore fiunt, hac re maximè, quòd illius fuga

Liber recreauit exercitum. Præterea 12. ſignorum principem voluit eſſe, quòd ille optimus exercitui fuerit ductor. Sed de Ammonis ſimulacro Leon, qui res Ægyptias conſcripſit, ait: Cum Liber Ægyptum, & reliquos fines regno teneret, & omnia primus hominibus oſtendiſſe diceretur, Ammonem quẽdam ex Africa veniſſe, & pecoris multitudinem ad Liberum adduxiſſe, quo facilius & eius gratia vteretur, & aliquid primus inueniſſe diceretur. Itaq; pro beneficio ei Liber exiſtimatur agrũ dediſſe, qui eſt contra Thebas Ægyptias. & qui ſimulacra faciunt Ammonis, cum capite cornuto inſtituunt, vt homines memoria teneant, eum primum pecus oſtendiſſe. Qui autem Libero factum voluerunt aſſignare, quòd non petierit ab Ammone, ſed vltrò ad eum ſit adductus, ſimulacra illi cornũta faciunt, & arietem memoriæ cauſa inter ſidera fixum dicunt.

*Sic Ouid. 5. Faſt.*

## *Taurus.*

*Hoc alij ſignum Phariam dixére iuuencã. Quæ bos ex homine eſt, ex boue facta dea.*

HIc dicitur inter aſtra conſtitutus, quod Europam incolumem tranſuexit Cretam, vt Euripides dicit. Nonnulli autem cum Io in bouem ſit conuerſa, vt Iupiter ei ſatisfacere videretur, inter ſidera conſtituiſſe, quo eius prior pars apparet, vt tauri, ſed reliquum corpus obſcurius videatur. Spectat autem ad exortum ſolem, cuius oris effigiem quæ continent ſtellæ, Hyades appellantur. Has autem Pherecydes Athenienſis Liberi nutrices eſſe demonſtrat numero ſeptem, quas etiam antè nymphas Dodonidas appellatas. Harum nomina ſunt hæc: Ambroſia, Eudora, Pedile, Coronis, Poliſſo, Phyleto, Thyene. Hæ dicuntur à Lycurgo fugatæ, & præter Ambroſiam omnes ad Thetym profugiſſe, vt ait Aſclepiades. Sed vt Pherecydes dicit, ad Thebas Liberum perlatum, Iunoni tradiderunt. Quam ob cauſam ab Ioue gratia eis eſt relata, quòd inter ſidera ſunt conſtitutę. Hyades autem appellatæ ſunt, vt ait Muſæus, quòd ex Atlante & Platone Oceani filia, ſint quindecim filiæ procreatæ, quarum quinque Hyadas appellatas demonſtrat, quòd earum Hyas fuerit frater à ſororibus pluri-mum dilectus: qui cum venans à leone eſſet interfectus, quinque, de quibus ſuprà diximus, lamentationibus aſſiduis permotæ dicuntur interiiſſe: quare eas

*Heſiodus quinque tãtum Hyades numerat.*

Νύμφαι χαρίτεσσιν, ὁμοῖαι, φαισύλη ἠδὲ κορωνὶς, εὐστέφανός τε κλέεια, φαίου' ἱμερόεσσα καὶ εὐδώρη τανύπεπλος, νύμφαι, ἃς ὕαδας καλέουσι φῦλ' ἀνθρώπων.

quòd plurimum de eius morte laborarent, Hyadas appellatas. Reliquas verò decem ſorores deliberaſſe de ſororum morte, & earum ſeptem ſibi mortem conſciſſe: quare quòd plures idem ſenſerunt, Pleiadas dictas. Alexander autem Hyadas ait dictas, quòd Hyantis & Bœotiæ ſunt filiæ. Pleiadas autem, quòd ex Pleione Oceani & Atlantæ ſint natæ. Hæ numero ſeptem dicuntur. *Pleiades.* Sed nemo amplius quàm ſex videre poteſt. Cuius cauſa proditur hæc, quòd de ſeptem ſex cum immortalibus concubuerunt: tres cum Ioue, duæ cum Neptuno, vna cum Marte. reliqua autem Siſiphi vxor demonſtratur. Quarum ex Electra & Ioue Dardanum, ex Maia Mercurium, ex Taygete Lacædemona procreatum, ex Alcyone autem & Neptuno Hyrea, ex Celæno Lycum & Nyctea natum. Martem autem ex Sterope Oenomaum procreaſſe, quam alij Oenomai dixerunt vxorem. Meropem autem Siſypho nuptam, Glaucum genuiſſe, quem complures Bellerophontis patrem eſſe dixerunt. Quare propter reliquas ſorores eius, inter ſidera conſtitutam. Sed quia homini nupſit, ſtellam eius obſcuratam. Alij dicunt Electram non apparere, ideò quòd Pleiades exiſtimentur choream ducere ſtellis. Sed poſtquam Troia fuit capta, & progenies eius quæ à Dardano fuerit, ſit euerſa, dolore permotam, ab his ſe remouiſſe, & in circulo qui arcticus dicitur, conſtitiſſe, ex quo tam longo tempore lamentantem capillo ſparſo videri. Itaque è facto cometem eſſe appellatam. Sed has Pleiadas antiqui Aſtrologi ſeorſum à Tauro deformauerunt, vt antè diximus, Pleionis & Atlantis filias: quæ cum in Bœotiam cum puellis iter facerent, Oriona conatum voluiſſe eis vim afferre, illas fugere cœpiſſe. Oriona autem ſecutum eſſe annis 12. neque eas inuenire potuiſſe. Iouem autem puellarum miſertum, inter aſtra conſtituiſſe, & poſtea à nonnullis aſtrologis caudam tauri appellatam. Itaque adhuc Orion fugientes eas ad occaſum ſequi videtur. Eas ſtellas Vergilias noſtri dixerunt, quòd poſt ver exoriuntur. & hæ quidem ampliorē cæteris habent honorem: quòd earum ſigno exoriente æſtas ſignificatur, occidente autem hyems oſtenditur, quod aliis non eſt traditum ſignis. *Vergiliæ.*

## *Gemini.*

HOs complures aſtrologi Caſtorem & Pollucem eſſe dixerunt, quos demonſtrant omnium fratrum inter ſe amantiſſimos fuiſſe: quia neque de principatu contenderunt, neque vllam rem ſine communi conſilio geſſerunt. Pro quibus officiis eorum Iupiter inter notiſſima ſidera eos conſtituiſſe exiſtimatur. Neptunum autem pari conſilio eos muneraſſe. Nam equos his quibus vtuntur donauit, & dedit poteſtatem naufragiis ſaluti eſſe. Alij dixerunt Herculem eſſe & Apollinem: nonnulli etiam Triptolemum, quem ſuprà diximus, & Iaſiona, à Cerere dilectos, & ad ſidera perlatos. Sed qui de Caſtore & Polluce dicunt, hoc amplius addunt, vt Caſtor in oppido Ariadnis ſit occiſus, quo tempore Lacedæmones cum Athenienſibus bellum geſſerunt. Alij autem, cum oppugnarent Spartam Lynceus & Idas, ibi periiſſe dixerunt. Pollucem ait Homerus conceſſiſſe fratri dimidiam vitam. Itaque alternis diebus, eorum quenque lucere.

## *Cancer*

HIc dicitur Iunonis beneficio inter aſtra collocatus, quòd cùm Hercules contra hydram lernæam conſtitiſſet, ex palude pedem eius mordicus arripuiſſet: qua de re Herculem permotum, eum interfeciſſe. Iunonem autem inter ſidera conſtituiſſe, vt eſſet cum duodecim ſignis, quæ maximè ſolis curſu continentur. In eius deformationis parte ſunt quædam qui aſini appellantur, à Libero in teſta cancri duabus ſtellis figurati. Liber enim à Iunone furore obiecto, dicitur mente captus fugiſſe per Theſprotiam, cogitans ad Iouis Dodonæi templum peruenire: vnde peteret reſponſum, quò facilius ad priſtinum ſtatum mentis perueniret. ſed cùm veniſſet ad quandam paludem magnam, quam tranſire non poſſet, de quibuſdam duobus aſellis obuiis factis, dicitur vnum deprehendiſſe eorum, & ita eſſe tranſuectum, vt omnino aquam non tetigerit. Itaque cùm veniſſet ad templum Iouis Dodonæi, ſtatim dicitur à furore liberatus, & aſellis gratiam retuliſſe, & inter aſtra eos collocaſſe. Nonnulli etiam dixerunt aſino illi quo fuerat vectus, vocem humanam dediſſe. Itaque poſtea cum Priapo deo

naturæ contendiſſe, & victum ab eo interfectum, pro quo Liberum eius miſertum in ſideribus annumeraſſe. Et vt ſciretur id pro deo, non pro homine timido (quia Iunonem fugerit) feciſſe, ſupra cancrum conſtituit, qui deæ beneficio fuerat affixus aſtris. Dicitur etiam alia hiſtoria de aſellis. vt ait Erathoſtenes, quo tempore Iupiter bello gigantibus indicto, ad eos oppugnandos omnes deos conuocauit, veniſſe Liberum patrem, Vulcanum, Satyros, Silenos aſellis vectos: qui cum non longè ab hoſtibus abeſſent, dicuntur aſelli pertimuiſſe, & ita pro ſe quiſque magnum clamorem & inauditum gigantibus feciſſe, vt omnes hoſtes eorum clamore in fugam ſe conuerterent, & ita ſint ſuperati. Huius ſimilis eſt hiſtoria de buccina Tritonis. Nam hic quoque fertur, cum concham inuentam excauaſſet, ſe cum ad gigantes tuliſſe, & ibi ſonitum quendam inauditum per concham miſiſſe. Hoſtes autem veritos, ne qua eſſet immanis fera ab aduerſariis adducta, cuius eſſet ille mugitus, fugæ ſe mandaſſe: & ita victos, in hoſtium poteſtatem perueniſſe.

*Leo.*

HIc dicitur à Ioue conſtitutus, quòd omnium ferarum princeps eſſe exiſtimatur. Nonnulli etiam hoc amplius dicunt, quòd Herculis prima fuerit hæc certatio, & quòd eum inermis interfecit. De eo Piſandrus & complures alij ſcripſerunt, cuius ſimulacrum proximum eſt virgini.* Sed aliæ 7. ſtellæ ad caudam leonis in triangulo collocatę, quas crines Beronices eſſe Conon Samius mathematicus & Callimachus dicit. *Sunt.*

Cum Ptolemæus Beronicen, Ptolemæi & Arſinoes filiam ſororem ſuam duxiſſet vxorem, & paucis pòſt diebus Aſiam oppugnatum profectus eſſet, nouiſſe Beronicen, ſi victor Ptolemæus rediſſet, ſe detonſuram crinem. quo voto damnatum crinem in Veneris Arſinoes * Confitidis poſuiſſe templo, cúmque poſtero die non comparuiſſe. quod factum cum rex ægrè ferret. Conon mathematicus (vt diximus) cupiens inire gratiam regis, dixit crinem inter ſidera videri collocatum, & quaſdam vacuas à figura ſeptem ſtellas oſtendit, quas eſſe crinem fingeret. Hanc Beronicen nonnulli cum Callimacho di-

*Quidã Zephyritidis legunt. Ergo malim Chryſitidis. Nam & Plin. tēplum Arſi-*

*noſs aureũ vocatum dicit libro 37. ca. 8. Decrine autem Beronices apud eundẽ eſt , lib. 2. ca. 70.*

xerunt equos alere, & ad Olympia mittere conſuetam. Alij dicunt hoc amplius Ptolemæum Beronicis patrem, multitudine hoſtium perterritum, fuga ſalutem petiſſe, filiam autem ſæpe conſuetam inſiliiſſe in equum, & reliquam exercitus copiam conſtituiſſe, & complures hoſtium interfeciſſe, reliquos in fugam conieciſſe, pro quo etiam Callimachus eam magnanimam dixit. Eratoſthenes autem dicit virginibus Leſbiis dotem, quam cuique relictam à parente nemo ſolueret, iuſſiſſe reddi, & inter eos conſtituiſſe petitionem.

*Virgo.*

HAnc Heſiodus Iouis & Thetidis filiam dicit. Aratus autem Aſcræi & Auroræ filiam exiſtimat, quòd eodem tempore fuerit, cum aurea ſecula hominum, & eorum principem fuiſſe demõſtrat, propter diligentiam & æquitatem, Iuſtitiam appellatam: neque illo tempore ab hominibus exteras nationes bello laceſſitas eſſe, neque nauigio quenquam vſum eſſe, ſed agris colendis vitam agere conſueuiſſe. Sed poſt eorum obitum qui ſint nati minus officioſos, magis auaros cœpiſſe fieri: quare minus iuſtitiam inter homines fuiſſe conuerſatam. Deniqúe eam perueniſſe vſque eò, dum diceretur, Heu heu genus hominum * natum. Itaque iam non potuiſſe pati amplius, & ad ſidera euolaſſe. Sed hanc alij Fortunam, alij Cererem dixerunt. & hoc magis non conuenit inter eos, quòd caput eius nimium obſcurum videtur. Nonnulli etiam Erigonem Icarij filiam dixerunt, de qua ſuprà diximus. Alij autem Apollinis filiam ex Chriſothemi natam, & infantem Parthenon nomine dictam: eámque quòd parua interierit, ab Apolline inter ſidera collocatam.

** malum*

*Scorpius.*

HIc propter magnitudinem membrorum in duo ſigna diuiditur, quorum vnius effigiẽ noſtri libram dixerunt. Sed omnino totum ſignum hac de cauſa ſtatutum aſſignatur, quòd Orion cum venaretur, & in eo exercitatiſſimum ſe eſſe confideret, dixiſſe etiam Dianæ & Latonæ, ſe omnia quæ ex terra oriuntur, interficere valere: quare terram permotam, ſcorpionem eduxiſſe, qui eum interficere demonſtratur. Iouem autem vtriuſque

que animum admiratum, ſcorpionem inter aſtra collocaſſe: vt ſpecies eius hominibus documento eſſet, ne quis eorum de aliqua re ſibi confideret. Dianam autem propter ſtudium Orionis petiſſe à Ioue, vt idem illi beneficium daret petenti, quòd terræ vltrò tribuiſſet. Itaque eum conſtitutum, vt cum ſcorpio oriatur, Orion occidat.

*Sagittarius.*

HVnc complures Centaurum eſſe dixerunt. Alij autem hac cauſa negauerunt, quòd nemo Centaurus ſagittis ſit vſus. Hic autem quæritur, cur equinis cruribus ſit deformatus, & caudam habeat vt Satyri. Dicunt enim nonnulli, hunc eſſe Crotum nomine, Euphemes Muſarum nutricis filium, vt ait Soſitheus tragœdiarum ſcriptor, eum domicilium in monte Helicone habuiſſe, & cũ Muſis ſolitum delectari, nonnunquam etiam ſtudio venationis exerceri. Itaque pro merita diligentia magnam laudem aſſecutum. Nam & celerrimum in ſyluis, & acutiſſimum in Muſis factum eſſe: pro quo ſtudio petiſſe Muſas ab Ioue, vt in aliquo aſtrorum numero deformaretur. Itaque Iouem feciſſe, vt cum omnia illius artificia vno corpore vellet ſignificare, crura ei⁹ equina feciſſe, quòd equo multum ſit vſus: & ſagittas pro ingenio adiunxiſſe, vt ex his & acumen & celeritas eſſe videretur. Caudã ſatyricã in corpore finxiſſe, quòd non minus hic Muſis, quàm Liber Satyris ſit delectatus. Ante huius pedes ſtellæ ſunt paucæ in rotundo deformatæ, quas coronã eius, vt ludentis abiectam nõnulli dixerunt.

*Capricornus.*

HVius effigies ſimilis eſt Ægipani, quem Iupiter, quòd cum eo erat nutritus, in ſideribus eſſe voluit: vt capram nutricem, de qua antè diximus. Hic etiam dicitur, cum Iupiter Titanas oppugnaret, primus obiecíſſe hominibus timorem, qui Panicos appellatur, vt ait Eratoſthenes. hac etiam de cauſa huius inferiorem partem piſcis eſſe formationem, quòd muricibus, id eſt maritimis conchyliis hoſtes ſit iaculatus pro lapidum iactatione. Ægyptij autem ſacerdotes, & nonnulli poetæ dicant, cum plures dij in Ægyptũ conueniſſent, repentè veniſſe eodẽ Typhona acerrimum

giganta,& maximè deorum inimicum:quo timore permotos,in aliam figuram ſe conuertiſſe. Mercurium factum eſſe Ibin: Apollinem autem,quæ Threicia auis eſt, & grus dicitur:Dianam cato ſimulatam. quibus de cauſis Ægyptios ea genera violari non ſinere demonſtrant, quòd deorum imagines dicantur. Eodem tempore Pana dicunt in flumen ſe deieciſſe, & poſteriorem partem corporis effigiem piſcis,alteram verò hirci feciſſe,& ita à Typhone profugiſſe:cuius cogitatum Iouem admiratum,effigiem eius inter ſidera fixiſſe.

*Aquarius.*

HVnc complures Ganymedem eſſe dixerunt. Quem Iupiter propter pulchritudinem corporis ereptum parentibus deorum miniſtrum feciſſe exiſtimatur. Itaque oſtenditur,vt aqua aliquò infundens. Hegeſianax autem Deucaliona dicit eſſe,quòd eo regnante tãta vis aquæ ſe de cœlo profuderit, vt cataclyſmus factus eſſe diceretur. Eubulus autem Cecropem demonſtrat eſſe, antiquitatem generis commemorans, & oſtendens antequam vinum traditum ſit hominibus, aqua in ſacrificiis deorum vſos eſſe,& antè Cecropem regnaſſe, quàm vinum ſit inuentum.

*Piſces.*

DIogenites Brithracus ait, quodam tempore Venerem cum Cupidine filio in Syriam ad flumen Euphratem veniſſe, & eodem repentè Typhona giganta, de quo ſuprà diximus, apparuiſſe. Venerem autem cum filio in flumen ſe proieciſſe, & ibi figuram piſcium forma mutaſſe: quo facto,periculo eſſe liberatos. Itaque poſtea Syros,qui in his locis ſunt proximi, deſtituiſſe piſces eſitare,quòd vereantur eos capere, ne ſimili cauſa deorum præſidia impugnare videantur, aut eos ipſos captare. Eratoſthenes autem ex eo piſce natos homines dicit:de quo pòſt dicemus.

*Cetus.*

DE hoc dicitur,quòd à Neptuno miſſus ſit,vt Andromedam interficeret,de qua antè diximus.Sed à Perſeo ſit interfectus,propter immanitatem corporis, & illius virtutem inter ſidera collocatus.

*Eridanus.*

Hunc

HVnc alij Nilum, complures etiam Oceanum eſſe dixerunt. Qui autem Nilum volunt vocari, propter magnitudinem eius & vtilitatem æquiſſimum eſſe demonſtrant. præterea quòd infra eum quædam ſtella ſit clarius cæteris lucens, nomine Canopos appellata. Canopos autem inſula flumine aluitur Nilo.

*Lepus.*

HIc dicitur Orionis canem fugere venantis. Nam cũ vt oportebat, eum venatorem finxiſſent, voluere etiam hoc ſignificare aliqua de cauſa. Itaque leporem ad pedes eius fugientem finxerunt: quem nonnulli à Mercurio conſtitutum dixerunt, eíque datum eſſe præter cætera genera quadrupedum, vt alios páreret, alios haberet in ventre. Qui autem ab hac cauſa diſſentiunt, negant tam nobilem & tam magnum venatorem, de quo & antè in Scorpionis ſigno diximus, oportere fingi leporem venari. Callimachum quoque accuſari, quòd cum Dianæ ſcriberet laudes, eam leporum ſanguine gaudere, & eos venari dixiſſet. Itaque Oriona cum tauro decertantem fecerunt. Leporis autem hanc hiſtoriam memoriæ prodiderunt. Apud antiquos inſula † Lero nullum leporem fuiſſe, ſed ex eorum ciuitate adoleſcentium quendam ſtudio generis inductum, ab exteris finibus leporem fœminam prægnantem attuliſſe, & ad eius partum diligentiſſimè miniſtraſſe. Itaque cum peperiſſet, compluribus eius ciuitatis ſtudium incidiſſe, & partim precio, partim beneficio mercatos omnes lepores alere cœpiſſe. Itaque non longo interuallo tantam multitudinem leporum procreatam, vt tota inſula ab his occupata diceretur. quibus cum ab hominibus nil daretur, in ſemina eorum impetu facto, omnia comederunt. Quo facto incolæ calamitate affecti, cum fame forẽt oppreſſi, communi conſilio totius ciuitatis, vix denique eos abegiſſe ex inſula dicuntur. Itaque leporis poſtea figuram in aſtris conſtituiſſe, vt homines meminiſſent, nil eſſe tam exoptandum in vita, quin ex eo plus doloris quàm lætitiæ capere poſterius cogerentur.

*Plinius in Ithaca lepóres nullos viuere ſcribit.*

HVnc Heſiodus Neptuni filium dicit, ex Euryale Minois filia natum. conceſſum autem ei, vt ſuper fluctus curreret, & in terra: quemadmodum Iphiclo datum dicitur, vt ſupra ariſtas curreret, nec eas infringeret. † Ariſtonicus autem dicit, quendam Hyrea fuiſſe Thebis. Pindarus autem in inſula Chio. Hunc autem cum Iouem & Mercurium hoſpitio recepiſſet, petiiſſe ab eis, vt ſibi aliquid liberorum naſceretur. Itaque quò facilius petitum impetraret, bouem immolaſſe, & his pro epulis appoſuiſſe. quod cum feciſſet, popoſciſſe Iouem & Mercurium, quod corium de boue fuiſſet detractum, & quod fecerant vrinæ, in corium infudiſſe, & id ſub terra poni iuſſiſſe: ex quo poſtea natum puerum, quem Hyreus è facto Vriona nomine appellauit. ſed vetuſtate & conſuetudine factum eſt, vt Orion vocaretur. Hic dicitur Thebis Chium veniſſe, & Oenopionis filiam Meropen per vinum cupiditate incenſus compreſſiſſe: pro quo facto ab Oenopione excæcatus, & de inſula eiectus, exiſtimatur Lemnum ad Vulcanum perueniſſe, & ab eo quendam ducem Cedalione nomine accepiſſe, quem collo ferens dicitur ad ſolem veniſſe, & ab eo ſanatus, vt ſe vlciſceretur, Chium reuertiſſe. Oenopiona autem à ciuibus ſub terra cuſtoditum eſſe: quem poſtquam ſe inuenire poſſe deſperaret Orion, in inſulam Cretam perueniſſe, & ibi venari cœpiſſe cum Diana, & ei polliceri quæ ſuprà diximus: & ita ad ſidera perueniſſe. Nonnulli autem aiunt, Oriona cum Oenopione propè nimia coniunctum amicitia vixiſſe, & quòd ei voluerit ſuum ſtudium in venando probare, Dianæ quoque pollicitum, quæ ſuprà diximus, & ita interfectum. Alij dicunt cum Callimacho, cum Dianæ vim voluerit afferre, ab ea ſagittis eſſe confixum, & ad ſidera propter venandi conſimile ſtudium deformatum. Iſter autem dicit, Oriona à Diana eſſe dilectum, & penè factum, vt ei nupſiſſe exiſtimetur. Quod Apollo cum ægrè ferret, & ſæpe eam obiurgans, * hoc feciſſe, natantis Orionis longè caput ſolum videri conſpicatus, contẽdit cum Diana, eam nõ poſſe ſagittam mittere ad id quod nigrũ in mari videretur. quę cũ vellet in eo ſtudio ſe maximè

*Ariſtomachus.*

*Deeſſe, nihil proficeret, vel ſimile, videtur.*

artificem dici, ſagitta miſſa caput Orionis traiecit. Itaque cum fluctus interfectum ad litus adieciſſet, & ſe cum Diana percuſſiſſe plurimum doleret, multis eius obitum proſecuta lachrymis, inter ſidera ſtatuiſſe exiſtimatur. Sed quæ poſt mortem eius Diana fecerit, in eius hiſtoriis dicemus.

*Canis.*

HIc dicitur ab Ioue cuſtos Europæ appoſitus eſſe, & ad Minoa perueniſſe. Quem Procris Cephali vxor laborantem dicitur ſanaſſe, & pro eo beneficio canem munere accepiſſe, quòd illa ſtudioſa fuerit venationis, & quòd cani fuerat datum, ne vlla fera præterire eum poſſet. poſt eius obitum canis ad Cephalum peruenit, quòd Procris eius fuerat vxor: quem ille ducens ſecum, Thebas peruenit, vbi erat vulpes, cui datum dicebatur omnes canes effugere poſſe. Itaque cum in vnum perueniſſent, Iupiter neſcius quod faceret (vt * Hiſtrius ait) vtrunque in lapidem conuertit. Nonnulli hunc canem Orionis eſſe dixerunt: & quòd ſtudioſus fuerit venandi, cum eo cane quoque inter ſidera collocatum. Alij † autem Icarij canem eſſe dixerunt, de quo antè diximus, quæ multa propoſita ſuos habent auctores. ſed canis habet in lingua ſtellam vnam, quæ ipſa Canis appellatur. In capite autem alteram, quam Iſis ſuo nomine ſtatuiſſe exiſtimatur: & Siron appellaſſe propter flammæ candorem, quòd eiuſmodi ſit, vt præter cæteras lucere videatur. Itaque quo magis ea cognoſcerent, Sirion appellaſſe.

*Ouid. à Diana accepiſſe ait.*

** Iſter*

*† Vt Lucianus in Dialogo, Deorũ eccleſia.*

*Procyon.*

HIc ante maiorem canem exoriri videtur, ſed à nonnullis Orionis eſſe exiſtimatur. Hac etiam de cauſa Procyonem appellatum, ſed iiſdem omnibus hiſtoriis quibus ſuperior canis annumeratur.

*Argo.*

HAnc nonnulli propter celeritatem Argo dixerunt, græcè appellatam. Alij, quòd Argus fuerit inuentor. Hanc autem primam in mari fuiſſe complures dixerunt, & hac re maximè ſtellis eſſe figuratam. Hanc nauim factam Pindarus ait in Magneſia oppido, cui Demetrias nomen eſt. Callimachus autem in iiſdem

ſinibus ad Apollinis Actij templum, quod Argonautæ proficiſcentes ſtatuiſſe exiſtimantur, in eo loco qui Pagaſæ vocatur, ideo quòd nauis Argo ibi primùm compacta dicitur, quod eſt Græcè παγῆναι. Homerus hũc eundem locum in Theſſaliæ finibus eſſe demonſtrat. Æſchylus autem & nonnulli aiunt à Minerua quandam materiam loquentem eodem eſſe coniunctam. ſed huius non tota effigies inter aſtra videtur: diuiſa enim eſt à puppi vſque ad malum, ſignificans ne homines nauibus fractis pertimeſcerent.

*Centaurus.*

HIc dicitur nomine Chiron Saturni & Phillyræ filius eſſe, qui non modò cęteros Centauros, ſed homines quoque iuſtitia dicitur ſuperaſſe. Æſculapium & Achillem nutriſſe exiſtimatur. pietate igitur & diligentia effecit, vt inter aſtra numeraretur. Apud hunc, Hercules cum diuerteretur, & ſimul cum Chirone ſedens ſagittas conſideraret, fertur vna eorum decidiſſe ſupra pedem Chironis, & ita eum interfeciſſe. Alij autem dicunt Centaurum miratum, quòd tam breuibus ſagittis, tam magna corpora Centaurorum interfecerit, ipſum contendere arcum conatum. Itaque ex eius manu ſagittam prolapſam in pedem eius incidiſſe. pro qua re Iupiter eius miſertus, inter ſidera eum conſtituit cum hoſtia quam ſupra aram tenens immolare videtur. Hunc alij Pholon eſſe Centaurum dixerunt, eúmque aruſpicio præter cæteros plurimum † valere. Itaque ad aram cum hoſtia venire Iouis voluntate figuratur.

*al. valuiſſe.*

*Ara.*

IN hac primùm dij exiſtimantur ſacra & coniurationẽ feciſſe, cum Titanas oppugnare conarentur: eam autem Cyclopas feciſſe. ab ea conſuetudine homines dicuntur inſtituiſſe ſibi, vt cum aliquam rem efficere cogitarent, prius ſacrificarent, quàm agere cœpiſſent.

*Hydra.*

IN hac coruus inſidere poſitus exiſtimatur, de qua hanc habemus memoriæ proditam cauſam. Coruus

Apollinis tutela vſus, eo ſacrificante miſſus à fonte aquam puram petitum, vidit arbores complures ficorum immaturas: eas expectans, dum matureſcerent, in arbore quadam earum conſedit. Itaque poſt aliquot dies coctis ficubus, & à coruo pluribus earum comeſis, expectans Apollo coruum, vidit eum cum cratere pleno volare feſtinantem. quo pro admiſſo eius dicitur, quòd diu moratus ſit Apollinem, qui coactus mora corui, alia aqua eſt vſus, hac ignominia eum affeciſſe, vt quamdiu ficus coquerentur, coruus bibere non poſſet, ideo quòd guttur habeat pertuſum illis diebus. Itaque cum vellet ſignificare ſitim corui, inter ſidera conſtituit crateram, & ſuppoſuit hydram, quæ coruum ſitientem moraretur. Videtur enim roſtro caudam eius extremam verberare, vt tanquam non ſinat ſe ad crateram tranſire. † Hiſtrus autem & complures dixerunt, Coronida Phlegyæ filiam fuiſſe, hanc autem ex Apolline Æſculapium procreaſſe. Sed poſtea Iſchyn Elati filium cum ea concubuiſſe. quod cum videret coruus, Apollini nunciaſſe: qui cum fuerit antea candidus, pro incommodo nuncio, eum nigrum feciſſe, & Iſchyn ſagittis confixiſſe. De cratera autem hanc hiſtoriam Philarchus ſcribit. In Cherſoneſo quæ confinis eſt Troiæ, vbi Proteſilai ſepulchrum ſtatutum complures dixerunt, vrbs Phlaguſa nomine dicitur, in qua Demiphon quidam cum regnaret: incidit eorum finibus repentina vaſtitas, & ciuium internecio miranda: quare Demiphonta permotum ferunt miſiſſe ad Apollinis oraculum, remedium quærens vaſtitatis. reſponſo autem dato, vt quotannis vna de nobilium genere virgo dijs penatibus eorum immolaretur: Demiphon omnium filias præter ſuas ſorte ductas interficiebat, vſque dum cuidam ciuium loco nobiliſſimo eorum nato perdoluit inceptum Demiphontis: qui negare cœpit de ſua filia ſe paſſurum ſortiri, niſi eodem regis filię coniectæ eſſent. quo facto rex permotus, illius filiam ſine ſorte ductam interfecit. quod Maſtuſius nomine, virginis pater inſtanti tempore ſimulauit ſe patriæ cauſa non ferre ægrè factum, potuiſſe enim poſtea ſorte ducta nihilominus interficere, quod paulatim dies regi in obliuionem perduxit. Ita-

*al. Iſter.*

que cum ſe propè amiciſſimum regi pater virginis oſtendiſſet, ſolenne ſacrificium ſe habere dixit, eúmque filias eius ad id conficiendum inuitauit. qui nihil aliter futurum ſuſpicatus, filias antè miſit, vt ipſe occupatus in re ciuili poſtea veniret. Quod cum exoptanti Maſtuſio accidiſſet, filias eius interfecit, & ſanguinem earum cum vino in cratere mixtum aduenienti regi pro potione dari iuſſit. qui cum filias deſideraret, & quid his factum eſſe reſciſſet, Maſtuſium cum cratere in mari proiici iuſſit. quo facto, mare quo ille proiectus eſt, memoriæ cauſa, Maſtuſium vocatum, portus autem adhuc crater dicitur: quam antiqui Aſtrologi ſtellis deformauerunt, vt homines meminiſſent, maleficium neminem temerè lucrari poſſe, neque obliuionem inimicitiarum fieri ſolere. Nonnulli cum Eratoſthene dicunt, eum cratera eſſe quo Icarus ſit vſus, cum hominibus oſtenderet vinum. Alij autem dolium eſſe, quo Mars ab Oeto & Ephialte ſit coniectus.

*a Ouid. 2. Faſt. addit coruum vnà attuliſſe hydrum quoque & culpam moræ in illum reieciſſe, tumque qui ſe remoratus fuiſſet.*

*b In aliis legitur Matuſium, nos ex Plinio Maſtuſium legendum duximus. vide lib. iiij. cap. xj.*

## *Piſcis, qui Notius appellatur.*

HIc videtur ore aquam excipere à ſigno aquario, qui laborantem quondam Iſim ſeruaſſe exiſtimatur: pro quo beneficio ſimulacrum piſcis, & eius filiorum, de quibus antè diximus, inter aſtra conſtituit. Itaque Syri complures piſces non eſitant, & eorum ſimulacra aurata pro diis penatibus colunt. De hoc Hegeſias ſcribit.

## *De quinque ſtellis.*

REliquum eſt nobis de ſtellis quinque, quas complures, vt erraticas, ita planetas Græci, id eſt vagos dixerunt. Quarum vna eſt Iouis, nomine Phæton, quem *Heraclides Ponticus ait, quo tempore Prometheus homines finxerit, hunc pulchritudine corporis

reliquis præſtantem feciſſe. cumque ſupprimere cogitaret, vt certum redderet Cupidinem Ioui nunciaſſe. quo facto miſſum Mercurium ad Phaetonta, perſuaſiſſe, vt ad Iouem veniret, & immortalis fieret. Itaque eum inter aſtra collocatum. Secunda ſtella dicitur Solis, quam alij Saturni dixerunt. Hanc Eratoſthenes à Solis filio Phaetontem appellatam dicit: de quo plures ſcripſerunt, vt patris inſcienter curru vectus incenderit terras: quo facto, ab Ioue fulmine percuſſus, in Eridanum deiectus, à Sole inter ſidera ſit perlatus. Tertia eſt ſtella Martis, quam alij Herculis dixerunt, Veneris ſequens ſtellam. hac, vt Eratoſthenes ait, de cauſa, quòd Vulcanus cum vxorem Venerem duxiſſet, & propter eius obſeruantiam Marti eius copia non fieret, vt nihil aliud aſſequi videretur, niſi ſuam ſtellam, Veneris ſidus perſequi, à Venere impetrauit. Itaque cum vehementer eum amore incenderet, id ſignificans, è facto ſtellam Pyroenta appellauit. Quarta ſtella eſt Veneris, lucifer nomine, quam nonnulli Iunonis eſſe dixerunt. Hunc eundem Heſperum appellari, multis traditum eſt hiſtoriis. Hic autem omnium ſiderum maximus eſſe videtur. Nonnulli autem hunc Auroræ & Cephali filium eſſe dixerunt, pulchritudine multis præſtantem. ex qua re etiam cum Venere dicitur certaſſe, vt etiam Eratoſthenes dicit: eum hac de cauſa Veneris appellari, exoriente ſole & occidente videri. quare, vt antè diximus, iure hunc & Luciferum & Heſperum nominatum. Quinta ſtella eſt Mercurij nomine Stilbon. Sed hæc eſt breuis & clara. Hæc autem Mercurio data exiſtimatur, quòd primus menſes inſtituerit, & præuiderit ſiderum curſus. Euhemerus autem, primam ait Venerem aſtra conſtituiſſe, & Mercurio demonſtraſſe.

*Circulus Lacteus.*



PRæterea oſtenditur circulus quidam in ſideribus candido colore, quem Lacteum eſſe nonnulli dixerunt. Eratoſthenes autem, Mercurio dicit infanti puero inſciam Iunonem dediſſe lac: ſed poſtquam reſcierit eum Maię filium eſſe, reieciſſe eum à ſe. Ita lactis profuſi ſplendorem inter ſidera apparere. Alij dixerunt dormienti Iunoni Herculem ſuppoſitum, & experrectam ei quod ſuprà diximus feciſſe. Alij autem, Herculem propter nimiam auiditatem, multitudinem lactis apperiſſe, neque in ore continere potuiſſe: quod ex ore eius profuſum, circulum ſignaſſe. Alij dicunt, quo tempore Ops Saturno lapidem pro partu attulit, iuſſiſſe ei lac præbere. quæ cum preſſiſſet mammam, profuſo lacte circulum deformatum, quem ſuprà demonſtrauimus. Nos autem omnium corporum deformationem dicere inſtituemus.

# CLARISSIMI VIRI, C. IVLII HYGINI, AVGVSTI LIBERTI, DE DESCRIPTIONIBVS formarum cœleſtium,

## LIBER III.

### *Arcti.*

IGITVR incipiens à polo Boreo protinus dicere, quo vtræque Arcti nixè vehuntur Arctico circulo clauſæ: & ita collocatæ, vt alterius vnaquæq; earum reſupinata caput alterius tegere videatur: ita tamen, vt caput eius quæ ſuperior fuerit, ad caudam inferiorem contendat. Harum maior in extremo circulo pedes habet fixos. Præterea habet in capite ſtellas ſeptem, omnes obſcuras, in vtriſque auribus binas. In humero claram vnam, in pede de poſterioribus nouiſſimo duas. In ſummo interſcapilio vnam. In crure de poſterioribus primo vnam, in pede priore duas. In cauda ipſa tres. Ita totius ſideris ſtellæ ſunt omnino 21. Minor autem habet in ſtationis vnoquoque loco ſtellas ſingulas clarè lucentes, & ſuper caudam tres, omnino ſeptem: ſed in prioribus caudę ſtellis vna, à qua polus appellatur, vt Eratoſthenes dicit, per quem locum ipſe mundus exiſtimatur verſari. Reliquæ autem duæ χορευταὶ dicuntur, quòd circum polum verſantur.

*Vrſa maior habet quinque ſecundæ magnitudinis, & ſex tertiæ magnitudinis. Reliquæ ſunt quartæ aut quintæ magnitudinis.*

*Vrſa minor habet duas ſecundæ magnitudinis, & ſtellam polarem tertiæ magnitudinis.*

## *Draco.*



DRaco inter duas arctos collocatus videtur, corporis ſinu facto, arcton minorem ita concludere, vt penè pedes eius tangere videatur: cauda autem flexa caput maioris attingere ſuo capite tã quam reducto, circulũ arcticum attingens, corpus vt in ſphæram complicari: & ſi quis diligentius attenderit, videre poterit caput Draconis ad maioris vrſæ regionem caudæ collocari. Hic habet in vtroque tempore ſtellas ſingulas: in oculis ſingulas, in mento vnam, & toto corpore reliquo paſſim claras decem, ita omnino ſint ſtellarum quindecim.

## *Bootes, ſiue Arctophylax.*

*Bootes ſuper humerum ſiniſtrum, & ſuper coxam dextram, & in crure ſiniſtro habet ſtellas tertiæ magnitudinis. Reliquæ ſunt aut quartæ aut quintæ magnitudinis.*



HVius manũ ſiniſtram circulus arcticus includit, ita vt neque occidere, neque exoriri videatur. Ipſe enim poſitus ab arctico circulo ad æſtiuum definitur inclinatus in longitudinem dextro pede æſtiuo circulo nixus. huius humeros pectus à reliquo corpore diuidit circulus, qui per vtroſque polos tranſiens tangit arietem & chelas. hic quidem cum tauro & geminis & cancro & leone occidit, ideo ſerò occidere dicitur, magis & quod actus à pedibus peruenit ad terram. At exoriens citius quàm chelę videtur. Habet autem in ſiniſtra manu ſtellas quatuor, quę occidere nunquam videntur. In capite ſtellam vnam. In vtroque humero ſingulas, in vtraque manu ſingulas, ſed clariorem dextram, & ſub ea alteram obſcuram, & in cubito dextro claram vnam. In Zona vnam clarius cæteris lucentem. hæc ſtella Arcturus appellatur, in vtriſque pedibus ſingulas, quæ omnino ſunt 14.

Corona.

*Corona ſeptentrionalis octo habet ſtellas, quæ ferè omnes quartæ ſunt magnitudinis, præter Alphetam, quæ ſecunda eſt magnitudinis.*

m

*Draco ſub ♊ eſt. Boo-tes ſub ♍ & ♎*



COronam humero ſiniſtro propè cõtingere. Arctophylax videtur, quam engonaſin dextri pedis calce conium git. hæc cancro & leone exoriente occidere, cum ſcorpione exoriri perſpicitur. Habet autem ſtellas nouem in rotundo diſpoſitas, ſed ex his tres clarius cæteris lucentes.

## Engonaſin, ſiue Hercules.

*Hercules inſigniores ſtellas habet in capite, in humero dextro & ſuper adiutorium dextrum, & ſuper humerum ſiniſtrum, quæ ſingula tertiæ ſunt magnitudinis: reliquæ ferè omnes ſunt quartæ & ſextæ magnitudinis.*

ENgonaſin. Hic poſitus inter duos circulos arcticum & æſtiuum, vtriſque pedibus & dextro genu, quem antè diximus, arcticum circulum finit, Ita tamẽ vt dextro pede prioribus digitis circulum terminet, ſiniſtro autẽ toto caput draconis opprimere conetur. Humeris autem velut ſuſtinens circulum æſtiuum, & manu dextra proiecta tãgens. Læua autem è regione ad ſiniſtrum




genu porrigens, æqua ſi interuallo circuli æſtiui & genu ſiniſtri. Hic occidens capite prius quàm reliquo corpore deuenit ad terram: qui cum totus occidit * vt pendere pedibus ex arctico circulo videatur, exoriens antè pedibus quam reliquis membris. Habet autem in capite ſtellam vnam. In ſiniſtro brachio vnam. In vtroque humero ſingulas clarè lucentes. In manu ſiniſtra vnam, in dextro cubito vnam. In vtroque latere ſingulas: ſed clariorem in ſiniſtro. In dextro fœmore duas. In genu vnam. In poplite vnam, in crure duas, in pede vnam quæ dicitur clara. *In ſiniſtra manu quatuor, quas pellem leonis nonnulli eſſe dixerunt. Ita ſunt omnino decem & nouem.

*Ita figuratur & cat. vel ſimile quid deeſſe videtur.*

## Lyra.

*Lyra, quæ & vultur cadens, habet ſtellas decem, quarum inſignior eſt Vega primæ magnitudinis.*



LYra. Hæc poſita eſt contra regionem eius loci qui eſt inter genu & manum ſiniſtram eius qui Engonaſin vocatur, cuius ipſa teſtudo ſpectat ad arcticum circulum. Summum autem cacumē ad polum Notium contendere videtur. hæc Lyra virgine exoriente occidere videtur, & cum ſagittario exoriri perſpicitur: habet autem in ipſis teſtudinis lateribus ſingulas ſtellas. In ſummis cacuminibus eorum quæ in teſtudine vt brachia ſunt coniecta, ſingulas in mediis, iiſdem quas humeros Eratoſthenes fingit ſingulas, in ſcapulis ipſius teſtudinis duas: in ima Lyræ, quæ & baſis totius videtur, vnam: & omnino ſunt 9.

## Olor.

*Cygnus habet inſignem ſtellam ſecundæ magnitudinis in cauda, vocatúrque Deneb adigege, & vnam tertiæ magnitudinis in ala dextra, & vnam eiuſdem magnitudinis in extremitate alæ ſiniſtræ, reliquæ ſunt quartæ magnitudiis.*



OLor. Huius vna ala eſt ad circunductionem huius circuli qui arctos vocatur, contingens extremum pedē ſiniſtrum eius qui Engonaſin vocatur. Siniſtram autē habet alam paululum extra circulum æſtiuū, penè coniungens pedibus Pegaſi, æſtiuus autem circulus roſtrum eius à reliquo corpore diuidit. Cauda iungitur extrema cum capite Cephei. hic cum virgine & chelis occidens prius capite quàm reliquis membris deuenit ad terram : exoritur autem cum Capricorno. Hic habet in capite ſtellam clarè lucentem vnam. In collo alteram pari fulgore, in vtriſque pennis quinas. Supra cau dam vnam. omnino habet ſtellas 12.

Cepheus.

*Cepheus omnes ſtellas quas habet, ſunt quartæ & quintæ magnitudinis, præter vnam Alderaimim in dextro brachio, quæ eſt tertiæ magnitudinis.*



CEpheꝰ à tergo minoris arcti cõſtitutus incluſitur arctico circulo, à pedibus ad pectus, vt præter humeros & caput eius nihil occidere videatur. nec lõgè abeſt à flexu draconis, quẽ capite primùm efficere videtur. Cepheus autem manibus vtriſque proiectis figuratus, tanto diſſidet interuallo à pedibus arcti minoris, quantum ſpacium inter pedes Cephei videtur. huius caput ſcorpione exorto occidere, cũ ſagittario exoriri videtur. Hic autem habet in capite ſtellas duas, in manu dextra vnam, in cubito obſcuram vnam, in ſiniſtra manu & in humero ſingulas. In dextro humero vnam. In Zona quæ medium eius diuidit corpus, tres ſtellæ claræ videntur. In latere dextro obſcuram vnam, in ſiniſtro genu duas. In vtriſque pedibus ſingulæ, ſupra pedes ſtellæ quatuor. hic totus omnino ſtellarum numerus 19.

Caſſiopeia,

## Caſſiopeia.

*Caſſiopeia vnam habet cæteris inſigniorem ſtellam tertiæ magnitudinis, & in pectore poſitam, Scheder nomine. Habet & vnam in coxis, atque vnam in medio ſedis, & vnam in genibus tertiæ magnitudinis, reliquæ ſunt quartæ magnitudinis.*

♈



Caſſiopeia ſedēs in ſiliquaſtro collocata eſt, cuius ſedilis & ipſius Caſſiopeiæ pedes poſiti in ipſa circunductione circuli qui arcticos vocatur. effigies autē corporis ad æſtiuum circulum peruenit, quem capite & dextra manu tāgit. Hanc propè mediam diuidit circulus, is qui lacteus appellatur, proximè Cephei ſignum collocatum. Hæc occidens cum ſcorpione capite, cum ſedili reſupino ferri perſpicitur, exoriri autem cum ſagittario. Huius in capite ſtella oſtēditur vna, in vtroque humero vna, in mamilla dextra clara vna. In lumbis magna vna, in ſiniſtro femore duæ, in genu vna, in pede ipſius dextro vna, in quadrato quo ſella deformatur vna, in vtriſque angulis ſingulæ clarius cæteris lucentes. Hæc igitur eſt omnino ſtellarum 13.

## Andromeda.

*Andromeda habet ſeptem ſtellas tertiæ magnitudinis, vnam ſcilicet in capite, & quatuor in brachio ſiniſtro, & vnam in palma dextra.*



ANdromeda propè caſſiopeiam, ſuper caput Perſei, breui interuallo diſſidẽte perſpicitur collocata, manibus diuerſis vincta, vt antiquis hiſtoriis eſt traditum: cuius caput equi Pegaſi vẽtri coniungitur. Eadem enim ſtella & vmbilicus Pegaſi & Andromedæ caput appellatur. huius medium pectus & manu in ſiniſtram circulus æſtiuus diuidit. Occidit autem cum piſce de duobus ſecundo, quem Andromedæ ſubiectum brachio ſuprà diximus. Exoriente Libra & ſcorpione, capite prius quàm reliquo corpore peruenit ad terram. Exoritur autem cum Piſcibus & Ariete. hæc, vt ſuprà diximus, habet in capite ſtellam clarè lucentem vnam, in vtroque humero vnam, in cubito dextro vnam, in ipſa manu vnam, in ſiniſtro cubito vel in brachio vnam. In

manu altera vnam, in zona tres, ſuper zonam quatuor, in vtroque genu vnam, in pedibus autem binas. Itaque omnino eſt ſtellarum numerus 20.

## Perſeus.

*Perſeus inter inſigniores ſtellas habet vnam in dextro latere ſecundæ megnitudinis, nomine Algenib, & quatuor in ſiniſtro genu & crure tertiæ magnitudinis. habet & vnam ſecundæ magnitudinis, in Ras dalgoi, hoc eſt, in capite Meduſæ, quod capite ſiniſtro tenet. reliquæ ſunt quartæ & quintæ magnitudinis.*

HVius ſiniſtrum crus & humerum læuum, circulus æſtiuus à reliquo corpore diuidit. Ipſe manu dextra arcticum circulum tangit, dextro pede caput aurigæ premere velut currens videtur. Idē occidens ſagittario & capricorno exorto inclinatur ad caput verſus. cum a-



riete & tauro rectus exoritur. Habet autē in vtroque humero ſtellā vnam, in manu dextra clarè lucentem vnā, qua falcem tenere dicitur, quo telo Gorgonam interfe-

cit. In ſiniſtra alteram, qua caput Gorgonis tenere exiſtimatur. habet præterea in ventre ſtellam vnam, in lumbis alteram, dextro femore vnam, ad genu vnam, in tibia vnam, in pede vnā obſcuram, in ſiniſtro femore vnam, in genu alteram, in tibia duas: in ſiniſtra manu, quod Gorgonis caput vocatur, ſtellas quatuor. omnino eſt ſtellarum numerus decem & ſeptem. Caput eius & falx ſine ſideribus apparent. hunc Aratus cum diceret inter ſidera ceconiſmeno figuratum, acceperunt complures eum puluerulentū dicere, quod minimè conuenit poſſe inter ſidera etiam puluerulentum accipere. Quod ſi eſſet, dignior erat Orion cui idem aſcriberetur. primùm quod aſſiduè eſt venatus, & ſemper in terra fuit. denique adhuc inter ſidera venari videtur. Perſeus autem qui aſſiduè volabat, non poteſt puluerem habere. Quid igitur eſt, cum vellet Aratus eum currentem obſcurè ſignificare, vſus Ætolorum conſuetudine ceconiſmenon dixit. Ætoli enim cum volunt aliquem decurrere ſignificare, κεκονίσαι dicunt. id quod κεκονισμένον. Aratus voluit demōſtrare, non vt illum volantem aſſiduè puluerulentum dicat. Quod à multis perperam eſt intellectum.

Verſus Arati hi ſunt.

καὶ οἱ δεξιτέρη μὲν ἐπὶ κλισμὸν τετάνυσαι
πευτερίου δίφροιο· τὰ δ᾽ ἐν ποσὶν οἷα διώκων
ἴχνια μηκιώει κεκονισμένος ἐν διϊπατεί.

Auriga.

*Auriga vnam inſignem habet ſtellam primæ magnitudinis, nomine Alhaioth, iuxta capram, & vnam in ſpatula dextra ſecundæ magnitudinis, vnam in cauilla ſiniſtra, & vnam in cauilla dextra tertiæ magnitudinis, reliquæ ſunt quartæ & quintæ magnitudinis.*

♊



HEniochus autem circulo æſtiuo genuum fine, præterea humero ſiniſtro vſque ad Zonam diuiditur ab eo, quem ſuprà Lacteum orbem diximus. Huius dexter pes tauri cornu ſiniſtro ſtella coniũgitur, idẽ vna manu vt lora tenens figuratur. Cuius in humero ſiniſtro capra. In manu autem duo hœdi ſtellis formati dicuntur. Totus autem pedibus Perſei ſubiectus, caput habens contra vrſæ maioris aſpectum. hic occidere ſagittarij & capricorni exortu videtur. Exoriri autem, Ophiucho & engonaſin occidente. Habet præterea ſtellam vnam in capite. In vtroque humero vnã, ſed in ſiniſtro clariorem, quæ vocatur capra, in vtroque cubito vnam: in manu duas, quæ hœdi appellantur, ſtellis propè occidentibus formati. Ita omnino ſunt numero 7.

Serpentarius.

*Serpentarius habet quoque ſtellas tertiæ megnitudinis, vnam ſcilicet in capite, quæ vocatur* Ras alaugue, *alteram in palma ſiniſtra, & tertiam poſt illam, quartã in genu dextro, & quintam in genu ſiniſtro. reliquæ ſunt quartæ & quintæ magnitudinis.*



OPhiuchus inclinatus àcapite, vt qui reſupinari videtur, manibus anguē tenere figuratus eſt. huius autē humeri ab æſtiuo circulo diuidũtur à reliquo corpore Ipſe genuum fine ab æquinoctiali terminaturcirculo. Pede ſiniſtro premens oculos, dextro autē teſtudini ſcorpionis innixus. Anguis autem qui ab eo tenetur, propè extremo ore coronam contingēs, medium præcingit Ophiuchũ, cauda breuior quàm ſuperiore corpore, qua manu ſiniſtra ipſius ſigni figuratur, ita tamē vt extrema cauda circulũ ęquinoctialē cum aquilæ cauda iũgat. Occidens autē exortu geminorũ Cancri & leonis peruenit ad terram, exoriens autem cum ſcorpione & ſagittario apparet. Hic habet in capite ſtellam vnam, in vtroque humero ſingulas, in ſiniſtra manu tres. in dextra manu quatuor, in lumbis duas, in vtroque genu ſingulas, in dextro crure vnam, in vtroque pede ſingulas, ſed clariorem in dextro: itaque eſt omnino ſtellarum numerus ſexdecim. Anguis autem habet in ſummo capite ſtellas duas, ſub capite tres, vno loco omnes ad manum ipſius Ophiuchi ſiniſtram duas, ſed quæ maxi-

mè ad corpus eius accidit, clariorem. Et in dorſo anguis ad ipſam corporis coniunctionem quinque, & in prima curuatura caudæ quatuor. In ſecunda, caput verſus, habet ſtellas ſex. Ita eſt omnino ſtellarum numerus 23.

## Sagitta.

*In ſagitta, vna eſt quartæ magnitudinis, tres quintæ, & vna ſextæ.*



SAgitta inter duos circulos æſtiuum & æquinoctialem, ſigno aquilæ ſuperpoſita, diuiditur ab eo circulo, qui vtroque polo ſubiectus ad cancrum & capricornum peruenit. huius cacumen ad æquipedum regionem ſpectat, altera pars ad humeros Ophiuchi tendit. hæc occidit Virginis ortu. Oritur autem cum ſcorpione. Habet omnino ſtellas quatuor: quarum vna in principio materiæ, altera in medio, duæ reliquæ in eo loco quo ferrum ſolet affigi, diuerſę videntur.

## *Aquila.*

*Aquila vnam habet in capite ſecundæ magnitudinis, atque vnam inter duas ſpatulas eiuſdem magnitudinis, duas in ſpatula ſiniſtra tertiæ magnitudinis, atque vnam ſuper collum ſecundæ magnitudinis, reliquæ ſunt quinque magnitudinis.*



AQuila ala dextra nō multū extra circulum æquinoctialem prodire, ſiniſtra autem non longè à capite Ophiuchi figurata videtur.

Præterea roſtrum eius à reliquo corpore diuidit circulus, quem ſuprà diximus à cancro ad capricornum peruenire. Media autem finitur ab eo quem ſuprà Lacteum orbem demonſtrauimus eſſe. hæc exorto leone occidit. Exoritur autem cum capricorno: habens in capite ſtellam vnam, in vtraque penna vnam, in cauda vnam. Itaque omnino ſunt quatuor.

## Delphin.

*Delphin habet quinque ſtellas tertiæ magnitudinis, vnam ſcilicet in cauda & reliquas in lumbo. Habet etiam duas quartæ magnitudinis in cauda, reliquæ ſunt ſextæ magnitudinis.*

♓



DElphin non longè ab aquilæ ſigno figuratur, in curuatione caudæ nouiſſimæ æquinoctialis circuli circunductionem tangit. capite propè contingens equi Pegaſi roſtrum. hic exoritur cum ſagittarij poſteriore parte. Occidit autem, cum virgo exorta eſt à capite. habet autem in capite ſtellas duas, ſupra caput ad verticem duas alias, ad ea quæ in ventre velut pennæ videntur, habet ſtellas tres, in ſcapulis vnam, in cauda duas. Itaque omnino ſunt ſtellæ numero decem.

Pegaſus.

*Equus alatus habet quatuor ſtellas ſecundæ magnitudinis, ſcilicet ſuper renes, ſuper humerum dextrum, & inter duas ſpatulas. Habet & tres tertiæ magnitudinis, nempe in genu dextro, vnam in pectore, & quæ reliquas præcedit in collo. Reliquæ ſunt quartæ magnitudinis.*



EQuus arcticum circulum ſpectans, pedibus æſtiuo orbe niti, extremo ore caput delphini tangere videtur. Aquarij manum dextram ceruice ſua coniungens,& vtriſque piſcibus clauſus, quos in 12. ſignis poſtea demonſtrauimus. Huius in ſtellis corpus apparet vſque ad vmbilicum deformatum. Qui occidit,cum piſce de duobus primo, qui ſupra tergum eius eſt fixus: exoritur cum Aquario toto, cum piſce, cum quo occidit & manu Aquarij dextra. hic habet in roſtro ſtellas duas obſcuras,in capite vnam, in maxilla vnam, in vtriſque auribus ſingulas, in ceruicibus quatuor obſcuras: ſed maximè lucet quæ capiti proxima apparet. in humero claram vnam, in pectore vnam, in ſcapilio vnam, in vmbilico nouiſſimam vnam. quæ Andromedæ vocatur,in genibus vtriſque ſingulas,in vtriſque poplitibus ſingulas.ita ſunt omnino numero 23.

*Trianguli tres ſtellæ ſunt tertiæ magnitudinis, quartæ quæ extra angulum inuenitur.*

DEltotō autem vt in triangulū deformatur, æquis quodammodo lateribus duobus, vno breuiore, ſed propè æquali reliquis, inter æſtiuū & æquinoctialē circulum ſupra caput Arietis non lōgè ab Andromedæ dextro crure, & Per-



ſei manu ſiniſtra collocatū, cū Ariete toto occidēs: exoriens autem cum eiuſdem dimidia priore parte. habet autem ſtellam in vnoquoque angulo vnam.

*Omnes Arietis ſtellæ ſunt quartæ & quintæ magnitudinis, præter duas in cornu, quæ ſunt tertiæ.*

NVnc protinus duodecim ſignorum figurationem dicemus. Quorum eſt princeps Aries, in æquinoctiali circulo conſiſtens, caput ad exortum habens conuerſum. Occidens à primis pedibus, & exoriens capite infra triangulū, quod ſuprà diximus, tenens collo caſū, pedib⁹ propè cōtingēs caput Piſtricis. Habet antē



in capite ſtellam vnam, in cornibus tres, in ceruice tres, in pede priore de primis vnam, in interſcapilio quatuor, in cauda vnam, ſub ventre vnam, in lumbis tres, in pede poſteriore vnam. quæ ſunt omnino numero octodecim.

## Taurus.

*Taurus vnam habet ſtellam primæ magnitudinis, vocatúrque Aldebaran, ſeu oculus tauri: in pectore, ſupra nares, & in vno extremo cornu habet ſtellas tertiæ magnitudinis, habet & congeriem ſtellarum quintæ magnitudinis quas Pleiades vocant, haud procul ab ore, aut ſecundum alios in dorſo.*

TAurus ad exortum ſignorum dimidia parte collocatus, vt incipere genu ac defigere ad terram videatur, caput eodem habens attentum. Genua eius reliquo corpore diuidit circulus æquinoctialis. cornu ſiniſtro, vt ſuprà diximus, coniungitur cum ſiniſtro pede eius qui Auriga appellatur. inter huius finitionem corporis & arietis caudam ſtellæ ſunt, quas Vergilias noſtri, Græci autem Pleiadas appellauerunt. Hic auerſus occidit & exoritur. habet in cornibus ſingulas ſtellas,



ſed in ſiniſtro clariorem, vtriſque oculis ſingulas, in fronte media vnam: ex quibus locis cornua naſcuntur, ſingulas: quæ ſeptem ſtellæ Hyades nuncupantur. Etſi nonnulli quas duas diximus nouiſſimas ſtellas, negauerint eſſe, vt omnino Hyades eſſent quinque. Præterea in ſiniſtro genu priore habet ſtellam vnam. Et ſuper vngulam, vnam: in dextro genu vnam, & interſcapilio tres, nouiſſimam earum cæteris clariorem, in pectore vnam: quæ ſunt omnino, præter Vergilias, quatuordecim.

## Gemini.

*Gemini duas habent ſtellas ſecundæ magnitudinis in capitibus, quarum vna vocatur* Ras algenſe, *habent aliquot tertiæ magnitudinis in genubus & coxis, & multas quartæ & quintæ magnitudinis.*

GEmini ab Aurigæ parte dextra ſupra Orionem collocari videntur, ita tamen, vt Orion inter taurum & geminos ſit conſtitutus. capita eorum diuiduntur à reliquo corpore, circulo eo qui æſtiuum diffinire



ſuprà eſt dict². Ita vt complexa corpora inter ſe tenentes occidant directi à pedibus. Exoriuntur autem inclinati vt iacentes. Sed is qui Cãcro eſt proximus, habet in capite ſtellam vnam claram, in vtriſque humeris ſingulas claras, in dextro cubito vnam, in genib⁹ vtriſque ſingulas, in pedibus vtriſque ſingulas. alter autẽ in capite vnam, in ſiniſtro humero vnam, in dextro alteram, in vtriſque manibus ſingulas, in dextro genu vnam, in ſiniſtro genu alteram, in pedibus vtriſque ſingulas: & infra ſiniſtrum pedem vnam, quæ propus appellatur: & ſunt octodecim.

## Cancer.

*Cancer nullam habet inſignem ſtellam, ſed omnes ſunt vel quartæ vel quintæ magnitudinis.*

HVnc medium diuidit circulus æſtiuus, ad leonis exortus ſpectantem, paulùlum ſupra caput hydræ collocatum, occidentem & exorientem poſteriore cor-

poris parte. Hic autē habet in ipſa teſta ſtellas 2, quæ aſini vocātur, de quibus antè diximus: in pedib. dextris ſingulas obſcuras, in ſiniſtro pede primo 2. in ſecundo 2. obſcuras, in tertio vnā, in quarto primo vnam obſcuram, in ore vnam: in ea quæ chela dexterior dicitur, tres



ſimiles non grandes, in ſiniſtra ſimiles duas. Et ita eſt omnino ſtellarum numerus decem & octo.

## Leo.

*Leo habet duas ſtellas primæ magnitudinis, quarum vna vocatur Cabalezet, id eſt cor Leonis: alia Denebalezet, hoc eſt cauda leonis. Habet tres ſecundæ magnitudinis, duas in ceruice, & vnam in dorſo, reliquæ ſunt tertiæ, quartæ, quintæ & ſextæ magnitudinis.*

LEo ſpectās ad occaſum ſupra corpus hydræ à capite quâ cācer inſtat, vſq. ad mediā partē eius cōſtitutus medi⁹ æſtiuo circulo diuiditur, vt ſub orbe priores pedes habeat collocatos, occidens à capite & exoriēs. hic habet



in capite ſtellas tres,in ceruicibus duas, in pectore vnã, in interſcapilio tres,in media cauda vnam,in extrema alteram magnam , ſub pectore duas , in pede priore vnam claram, in ventre claram vnam , & infrà alteram magnam ynam , in lumbis vnam , in poſteriore genu vnam,in pede poſteriore claram vnam. Et ita eſt omnino numerus ſtellarum 19.

## Virgo.

*Virgo vnam habet ſtellam primæ magnitudinis,vocatúrque ea Azimech , id eſt,ſpica virginis . habet deinde ſex tertiæ magnitudinis , tres in ala ſiniſtra , vnam in latere dextro,vnam in manu dextra , & vnam ſub ala dextra. reliquæ ſunt quartæ, quintæ & ſextæ magnitudinis.*

VIrgo infra pedes Bootæ collocata , capite poſteriorem partem leonis,dextra manu circulum æſtiualem tangit , ac inferiorẽ partem corporis ſupra coruum & hydræ caudam habere perſpicitur . Occidens capite



capite prius quam reliquis membris. huius in capite eſt ſtella vna obſcura, in vtriſque humeris ſingulæ, in vtriſque pennis binæ: quarum vna ſtella quæ eſt in dextra penna ad humerum defixa, protrygeter vocatur. Præterea habet in vtriſque manibus ſingulas ſtellas, quarum vna quæ eſt in dextra manu, maior & clarior conſpicitur: in veſte autem habet paſſim ſtellas ſeptem, in vtriſque pedibus ſingulas. Omnino ſtellarum numerus 16.

*Scorpius.*

*Scorpius vnam habet inſignem ſtellam ſecundæ magnitudinis, quæ ſcorpij vocatur. habet & multas tertiæ magnitudinis, quatuor ſcilicet in fronte, duas in corpore, quinque in ſpondilibus, & vnam in ſpina. reliquæ ſunt quartæ & quintæ magnitudinis.*



SCorpij prior pars, quæ Chelæ dicitur, ita premitur ab æquinoctiali circulo, vt eum ſuſtinere videatur. Ipſe autem pedibus Ophiuchi, de quo ſuprà diximus, ſubditus, extrema cauda circulum hyemalem contingere videtur, neque longè eſt ab eo quòd pro hoſtia centaurus ferre proſpicitur: Occidit autem inclinato capite, exoritur erectus à chelis: : hic habet ſtellas in his quæ chelæ dicuntur, in vnaquaque earum binas, ex quibus primæ ſunt clariores. Præterea habet in fronte ſtellas tres, quarum media eſt clariſſima: in interſcapilio tres, in ventre duas, in cauda quinque, in acumine ipſo quo percutere exiſtimatur, duas. Omnino ſtellarum 19.

Sagittarius.

*Sagittarius duas habet ſtellas ſecundæ magnitudinis, in pede ſcilicet ſiniſtro, & ſub cauilla eius. habet præterea multas tertiæ magnitudinis, vnam ſcilicet in haſta ſagittæ, vnam in manubrio, duas in arcu, vnam ſub axilla, vnam ſub cauilla dextra, &c. reliquæ ſunt quartæ & quintæ magnitudinis.*



SAgittarius autem ſpectans ad occaſum Centauri corpore figuratur velut mittere ſagittas incipiens, à pedibus vſque ad humeros in hyemali circulo collocatus, ita vt caput eius ſolum extra eum circulum quem ſuprà diximus, apparere videatur: cuius arcus lacteo circulo medius diuiditur. ante pedes eius eſt quędam corona ſtellis effecta, de qua prius diximus. Hic præceps occidit, exoritur directus. Habet autem in capite ſtellas duas, in arcu duas, in ſagitta vnã, in dextro cubito vnam, in manu priori vnam, in ventre vnam, in interſcapilio duas, in cauda vnam, in priori genu vnam, in pede vnam, in inferiori genu vnam, in pollice vnam. Omnino eſt ſtellarum quindecim. Corona autem Centauri eſt ſtellarum ſeptem.

## Capricornus.

*Capricorni omnes ſtellæ ſunt quartæ & quintæ magnitudinis, præter duas in cornu poſteriori, & alias duas in ſpina dorſi, quæ ſunt tertiæ magnitudinis. quæ propior eſt caudæ, vocatur Deneb algedi, hoc eſt, cauda Capricorni.*



CApricornus ad occaſum ſpectans,& totus in zodiaco circulo deformatus cauda & toto corpore, medius diuiditur ab hyemali circulo, ſuppoſitus aquarij manui ſiniſtræ. occidit autem præceps, exoritur autem directus: ſed habet ſtellas in naſo vnam, infra ceruicem vnam,in pectore duas, in priore pede vnam, in priore eodem alteram. in interſcapilio habet ſtellas ſeptem, in ventre ſeptem, in cauda duas.& eſt numerus ſtellarum viginti & vna.

## Aquarius.

*Aquarius habet ſtellam vnam ſecundæ magnitudinis ſub axilla, & aliquot tertiæ magnitudinis in vtroque brachio. habet & vnam primæ magnitudinis, nomine Fomahant in fine fuſionis aquæ. reliquæ ſunt aut quartæ aut quintæ magnitudinis.*



AQuarius habet pedes in hyemali circulo fixos, manū autem ſiniſtram vſque ad Capricornum porrigens tergum, dextra iubam Pegaſi propè contingens, ſpectans ad exortum: qui cum ita ſit figuratus, neceſſe eſt eum corpore propè reſupinato videri. Effuſio aquæ peruenit ad eum piſcem qui ſolitarius figuratur, de quo poſterius dicemus. Sed Aquarius & occidit & exoritur capite prius quàm reliquis membris. Hic habet in capite ſtellas duas obſcuras, in vtriſque humeris ſingulas magnas, in ſiniſtro cubito vnam grandem, in manu priori vnam, in vtriſque mammis ſingulas obſcuras, in lumbo interiore vnam, in vtriſque genibus ſingulas, in dextro crure vnam, in vtriſque pedibus ſingulas. omnino eſt ſtellarum numerus quatuordecim. Effuſio aquę cum Aquario ipſo eſt ſtellarum triginta. Sed in his omnibus prima & nouiſſima clara.

## Piſces.

*Omnes ſtellæ piſcium ſunt quartæ, quintæ aut ſextæ magnitudinis, præter duas tertiæ magnitudinis, quæ in reflexione piſcium inueniuntur.*



HOrum alter Notius, Boræus alter appellatur: ideo quòd vnus eorum qui Boræus dicitur, inter æquinoctialem & æſtiuum circulum ſub Andromedæ brachio collocatus, & arcticum polum ſpectans conſtituitur. alter autem in Zodiaco circulo extremo ſub ſcapulis equi, non longè ab æquinoctiali circulo collocatus, ſpectans ad occaſum. Hi piſces quibuſdam ſtellis, in lineola ab arietis pede primo coniunguntur. quorum inferior antè occidere & exoriri videtur. Habet decem & ſeptem, & Boræus omnino duodecim. Coniunctio eorum habet ad Aquilonem ſpectās ſtellas tres, ad alteram partem tres, ad exortum tres. In commiſſura tres, omnino duodecim: horum coniunctionem quæ à pede arietis primo notatur, Aratus Græcè σύνδεσμον ὑπουράχιον, Cicero nodum cœleſtem dicit: qui vtrunque voluit ſignificare, cum nodum non ſolum piſcium, ſed etiam totius ſphæræ eſſe. quo loco enim circulus ab arietis pede Meſembrinos dicitur, qui meridiem ſignificet: & quo loco is circulus Meſembrinos coniungitur, & tranſit æquinoctialem circulum, in ipſa coniunctione circulorum nodus piſcium ſignificatur: quare eum non modò nodum piſcium, ſed etiam cœleſtium nodum appellarunt.

*Sic enim noſtri codices habent, tametſi alij ὑπουράνιον malint legere. verſus Arati ſunt: καὶ τὰ μὲν ἐς ἀστὴρ ἐπέχει καλός τε μέγας τε, ὃν ῥά τε καὶ σύνδεσμον ὑπουράχιον καλέουσι.*

Piſtrix.

*Cetus habet ſtellas ſecundæ magnitudinis: videlicet vnam in ventre, quæ venter ceti nominatur: & duas in cauda. habet & multas tertiæ magnitudinis, quarum inſigniores ſunt Men Kar: & vna in medio oris. reliquæ ſunt quartæ & quintæ magnitudinis.*

♈



PIſtrix à media cauda diuiditur ab hyemali circulo, ſpectans ad exortum, roſtro propè poſteriorem arietis pedem iungens. huius priorem partem corporis qui ſpectat ad exortus, propè alluere flumen Eridani videtur. hæc cadit exorto cancro & leone, exoritur autem cum Centauro & geminis. ſed habet in extrema cauda ſtellas duas obſcuras, ab eo loco vſque ad reliquam corporis curuaturam quinque, ſub ventre ſex, omnino ſunt 13.

## Eridanus.

*Fluuius Eridanus habet vnam ſtellam nomine Acar par primæ magnitudinis, ſed quæ in noſtra regione vix videri poteſt, tantum declinat ad auſtrum, habet quatuor tertiæ magnitudinis, & multas quartæ magnitudinis.*

♉



Eridanus à ſiniſtro pede profectus Orionis, & perueniens vſque ad piſtricem, rurſus diffunditur vſque ad leporis pedes, & protinus ad antarcticum tendit circulum. Huius figurationem circulus hyemalis diuidit ab eo loco quo propè coniungitur ceto. hic ſcorpione & ſagittario exorto occidere, exoriri autem cum geminis & cancro videtur. habet autem ſtellas in prima curuatura tres, in ſecunda tres, item in tertia vſque ad nouiſſimam ſeptem. omnino eſt ſtellarum numerus tredecim.

## Lepus.

*Habet lepus vnam in medio corporis & vnam ſub ventre tertiæ magnitudinis, reliquæ ſunt quartæ & quintæ magnitudinis.*

## II.



LEpus autem in ſiniſtrum pedem Orionis per hyemalem circulum fugiens, ab eo inferiore parte corporis diuiſus, occidit ſagittario exorto, oritur cum leone. Habet autem ſtellas in vtriſque auribus ſingulas, In corpore paſſim diſpoſitas duas, in pedibus prioribus ſingulas. Et ita eſt omnino ſtellarum ſex.

## Orion.

*Orion pulcherrima conſtellatio, habet duas primæ magnitudinis, vnam ſcilicet in humero dextro, quæ Bedalgenze vocatur: & alteram in pede ſiniſtro, quæ Regel algenze appellatur, in cingulo habet tres ſecundæ magnitudinis, & vnam in humero ſiniſtro. in brachio ſiniſtro & in enſe habet aliquot tertiæ magnitudinis, ſuper genu dextrum habet quoque vnam eiuſdem magnitudinis, quæ in fuſte inueniuntur, ſunt quintæ magnitudinis.*

ORion, Hunc à Zona & reliquo corpore æquinoctialis circulus diuidit cum tauro decertantem collocatum, dextra manu clauam tenentem, incinctum enſe, ſpectantem ad occaſum, & occidentem exorta



ſcorpionis poſteriore parte, & ſagittario exoriente, cum cancro autem toto corpore pariter exurgentem. hic habet in capite ſtellas tres claras, in vtriſque humeris ſingulas, in cubito dextro obſcuram vnam. In manu ſimilem vnam, in Zona tres, in eo quo gladius eius deformatur, tres obſcuras. In vtriſque genibus ſingulas claras. In pedibus ſingulas obſcuras. Omnino ſunt decem & ſeptem.

## Lælaps.

*Canis maior habet vnam in capite primæ magnitudinis, nomine Alhabor, ſplendidiſsimam ſtellam. Veneri ferè ſimilem. Habet deinde quoque tertiæ magnitudinis vnam in pede dextro, alteram in coxa ſiniſtra, tertiam inter duas coxas, quartam in extremitate caudæ, & quintam in extremitate pedis dextri, reliquæ in auribus, collo, pectore & genibus, ſunt quartæ & quintæ magnitudinis.*

♋



CAnis leporem fugientem conſequens, poſterioribus pedibus diuiditur ab hyemali circulo, pedem dextrum Orionis penè ſuo capite coniungens, capite ad occaſum ſpectans, ſed caput ad æquinoctialem circulum tendit. occidens oriente ſagittario, exoriens autem cum cancro, habet in lingua ſtellam vnam quæ Canis appellatur, in capite autem alteram, quam nonnulli Sition appellant, de quo prius diximus. Præterea habet in vtriſque auribus obſcuras ſingulas. In pectore duas, in pede priore tres, inter ſcapulas tres, in ſiniſtro lumbo vnam, in pede poſteriore vnam. In pede dextro vnam, in cauda quatuor. omnino ſunt decem & nouem.

## Procyon.

*Canis minor duas duntaxat habet ſtellas, vnam primæ magnitudinis in ventre, quæ Algomeiſa vocatur, & aliam quartæ magnitudinis in collario. Sunt qui quoque vnam ponunt in capite.*



PRocyon. Hic in Lacteo circulo defixis pedibus æquinoctialem circulum tangit: Spectat ad occaſum, vt inter geminos & cancrum conſtitutus: qui, quòd ante maiorem canem exoritur, Procyon eſt appellatus. Hic autem occidit exortu capricorni, exoritur cum leone, & habet vnam ſtellam in capite, & aliam in pectore. In lumbo vnam: ſed omnino ſtellarum numerus 3.

Nauis.

*Nauis vnam habet primæ magnitudinis, qui Canopus vocatur, ponitúrque præcipuo remo, ſed quæ longè deflectit ad auſtrum. Habet ſex ſecundæ magnitudinis, vnam in tranſtro, aliam in ſectione tranſtri, &c. habet quoque multas tertiæ, & item multas quartæ magnitudinis: quæ in malo ponuntur, ſunt quartæ magnitudinis.*

ARgo. Huius puppis hyemalem circulum, & maioris canis caudam contingens inferiore parte, no-

♋ ♌



uiſſimè nauis inclinata Antarcticumcirculum tangit. Occidens ſagittario & capricorno exorto, vt in mari collocata, exoriens cum virgine & chelis. Hæc habet in puppi ad ſingula gubernacula, ad primum ſtellas quinque, ad alterum quatuor, circum carinam quinque, & ſub reiectum quinque, ad malum quatuor: in tota eſt ſtellarum viginti trium. Quæ quare non ſit tota in mundo collocata, prius diximus.

Phillyris.

*Centaurus in pede dextro duas habet ſtellas primæ magnitudinis, in pede verò ſiniſtro habet vnam ſecundæ magnitudinis, ſimiliter ſuper coxam dextram, & ſub ventre, atque ſuper calcaneum pedis dextri, & ſuper genu ſiniſtrum. habet & multas tertiæ, quartæ, & quintæ magnitudinis.*

CEntaurus. Hic ita figuratur, vt in antarctico circulo niti pedibus, humeris hyemalem ſuſtinere vi-

♏



deatur, capite propè caudam hydræ coniungens, hoſtiam dextra manu tenens ſupinam, quæ pedibus & extremo ore circulum hyemalem tangit, inter eum & antarcticum orbem collocata. Centauri autem crura à reliquo corpore diuidit circulus, qui Lacteus appellatur. Hic ſpectans ad ortus ſignorum, totus occidit aquario & piſcibus exortis: exoritur autem cum ſcorpione & ſagittario. habet autem ſtellas ſupra caput tres obſcuras, in vtriſque humeris ſingulas claras, in cubito ſiniſtro vnam, in manu vnam, in medio pectore equino vnam, in prioribus poplitibus vtriſque ſingulas, in interſcapilio quatuor, in ventre duas claras, in cauda tres, in lumbo equino vnam, in genubus poſterioribus ſingulas, in poplitibus ſingulas. omnino ſunt 24. Hoſtia autem habet in cauda duas, in pede de poſterioribus primo vnam, in vtriſque pedibus vnam, in interſcapilio vnam claram, & in priore parte pedum vnam, infrà alteram, in capite tres diſpoſitas. Omnino ſunt numero 10.

Ara.

*Ara habet ſeptem ſtellas, ex quibus quinque ſunt quartæ magnitudinis, & duæ quintæ.*



ARa antarcticum circulum propè tangens, inter hoſtiæ caput & ſcorpionis caudam extremam collocatur, occidens arietis exortu, exoriens cum capricorno. Hæc habet in ſummo cacumine circuli vbi formatur, ſtellas duas, & in imo alteras. Et ita eſt omnino ſtellarum quatuor.

Hydra.

*Hydra habet vnam lucidam ſtellã, nomine Alphard, & eſt ſecundæ magnitudinis. Habet & tres tertiæ magnitudinis, reliquæ ſunt quartæ & quintæ magnitudinis.*

HYdra trium ſignorum longitudinem occupãs, cancri, leonis & virginis, inter æquinoctialem circulũ & hyemalem collocatur. Ita tamen, vt caput eius contendens ad ſignum, id quod Procyon vocatur, & totius hydræ propriè quarta pars inter æſtiuum



& æquinoctialem circulum videatur. Cauda autem extrema penè Centauri caput tegẽs, ſuſtinet in dorſo coruũ roſtro corpus eius tangentem, & toto corpore ad craterem tendentem: qui ſatis longo diſſidente interuallo propè inter leonem & virginem conſtitutus videtur, inclinatior ad caput hydræ, quæ occidit aquario & piſcibus exortis. Oritur autem in his ſignis, de quibus ſuprà diximus. Habet autem in capite ſtellas tres, in prima capitis curuatura ſex, ſed earum nouiſſimam claram, in ſecunda curuatura tres, in tertia quatuor, in quarta duas, in quinta vſque ad caudam octo, omnes obſcuras. ita fiunt vigintiſex.

Coruus autem habet in gutture ſtellam vnam, in pennis duas, infra pennam, caudam verſus, duas, in vtriſque pedibus ſingulas. omnino ſunt ſeptem. Supra primam hidræ curuaturam crater poſitus habet in labris ſtellas duas, infra autem anſas duas obſcuras, in medio cratere duas, ad fundum duas. Omnino ſunt octo.

Piſcis

## Piſcis.

*Omnes ſtellæ piſcis meridionalis, ſunt quartæ, & quintæ magnitudinis.*



Piſcis autem qui Notius dicitur, inter hyemalem & antarcticum circulum media regione collocatus, ſpectare ad exortum videtur, inter capricornum & aquarium, ore excipiens aquam quę funditur ab aquario. hic occidit oriente cancro, exoritur autem cum piſcibus. ſed eſt ſtellarum omnino duodecim.

*Aratus cũ capricorno exoriri ait.*

Quæ ad figurationem ſiderum pertinent, ad hunc finem nobis erunt dicta: reliqua protinus dicemus.

# CLARISSIMI VIRI, C. IVLII HYGINI, AVGVSTI LIBERTI, DE QVINQVE circulorum inter corpora cœleſtia notatione, & Planetis, LIBER IIII.

QVONIAM in initio ſphærę circuli quinque, quomodo efficerentur oſtẽdimus, neque eos corpore ſiderum innotauimus, etſi duo nouiſſimi nihil ad ſolis curſum pertinent, hoc eſt arcticos & antarcticos, de mediis dicemus tribus. Sed quoniam Aratus quatuor circulis ſphæram plurimum valere dicit, neque eorum apertè quenquam demonſtrat, voluntatem noſtram apertius oſtendimus. Et quemadmodum in initio fecimus, à boreo polo ſumemus exordium.

θερινὸς τροπικός.

IGitur æſtiuum circulum vnum de quatuor eſſe dicemus, qui therinos tropicos vocatur, quo circulo æſtatem confici demonſtrauimus. & ſi nõn nemo dubitat, quare non vtrique circuli, hoc eſt æſtiuus & hyemalis, vno nomine appellentur, ideo quòd quẽn nos æſtiuũ diximus, nonnullis hyemalis fiat: & quo circulo hyemem cõfici diximus, eo circulo aliis æſtas ſit. Quòd ſi voluerint intelligere id ad noſtras collationes mundi eſſe demonſtratum, qui inter æſtiuũ circulũ & arcticon ſumus conſtituti, non ad illorũ ſphæram qui ab hyemali circulo antarcticũ habitantes nobis antipodes dicuntur, facilius ad noſtrã acceſſerint voluntatẽ. Si quis enim voluerit eorũ quos antipodas diximus, qui inferiore à nobis circulo cõſtituti vidẽtur, ſphęrã facere, nõ immeritò noſtrum hyemalẽ ſibi æſtiuum circulũ finxerit. Aut ſi quis ſcriptorum eorum mentionẽ faciens, obſcurè voluerit antipodas demonſtrare, & dixerit quibus in capricorno æſtas ſumma, aut in cãcro hyẽs maxima fiat, nõ imperita ratione acutiſſimè dixiſſe videbitur. Quodcũq; enim noſtris circulis cõtrariũ dixerit, id illis erit rectũ. Sed ne lõ

giore ſermone præter conſuetudinē vtamur, ad inceptū reuertamur. *De tropico cancri.*

IN æſtiuo circulo, de quo primùm dicere inſtituimus, hęc ſigna, ſiue partes eorum perſpiciuntur. Capita geminorum, aurigæ genu vtrunque, † vel ſiniſtrum Perſei crus, & humerus ſiniſter. Andromeda autem à pectore, ſed manu ſiniſtra diuiditur. Atque ita euenit, vt caput eius cum toto pectore & manu dextra videatur eſſe inter æſtiuum & æquinoctialem circulum, reliquum autem inter æſtiuum & arcticum finem. Præterea in eodem æſtiuo circulo, pedes equi Pegaſi videntur poſiti. & caput à reliquo corpore diuiditur oloris, & alæ ſiniſtri oris, vt volantis pars non magna. Ophiuchus humeris, vt circulum ſuſtinere videtur: virgo propè hunc contingens à capite. Inter hunc & æquinoctialem circulos collocata eſt, vt fulgens ad auſtrum. leo à pectore ad lumbos diuiditur, vt caput eius & corporis ſuperior à cruribus pars, inter hunc & arcticum circulum videatur. Inferior autem pars, inter æſtiuum & æquinoctialem circulum. Cācer autē ſic diuiditur medius, vt inter duos oculos eius, circulus traiectus exiſtimetur. In his ſignis & hoc, vt antè diximus, circulo cum vehitur ſol, euenit nobis, qui hac inclinatione mundi vtimur, vt ſint diei de partibus octo, partes quinque, noctis autem tres. Neque ita tamen, vt ex horologiis, ſed ex ſphæræ ratione. cum enim ſphæram ita conſtitueris, vt circulus is qui arcticus vocatur, ſemper appareat, nunquam autem antarcticus exoriatur, atque ita ſphæra eſt conſtituta: ſi voles circulum æſtiuum diuidere in partes octo, ex his inuenies partes 5. in ſphæra apparere, tres autem infrà tanquam ſub terra eſſe. At aliquis dixerit, cur ſphæræ circulos diuidamus in partes octo potius quàm duodecim, aut quot libuerit alias partes, hic non ſphæram, ſed ſe fallere, hac ratione inuenietur porrò arbitror. Si enim ita fecerit ex æſtiuo circulo partes duodecim, ex his partes 7. & dimidium partis apparere, quatuor autem & dimidium ſub terra inueniet eſſe. Itaque euenit, vt cum ad octo partes addita dimidia ſit, ſimili ratione ad partes quatuor accedat pars dimidia, & fiant ſupra terram partes ſeptem & dimidium partis: reli-

*Signa quæ in circulo æſtiuo perſpiciuntur.*

*Cur ſphæra in octo partes ſit diuiſa.*

quod eſt. quum autem ſub terra † quidem pars quatuor & dimidium. Igitur oportet intelligere, vt non in minutis partibus & dimidiis fiat, ſed certis numeris conficiatur, vt euenit in partibus octo. Præterea quoniam ſphæra diuiſa in partes 30. euenit, vt ab æſtiuo ad hyemalem ſint partes octo, nimirum certè eos circulos diuidemus in partes octo. Præterea quoniam ab æſtiuo circulo ad æquinoctialem ſunt quatuor de 30. Et rurſus ab æquinoctiali circulo ad hyemalem de partibus 30. partes quatuor. & ita nihilominus æquinoctialis ipſe per ſe circulus medius diuiditur, vt dimidia pars eius ſit ſub terra, de partibus octo partes quatuor, & totidem ſuprà, & tota ratio ad octauam partem perueniat, non dubium eſt quin rectè diuidatur in partes octo. Præterea cùm ſol per hos circulos currens iter annuum conficere videatur, & ab omnium ſignorum octaua parte, vt poſterius dicemus, incipiat exoriri, & ad aliud ſignum tranſire, neque vlla alia parte ſigni vtatur, rectè ipſi quinque circuli diuiduntur in partes octo. Præterea ſeptem ſidera ad eundem ſtatum reuertantur, quibuſdam placuit, vt cuiuſmodi dies hodiernus fuerit in ſolis aut lunæ tempeſtate, eiuſmodi octauo anno ſit futurus, verè ſphæra quoque diuidetur in partes octo. Præterea cum videamus octauo quoque die eiuſdem ſideris horam primam, aut quamlibet denique eſſe, vt cuius hodie fuerit hora prima, eiuſdem octauam quoque futuram veriſſimum eſt, ipſam quoque ſphæram vnde horæ ſumuntur, diuidi in partes octo. Sed ne reliqua prætermittamus, in hoc occupati, ad propoſitum reuertamur.

### *Aequinoctialis.*

SEcundus ab æſtiuo ęquinoctialis eſt circulus, in quo hæc ſigna & partes eorum perſpici poſſunt. Aries totus omnibus pedibus innixus videtur. Hunc autem Aratus omnium ſiderum celerrimum eſſe demonſtrat: etiam minori arcto, quę breui ſpacio vertitur, præſtare: id quod velit eſſe, ſic poterimꝰ vel facillimè intelligere. Cum ſit enim maximus circulus æquinoctialis in ſphæra, in eóque aries, vt affixus videatur, quomodocunque fuerint figuræ corporum collocatæ, vt ad eundem cir-

culum perueniant,neceſſe eſt ſemel verti ſphærã. Quod cum fiat,& aries in maximo circulo, & eodem tempore ad locum quo ſidera reliqua perueniant,neceſſe eſt eum celerrimum dici:ſed nos ad circuli † effectionem venie- effictionem.
mus , & reliqua dicemus. In eodem tauri genua,vt fixa perſpiciuntur , etſi nonnulli ita finxere,vt vno genu, hoc eſt dextro nixus,ſiniſtro propè pedes contingere videatur. De hoc in medio relinquemus. Sed in eodem circulo zona Orionis , vt ipſo circulo præcinctus exiſtimetur.Hydra flexu à capite primo,vt ceruicibus erectis cancrum contingere videatur , ex inferiore corpore hydræ crater cum coruo velut fixus eſſe circulo cõſpicitur. Item paucæ ſtellæ chelarum,eódem adiungũtur,Ophiuchi genua eodem circulo à reliquo corpore diuiduntur. Aquila ſiniſteriore pẽna penè eum contingens figurata eſt: eodémque circulo caput Pegaſi cum ceruicibus nititur.His corporibus ſignorum æquinoctialis circulus finitur.Quò ſol cum peruenerit,bis vno anno conficitur æquinoctium : hoc eſt,in ariete & chelis. In hac enim parte ſphæræ & ver & autumnus cõfici exiſtimatur,ita vt ver ſit in ariete , autumnus in priore parte ſcorpionis. Quod ſignum nonnulli libram dixerunt: per hunc circulum tranſiens ſol ab ariete ad chelas , efficit ſex menſium diem,his locis qui intra arcticum videntur orbem: noctem autem his,qui antarctico circulo ſunt clauſi. Quare magis his locis nemo poteſt durare. Et rurſus ab autumno vſque ad ver,hoc eſt , à chelis vſque ad arietẽ perueniens , efficit his locis ſex menſibus perpetuis diem,in quibus ante noctem demonſtrauimus. Econtrariò autem noctem his,qui boreo polo ſunt proximi. Sed de hoc antè diximus Neque enim mirum eſt, hac collatione ſphæræ id euenire. Erecto enim boreo polo, neque vnquam occidente euenit,vt corpora quæque quæ ei proxima ſunt circulo , ſerò occidere videantur.Id ex hoc intelligere licebit. Cum in his partibus ſphæræ habitetur , quæ pars eſt ab æſtiuo circulo ad orbem qui arcticos vocatur,& de arctico circulo,hoc eſt de duab⁹ vrſis & dracone , caput draconis maximè niti ipſo circulo videatur,ita vt is qui engonaſin vocatur , inter æſtiuum & arcticum locatus , caput draconis premere intelliga-

tur:quicunque, vt antè diximus, ad ipſum caput draconis habitant,ita longo die vtuntur, vt eis ne tertia quidem horæ pars in vnaquaque nocte obtingat. Itaque Aratus ait.

> Κείνη που κεφαλὴ τῇ νήχεται ἧχί περ ἄκραι
> μίσγονται δύσιές τε καὶ ἀντολαὶ ἀλλήλοισι.

Item Cicero dicit:Quod caput hic paulum ſeſe ſubitóque recondit.

Ortus vbi atque obitus parte admiſcentur in vna.

De hoc Homer.quoque in Odyſſea,qui ita breuem noctem eſſe dicit,vt paſtores cum alij exigant,alij reducãt pecus,poſſint alius alium audire, cum vnus propter noctem pecus reducat,alter propter lucem exigat. Sed nos ad propoſitum reuertamur.

TErtius ab æſtiuo circulo qui hyemalis vocatur, his corporibus & eorum partibus finitur. Nam mediũ capricornum diuidens,& pedes Aquarij,per caudam piſtricis,vt traiectus videtur. Diuidit etiam leporem fugientẽ à cruribus,& quadã parte corporis,& canis ſequẽtis pedes,& nauis ipſius puppim.Centaurique ceruices à reliquo corpore diuidit. Scorpionis extrema cauda, quod acumen vocatur,eodẽ circulo coniungitur. Sagittarij arcus eodem orbe deformatur. Huius orbis infra terram ſunt,de partibus octo,partes quinq;, ſupra terram autem tres:itaque,it breuior dies nocte, vt antè demonſtrauimus.

QVartum circulum zodiacum eſſe, Aratus demonſtrat, de quo antè diximus, & poſterius dicemus. Sed Aratus non, vt reliqui Aſtrologi, ab ariete duodecim ſigna demonſtrat,hoc eſt vere incipiente,ſed à cancro,hoc eſt ipſa æſtate. Nos autem quoniam ab ariete incipimus,ita protinus dicemus.In hoc enim circulo ſic duodecim ſigna figurantur,Aries,Taurus,Gemini:in his tribus ſignis ver demonſtratur, & æquinoctium vernum. Cancer, Leo, Virgo: in his ſignis maximè æſtas conficitur. Sed Sol incipit à Virgine iam tranſire ad æquinoctium autumnale. Chelæ, Scorpius, Sagittarius:in his tribus ſignis autumnus efficitur, & æquinoctium autumnale. Capricornus, Aquarius, Piſces: in his tribus ſignis ſol hyemem conficere demonſtratur

Et ſi † nulla ſunt ſigna 12. ſed 11. ideo quòd Scorpio magnitudine ſui corporis duorum locum occupat ſignorum. E quibus prior pars Chelæ, reliqua autem Scorpio vocatur. Priores enim aſtrologi cum omnes res ad duodecim partes reuocarent, vt menſes, & horas, & latitudinem ſignorum: itaque & ſigna, per quæ res omnes ſignificantur, duodecim eſſe voluerunt. † non

SEd quoniam ſeptem circulis in prooemio propoſitis, de quatuor circulis mentionem fecimus, ne ſeptem ex ordine demonſtratis, aliquid à nobis obſcurius dictum videatur, de ſeptem ſuperant 3. arcticos, antarcticos, & ille qui Lacteus vocatur. Itaque de his dicere incipiemus. Arcticon igitur orbem ſuſtinet caput draconis cum reliqua corporis parte, Cepheus autem pectore ſuo circulum iungit. eodem orbe nituntur & pedes maioris vrſæ. Præterea ſedile Caſſiopeiæ cum pedibus eius nititur ipſi circulo, & de dextro pede genúque ſiniſtro, & pedis prioribus digitis eius, qui engonaſin vocatur, & manus ſiniſtra Bootis exteriori parte circuli peruenit cõiuncta. Ad antarcticon autem circulũ peruenit extrema nauis Argo, pedéſque Centauri poſteriores adiunguntur. Priores autem propè cõtingere, & ara videtur propè affixa, Eridaniq; fluminis extrema ſignificatio

REliquum eſt nobis diffinire, quem ſupra Lacteum orbem demonſtrauimus. Ipſe enim diuidit oloris extremam ſiniſtrã pennam, quæ extra æſtiuum peruenit finem. Præterea tranſit manum dextram Perſei, & ab humero ſiniſtro aurigæ perueniẽs ſub manum eius dextrã: & geminorum genua, & pedes eius ſigni quod Procyon vocatur. Hic diuidens æquinoctialem & æſtiuum circulum, tangit extremum finem mali, qui in Argo naue defixus videtur. Deinde rurſus reuertens, genua Centauri diuidit à reliquo corpore: & extremam caudam terminat ſcorpionis, & arcum medium Sagitarij, & aquilæ dimidiam partem per eius tranſiens pennas.

QVoniam de hiſce rebus expoſuimus ordine, mundi rationem, & quemadmodum moueatur protinus dicemus, & in duodecim ſignorum exortu quæ deinde corpora conſequantur, & quæ perueniant ad occaſum. Conuenit nobis mundum ab exortu ad occaſum

conuerti, ideo quòd videmus ſtellas exorientes ad occidentem conuerti. Sic enim primùm poterimus ſcire quid ſit exortus,& quid occaſus. Si quis enim noſtrûm aliquis aſtiterit contra exorientem ſolem, neceſſe eſt arctos nobis à ſiniſtris partibus eſſe. Cum id ita fiat, illud quoque neceſſe eſt, vt omnia è dextris partibus exorta, in ſiniſtris occidere videantur, de quo & antè diximus. Igitur cùm videamus ſtellas exoriri,& occidere, neceſſe eſt mundum quoque cum ſtellis verti. Sed nonnulli aiunt, nihilominus id euenire poſſe, vt ſic ſtante mundo, ſtellæ & exoriantur & occidant: quod fieri non poteſt. Si enim ſtellæ vagæ feruntur, neque mundus ipſe voluitur, non poſſunt corpora ſtellis figurata incolumia & certa permanere. Illud enim videmus in toto mundo ſtellas erraticas eſſe 5. neque horum curſum quenquam poſſe diffinire. Aratum ipſum quoque negare ſe difficiles eorum curſus interpretari poſſe. Quomodo igitur cum quinque ſtellas nemo poſſit obſeruare, tot millia quiſquam poſſit peruidere? niſi qui permittat hoc, curſus ſtellarum poſſe eſſe,& nihilominus figuras corporum permanere. quod ſi non eſt, tota ſphæra ad irritum reuocabitur. Quicunque enim ſphæram fecerit, non poterit efficere, vt ſphæra ſtante, nihilominus ſtellæ verſentur. Illud etiam videmus in extrema cauda draconis ſtellam eſſe, quæ in ſe verſatur, & in eodem loco conſtet. Quòd ſi omnes ſtellæ vagæ feruntur, hanc quoque loco moueri neceſſe eſt: quod non euenit. Igitur neceſſe eſt mũdum quoque, non ſtellas, verti. Quoniã oſtendimus mundũ cum ſtellis potius quàm ſtellas per ſe verti: nũc reliqua dicemus.

CVm enim traditum ſit nobis, prius noctem quàm diem ferri, noctẽ dicemus vmbram terræ eſſe, eámque obſtare lumini ſolis. Et ſi nonnulli dixerunt in ſolis curſu euenire, vt cum peruenerit ad eum locum vbi occidere dicatur, ibi montium magnitudine à nobis lumen auerti ſolis, & ita noctem videri. Quod ſi ita ſit, nimirum eclipſim ſolis verius quàm noctem diximus. Sed aliter eſſe, ex ipſa ſphæra licebit intelligere.

HOrizon enim diuidens ea quæ videntur, & quæ non apparent, ita diffinit ſphæram, vt ſemper ſex

ſigna de duodecim in hemiſphærio videantur ſuper terram, ſex autē ſigna ſint infrà ſub terra. Igitur cum in vno eorum ſol nixus ferri videatur, ab eo circulo qui horizon vocatur, exoritur. itaque incipit lucere, cum nihilominus ipſe mundus verſatur cum reliquis ſignis. Sed quò facilius intelligatur, ponamus ſolem eſſe in Ariete, à quo duodecim ſigna inſtituimus numerare. Igitur cum ſol ſit in Ariete, eo exoriente dies eſt: qui cum vertente ſe mundo peruenit ad eum circulum, qui Meſembrinos vocatur, efficit diei partem dimidiam. Sed ſic etiam facilius intelligitur, & rurſus ab eodem ariete incipiemus. Cum aries eſt exortus, præter eum ſigna ſunt in ſuperiore hemiſphærio: Piſces, Aquarius, Capricornus, Sagittarius, Scorpio. Horum cum tria ſigna occiderint, hoc eſt, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, exorta ſunt tria quæ arietem ſequuntur, hoc eſt, Taurus, Gemini, Cancer: tum fieri dimidium diem neceſſe eſt, & arietem peruenire ad eum quem Meſembrinum eſſe circulum, ſuprà diximus. Cum autem cū reliquis ſignis ipſe aries occidit, & exortus eſt leo, virgo, tum chelæ exoriūtur, & in ſuperiore hemiſphærio ariete occidente vehuntur. Quæ cum occiderint, rurſus aries exortus efficiet lucem. Sed ne in dubium veniat, cum ariete occidente dixerimus chelas exoriri, quid de reliquis ſignis ſiue ſphæra poſſet intelligi, ſic inuenietur. In quocunque ſigno ſol fuerit exoriens, quodcunque ab eo ſigno ſeptimo loco fuerit, id noctu primùm exorietur, & ita conficiet curſum. Mundus enim ipſe ſemel in die ac nocte verti videtur. Itaque euenit, vt ipſa ſigna 12. ſemel in die ac nocte videri poſſint. Sed ne ſolis curſus, de quibus poſtea ſumus dicturi, potius quàm quòd antè cœpimus, enumerauerimus, ad inceptum reuertemur. Diximus enim principium mundi eſſe noctem, deinde diem. Inter noctem & diem præter vmbram terræ nihil intereſſe arbitramur. Sed quoniam Signorum ſuprà & corporum exortus inſtituimus, ad hoc perueniemus.

IGitur vertente ſe mundo per vtroſque polos & axem, quem ſuprà dimenſionem ſphæræ diximus eſſe, & ita ſphæra collocata, vt vnus polus ſemper ſit ſupra terram, alter nunquam exoriatur neceſſe eſt. Arctus quoque, &

reliqua corpora quæ ſunt in arctico circulo nunquã occidere, reliqua autẽ omnia exoriri & occidere, q̃ inferiora ſint ab eo circulo, quẽ nũc occidere diximus. Id enim poſſe fieri, hæc edocet cauſa. Videmus apud extremum draconis, quod maximè arcticon extra circulũ prouidet, quod quodã tẽpore ita occidere exiſtimatur, vt exortus cũ occaſu permiſceatur, vt & antè diximus. Si autem pars aliqua occidere de ſummo circulo videtur, neceſſe eſt omnia quæ ſunt exoriri & occidere. Igitur cõuenit nobis, ſidera vertente mundo occidere & exoriri. Præterea hac inclinatione cœli, cũ vnus circulus ita ſit erectus, vt nunquã occidat: alter ita ſit terræ ſubiectus, vt nunquã exoriatur: quicunq; circuli fuerint in ſphæra, hoc eſt, ab æquinoctiali ad polũ, qui Boreus appellatur, nullus erit eorũ quinõ maiorem partẽ circũductionis habeat ſupra terrã. Qui autem ab æquinoctiali fuerint circulo ad eũ polum qui Notius appellatur, omnes inferiorẽ partem maiorẽ habebunt q̃ ſuperiorem & quãto magis ad polum notiũ acceſſerint, hoc maiorẽ partẽ ſub terra habere perſpicientur. Et quãto magis ad boreũ finem venerint, hoc maiorẽ partẽ circuli ſupra terrã tenere videbũtur. Quò enim erectior ipſe polus fuerit, hoc magis & circuli eius erectiores videbuntur. Quod cùm ita ſit, ſi duo ſidera ſimul fuerint orta, vnum ab arctico, alterũ ab antarctico circulo, ſerius occidet id ſidus quod ab arctico circulo fuerit exortum: ideo quòd maiorem habet circunductionem ſphæræ, quàm quod à notio polo eſt ortum. Si autem ſimul occiderint, ſerius exorietur id ſignum quod ab antarctico fuerit exortum, ideo quòd tota illa collatio mundi maiorem partem habet ſub terra, quam illa pars quæ in boreo polo eſt finita. Et non modò ſigna quæ ſunt ad arcticum finem collocata, præſtantibus corporibus aut ſerius occidunt, aut antè exoriuntur quàm ea quæ notio polo depinximus: ſed ipſa quoque corpora inter ſe diſſentiunt, vt ſi quod inferius ſit ſignum, & id cum ſuperiore exoriatur, tamen ſerius occidat. E contrario itaque ſi qua ſunt ſigna ab æquinoctiali circulo ad notium polum figurata, horum ſi qua ſigna pariter exorta fuerint, citius occident quæ proximè polum accedãt. Euenit etiam, vt nõ modò

quæ ſimul ſint exorta ſidera,ex his ſerius occidant,quæ proximè arcticum circulum ſunt collocata:ſed etiam ſi qua eorum antè exorta fuerint,quæ ſunt ad notium polum finita,tamen antè occidant, quàm ea corpora, quæ in boreo polo figurata eſſe ſuprà demonſtrauimus:ideo quòd maiore circunductione ſphæræ vtuntur ea corpora,quæ æquinoctiali circulo ad arcticum finem ſunt cõſtituta.Igitur,oſtendimus qua inclinatione mundi ſphæra ſit conſtituta. Nunc ad duodecim ſigna reuertemur: & quorũ exortu quæ de reliquis corporibus occidãt,aut oriãtur,cõmemorabimus,& initium ab ariete faciemus.

ARietis exortu , ſiniſtra pars Andromedæ prouenire , Ara autem occidere videtur. Cum ſidere eodem exoritur &Perſei caput vſque ad vmbilicum:vt dubium fore videatur , Zona eius vtrum vſque extremo Ariete,an tauro primùm exoriente prodeat ad lucem. *Aries.*

*Taurus.*

Tauro autem exorto , quæ prius dubia fuerint , omnia ſunt certa. Nam & Ara omnino occidit,& Perſeus totus eſt ortus:&aurigæ caput cũ reliquo corpore dũtaxat ad ſiniſtrũ pedẽ videtur, & piſtrix à cauda exoriens proſpicitur.Hoc ſigno primũ occidere Bootes videtur & ſi cũ quatuor ſignis occidit,neque tamen totus ad terrã poteſt venire.Nam manus eius ſiniſtra circulo arctico concluſa,neque oritur,neque occidit.Geminis exorientibus tota iam piſtrix , & fluminis Eridani prior pars apparet, & Orion exoriri videtur. Occidit autem Ophiuchus à pedibus,genuum fine. Cancer exoriens obſcurat dimidiam partem coronæ , piſtricíſque caudam , & notium piſcem,&caput cum reliquo corpore ad vmbilicum eius qui Engonaſin vocatur. Ophiuchum à genubus ad humeros,& anguem totum præter caput & ceruicem,quæ ex æſtiuo circulo tendit ad coronam.Bootem propè totum,terra tenet rectum.Exoritur autem & Orionis corpus ad Zonam , & Eridanus totus apparet. Exortu leonis reliqua pars occidit,coronæ cum capite &ceruicibus anguis,& Ophiucho. Engonaſin autem qui vocatur, eius præter ſiniſtrum genu & pedem nihil apparet , & Bootes totus obſcuratur. Exoritur autem caput hydræ cum lepore toto,& Procyon cum pedibus prioris canis & aquila tota. Virgo autẽ exoriens , non pauca ſidera

*Gemini.* *Cancer.* *Leo.* *Virgo.*

obſcurat. Nam ſtatim Lyra occidit cum ſagitta & delphino,& oloris à capite corpus vſque ad caudam propè occidit, & fluminis prior pars,& equi caput cum ceruicibus. Exoritur autem hydra ſine crateris, & canis totus,& nauis Argo ſine totius veli. Chelis exorientibus, videtur & Bootes exoriens totus,& tota nauis apparet Argo,hydráque,præter cacumen extremum caudæ,quod eſt ſub terra. Exoritur etiam genu & ſura eius dextra, qui engonaſin vocatur. Hunc eadem nocte occidere & exoriri licet videre. Reliquum autem corpus,cum ſcorpioni & ſagittarij prouenit parte. Præterea cum Chelis exoritur cauda centauri. Occidit reliquum Pegaſi corpus,& oloris extrema cauda, & Andromedæ caput cum vmbilico Pegaſi, & piſtrix reliquo corpore ad ceruices, vt caput eius ſolum videatur, & caput Cephei pendens ad piſtricis occaſum,cũ manibus & humeris peruenit ad terram.

*Libra.*

*Scorpio.*

Scorpione exoriente,duæ partes fluminis occidunt, & reliquum corpus Andromedæ cum capite Cephei.Occidit etiam Cepheus capite ad humeros, quæ pars eſt extraarcticum circulum conſtituta: obſcuratur etiam Caſſiopeia,reſupinata occidens. Exoritur autem corona,quæ ante centauri pedes iacere exiſtimatur: & hydræ reliquum,quod caudam eſſe ſuprà diximus. Prouenit etiam & corpus centauri,quod equina figura videtur, & ipſius hominis caput, & hoſtiam quam tenere eum ſuprà diximus. Denique ad id corpus quà ſine pedes eius ſunt priores. Ophiuchi autem dumtaxat caput exoritur,& ipſius anguis caput, quod eſt contra cancrũ.

*Sagittarius*

Sagittarium exorientem Ophiuchus totus exoriẽs inſequitur,& anguis qui ab eo tenetur, caput eius qui engonaſin vocatur. Et ſiniſtra manus eiuſdem. Denique lyra tota cum Cephei capite & humeris exit ad lucem. Occidit autem canis maior cum Orione toto & lepore, & aurigæ ſuperiore parte corporis.Præterea caput & pedes eius. Occidit etiam totus Perſeus, præter crus & pedem dextrum. Argo autem puppim ſolam relinquens, peruenit ad terram.

*Capricornus*

Capricornus exoriens, hæc ſidera ad terram premere videtur, reliquam figuram nauis,& ſignum quod Procyon vocatur. Eodem tempore & reliquum corpus occidit Perſei. Exoritur autem olor cum

aquila & ſagitta,& ara,quam proximam eſſe notio polo diximus. Aquarius exoriens, ad dimidiam partẽ corporis equi pedes ſecum de terra ducit,& caput cũ ceruice Pegaſi. At etiam centaurus à cauda ad humeros virilis corporis occidit,cum hydræ capite, & ceruicibus. Piſcibus exorientibus occidit reliquum hydræ corpus & ipſe Centaurus. Exoritur autem piſcis qui notius vocatur,& Andromedæ dextra pars corporis. *Aquarius.* *Piſces.*

*De Sole,& Luna,& cæteris planetis.*

SIc igitur exorientibus duodecim ſignis, reliqua corpora occidere & exoriri videntur. Sed vt antè diximus,nunc protinus de ſolis curſu dicemus. Neceſſe eſt enim ſolem,aut ipſum per ſe moueri,aut cũ mũdo verti vno loco manentem. Quòd ſi maneret, neceſſe erat eodem loco occidere & exoriri,quo pridie fuerit exortus,




quemadmodum ſigna eodem loco ſemper oriuntur & occidunt. Præterea ſi ita eſſet, neceſſe erat dies & noctes omnes æquales eſſe: vt quàm longus hodiernus dies fuerit,tam longus ſemper ſit futurus. Item nox ſimili ratione ſemper æqualis permaneret. Quod quoniam non eſt,illud quoque neceſſe eſt,cum videamus eſſe dies in-

æquales,& ſolem alio loco hodie occaſurum, & alio heri occidiſſe. Si igitur aliis locis oritur & occidit, neceſſe eſt eum moueri, non ſtare. Solem autem contra mundi motũ currere, ſic poſſumus intelligere: euenit enim, vt duabus ex cauſis ſidera non poſſimus videre. Quarum vna eſt, cum abierint infra terram: noſtrum quod effugere conſpectum, ita vt inferius hemiſphærio * oſtenditur. Altera autem eſt ratio, quòd propter fulgorem ſolis & vim maximam luminis ſidera obſcurentur: ſiue quòd ſtellis obſiſtit, ne candor earum ad noſtros perueniat aſpectus: ſiue ſua magnitudine luminis officit oculis noſtris, ne præter eius ignem aliam rem ſuperiorem perſpiciamus. Quod magis veriſſimile videtur. Neque enim ſolis ignem eiuſmodi videmus, cuiuſmodi reliquos ignes intelligimus: ſed ita lumen auertit noſtrũ, vt ipſe quoque nobis non igneus, ſed albus eſſe videatur. Præterea in vnaquaque*nocte, † duodecim ſigna neceſſe eſt apparere. Ideò quòd vno ſigno ſol ipſe nixus, iter conficere videtur, cuius figuram corporis ipſe ſuo lumine obſcurat. Cum eo enim ſigno & occidere & exoriri videtur. nonnulli dicunt nos † vndecim ſigna duntaxat hac ratione perſpicere poſſe, ſi in eius ſigni prima nouiſſimáque parte conſiſtat. Habent enim duodecim ſigna partes eiuſcemodi, vt vnum quodque eorum in longitudine habeat partes 30. in latitudine autem partes duodecim. Itaque euenit, vt in longitudine ſignorum annus ſit, in latitudine autem ſinguli dies ſint, In prima parte ſigni nihilominus nos reliquum corpus eius ſigni videre poſſe, nonnulli dicunt. Simili ratione & ſi fuerit in extrema parte ſigni, quod fieri non poteſt. Nam cùm ſol ſit in qualibet parte ſigni, & exoriatur, ita magnum videtur habere fulgorem, vt omnia ſidera obſcuret. Illud tamen poteſt euenire, vt cùm ſol ſit in prima parte ſigni, & occidat, reliquum corpus eius ſigni appareat. Sed certius & verius eſt, vndecim ſigna quam duodecim apparere poſſe. Præterea quæritur, quare Sol contra mundi inclinationem currens, videatur cum ipſa ſua ſphæra occidere & verti. Nam ſi Sol contra ſiderum occaſum curreret, de ariete ad piſces, non ad taurum tranſiret. Exoriri etenim antè piſces quàm aries & oc-

*Fortaſſe die ac nocte.
† Vndecim a ij.
† Duodecim a.ij.

cidere perſpiciuntur. & ita mundus verti videtur, vt priùs piſces quàm aries occidant. Itaque diebus 30. ſol in ariete currens, & eius corpus obſcurans, ſic duntaxat apparet ſol, vt ex eo loco quo aries exoriri videatur, & poſt triginta dies ſol videatur ab eodem loco ſurgere, ex quo loco taurus antè exoriri videbatur: igitur apparet ſolem ab ariete ad taurum trãſire. Quod ſi ita eſt, neceſſe eſt eum contra mundi inclinationem currere. Quare autem euenit, vt antè diximus, quod videtur cum mũdo ſol verti, eius ſimilis hæc cauſa eſt, vt ſi quis in nauiculæ roſtro ſedens, inquirat ad primum tranſire, & nihilominus ipſa nauis iter ſuum conficiat. Ille quidem videbitur contra nauiculæ curſum ire, ſed tamen eodem perueniet quò nauis. Hoc autem ſic etiam facilius intelligitur, ſi nauim diuiſeris in partes 360. quemadmodum ſol diebus 360. ſimul mundum tranſigit, eodem modo vt antè diximus ſit diuiſa, & in vna parte de 360. conſtituatur quilibet eorum. Nauis autem habet vnius diei curſum, ille quidem contra nauim ire, ſed cum ea ad locum definitum peruenire intelligeretur. Non enim extra nauim eſt, quia roſtro ad puppim tranſit, ſed ipſa naui continetur. Item ſol cùm per ipſum mundum iter conficiat, & eo contineatur, videtur contra mundum ire, ſed cum eo peruenit ad occaſum. Cùm enim mundus trecenties & ſexagies ſe conuertit, tunc ſol iter annuum conficit.

*Eſt qui conſpicuus ſuper hos quæſiuit in aſtris,*
*Auſus habere Deum ſolem, qui tramite recto*
*Conditio impoſita eſt virgilem tolerare laborem.*

*Luna.*

QVoniam de Sole quæ viſa ſunt nobis vtiliſſima eſſe, literis mandauimus, nunc de Luna dicemus, & ſi alta conati perſcribere, † velut natura voluminis ad hoc loci venimus, ne nonnullis incautè huius rationem relinquentes, aut propter magnum laborem defeciſſe, aut inſcientia ſuperati, non valuiſſe perſequi videamur. Nos autem non illorum exiſtimationis timen-

*Vt pro natura volumen ſit: hæc verba quidam addũt hoc loco.*

dæ cauſa perſequi inſtituimus: ſed conſuetudinis noſtræ rationem demonſtraſſe. Sed quod alterius quæri volumen hoc perlecto non voluimus, nec tam diu rem cogitatam ſcripto ad aliorũ deſiderium adducere. præterea cum reliqua omnia diligentiſſimè perſecuti fuerimus, alienum videtur eſſe, nos nõ eandem perſequi cauſam.




Quare ſicut antè diximus, ad inceptum reuertemur. & neceſſariò totidem verbis de Luna & Sole dicemus, ita: Lunam à Sole per alios exortus & occaſus neceſſe eſt moueri, non ſtare. Idque facilius quàm de Sole licet intelligere. neque enim tam magnus ardor eius eſt, vt officiat oculis noſtris, neque vt ſol dies 30. vnoquoque ſigno vehitur, vt difficile ſit intellectu, quanta particula luminis aut ipſius ſigni ſupereſſe videtur, cùm ad aliud tranſierit ſignum. Lunam enim cum 12. ſigna diebus 30. percurrat, licet intelligere duobus diebus & ſex horis in alio ſigno eſſe. Hanc autem cùm à Sole lumen accipiat, & ita nobis lucere videatur, non eſt veriſimile, de tam multis cauſis potius eam conſtare quàm moueri. Si enim ſuo lumine vteretur, illud quoque ſequebatur, eã ſemper æqualem eſſe oportere: nec die triceſimo tam exilem, aut * omnino nullam videri. Cùm enim totum tranſegerit curſum, ſola autem ad aliud tranſire ſignum

intelliga-

intelligatur: præterea ſi ſuo lumine vteretur, huius nunquam eclipſin fieri oportebat. Sed ne dubium fiat, quare ſolis eclipſis fieri poſſit, qui vtriſque lumen dare ſuprà ſit dictus: Lunæ autem non facilè fiat, cùm alieno lumine vtatur: eius hæc veriſſima, vt arbitramur, eſt cauſa. Luna enim cum ex toto mundo & omnibus ſtellis maximè terræ proxima videatur & ad acies noſtras perueniat: & quodam tempore torrens perueniat ad eundem locum ſigni quo ſol vehitur, obſeruare lumen eius à noſtro conſpectu videtur. Hoc autem maximè euenit die nouiſſimo, cum Luna tranſierit iam in duodecim ſigna: & cum ſol ad aliud ſignum tranſire videatur, & proxima fiet illi. Quod euenire, ſic etiam poteſt intelligi, vt ſi quis alicui manum planam ad oculos admouerit: quanto magis ſic fecerit, hoc minus ille videri poterit: & quanto longius ab eo diceſſerit, hoc magis illi omnia poterunt apparere. ſimili ratione, cum Luna ad ſolis locum peruenit, tunc proxima eius videtur eſſe, & radio eius obturare, vt lumen emittere non poſſit. Cum autem luna ab eo loco diſceſſerit, tunc ſol lumen eiicit, & ita ad noſtra adiicit corpora. Lunæ autem eclipſis ſic euenit, cum propè dimenſione ſit Luna, cum abierit ſol ſub terram, dumtaxat hoc modo, vt per mediam terram ſi quod directũ traieceris, contingere poſſit ſolem ſub terram, Lunam autem ſupra terram. Quod cum ita euenit, neceſſe eſt ſolis radios propter magnitudinem terræ ita eſſe dimiſſos, vt lumen eius, quo luna lucet, non poſſit ad eam peruenire. & ita exiſtimatur fieri eclipſis lunæ. Quæ ſi ſuo lumine vteretur, licebat ne apparere quidem nunquam ſolem, ideo quòd luna nihilominus luceret. ſic nanque accipit lumen, vt luceat cum ſol venerit per terras: ſed non vt aliquem locum concluſiorem, totúmque ſpaciũ impleat lumine. Si quis noſtrũ ſteterit in eo loco, quo ſol minimè lucet, reliquis partibus lumẽ à ſole accipiens præbebit. Id in luna fieri inuenitur, eã ſolis lumine accepto lucere nõnulli exiſtimant reuibratione. nonnulli exiſtimant, cum dicitur Sol in ariete aut in quolibet ſigno eſſe, eum ſupra ipſas ſtellas arietis iter facere. Qui autem hac ratione vtuntur, longè à vera ratione errant. Nã neque ſol neque Lu-

na proximè ſidera apparent. Hac etiã de cauſa nõnulli ſeptem ſtellas erraticas finxerunt, adiungẽtes eòdẽ Solem & Lunam, quòd cum quinque ſtellis feruntur: Luna enim proximè terram eſt. Itaque diebus 30. totum mundum exiſtimatur tranſire. Id hac euenit ratione, ſi circulos quis intra zodiaci ambitum fecerit, eóſque ſic hoc interuallo finxerit, vt terra ſit in medio, & vnam à terra ad Lunam menſionem fecerit, quam Græci τόνον appellauerunt. Hunc autem quia non certum ſpacium potuerunt dicere, tonon dixerunt. igitur abeſt Luna à terra tono vno. Hac igitur re, quod breuiſſimo circulo deuehitur diebus 30. ad primum peruenit† ſignum.

*circulum*

*Denique cum Luna eſt, ſubluſtri ſplendet amictu:*
*Quum ſuccincta iacet calamos, Latonia virgo eſt:*
*Quum ſubnixa ſedet ſolio, Plutonia coniunx.*

**Alij ſemitonio.*
*†Tono dimidio*

Ab hoc circulo abeſt circulus* tonon dimidium, quo loco Mercurij ſidus vehitur. Itaque diebus 30. ad alterum ſignum tranſiens tardius, ab hoc circulo abeſt † tonum dimidium, quo loco iter ſuum Veneris dirigit aſtrum, tardius quàm Mercurij ſtella conficiens curſum. Tranſit enim ad aliud ſignum diebus 30. Supra huius ſtellam ſolis eſt curſus, qui abeſt ab Heſpero, quæ eſt Veneris ſtella, medietate toni. Itaque cum inferioribus pariter peruolans vno anno, id eſt duodecim ſigna percurrit, triceſimo die ad aliud tranſiens ſignum. Supra ſolem igitur & eius circulum Martis eſt ſtella, quæ abeſt à Sole tono dimidio : itaque dicitur diebus 60. ad aliud ſignum tranſire. Hunc ſupra Iouis ſigno orbem eſt ſtella, quæ abeſt à Martis hemitono. Itaque vno anno ad alterum tranſit ſignum. Nouiſſima ſtella Saturni, quæ maximo vehitur circulo: hæc autem tono diſtat à Ioue. Itaque annis 30. 12. percurrit ſigna. Ab ipſorum tamen ſiderum corporibus Saturnus abeſt tono & dimidio. Hac igitur ratione poteſt ſcire, neque ſolem, neque lunam contingere ſtellas, & nihilominus per Zodiacum circulum verti. Hinc etiam poſſumus intelligere, lunam minorem eſſe ſole. Omnia quæ proxima ſunt nobis, maiora neceſſe eſt eſſe, quàm quæ longo diſſidente interuallo videmus. Igitur Lunam videmus proximè nos eſſe. Neque eam maiorem noſtro

aſpectui eſſe, quàm ſolem. Illud quoque neceſſe eſt, cum ſol non longè abſit à Luna, & à nobis maior videtur, ſi prope acceſſerit, multo maiorem futurum. Præterea neceſſe eſt, vt antè diximus, aut nullam ſtellam erraticam eſſe, aut Solem pariter cum Luna, vt reliquas ſtellas, errare. Si enim quiſquam mihi poteſt demonſtrare quinque ſtellarum curſum, & dicere, quòd hodie quæque coràm ad aliud tranſeat ſignum, quemadmodum de Sole & Luna fieri videmus, & nihilominus ſuum efficit curſum, non eſt erratica. Si autem dubium eſt, quòd hodie tranſeat, & aliud ſignum compari ratione cum Luna feratur, & ſuum circulum dirigat, quemadmodum ſtellæ quæ ſunt dubiæ, neceſſe eſt has quoque errare: ſed non euenit vt errent, præſertim cum ſuo tempore ad curſum reuertantur. Igitur ne ſtellæ quidem, cum certo tempore ad ſuum ſignum reuertantur, poſſunt errare, niſi fortè volumus accipere excuſationem, quòd duo corpora magna facilius poſſunt obſeruari, quàm ſingulæ ſtellæ, quæ non certos curſus conficientes videntur apparere.

*De venere*




SEd ſtellas quinque nonnulli has aiunt eſſe, Veneris, Mercurij, Iouis, Saturni, & Martis; è quibus eſſe

maximam colore candido, nomine Heſperum, & eam appellari Venerem. Hæc ſtella non abeſt à ſole longius duobus ſignis, ſubter eius circulum collocata, ſicut antè diximus. Apparens autem maximè noctu, ſed toto menſe non plus indeficiens poteſt videri. Sed totus Heſperus incertos efficit curſus, non eodem tempore ad præteritum tranſiens ſignum.

### *De Mercurio.*




SEcunda ſtella eſt Mercurij, nomine Stilbon, totus acuto lumine, ſed in aſpectum non magnus. hic autem à ſole non longius abeſt ſigno vno. qui ſemper eoſdem curſus efficiens, modò nocte prima, modò autem ad ſolis exortus incipit apparere. nonnunquam etiam perpetuò ſignis quatuor eſt cum ſole: rediens autem, cum ſole non amplius eſt, quàm tertiam partem ſigni.

*De Ioue.*




IOuis autem ſtella, nomine Phæton, corpore eſt magnus. Figura autem ſimilis Lyræ. hic autem duodecim ſigna annis totidem tranſire exiſtimatur : & vnoquoque anno nuſquam apparere dicitur, non minus dies triginta, non plus quadraginta : ſed tunc maximè obſcurantur, cum occidit cum ſole. Exoriens autem apparet antè quàm ſol.

## De Saturno.




*Saturni ſtella apud Ciceroneq; de Natu. deorũ Phænen dicitur.*

SOlis ſtella nomine Phaeton, corpore eſt magno, colore autem igneo, ſimilis eius ſtellæ quæ eſt in humero dextro Orionis. Hic per 12. ſigna aſſiduè ferri videtur nonnunquam etiam cum ſolis ipſius ſideribus apparet, modò aliis partibus adiectis circuli. hanc ſtellam nonnulli Saturni eſſe dixerunt. Redire autem ad ſignum annis triginta, & quotannis non apparere, minus dies triginta, nec amplius quadraginta.

## De Marte.

REliquum eſt nobis de Martis ſtella dicere, quæ nomine Pirois appellatur. Hæc autem non magno eſt corpore, ſed figura ſimilis eſt flãmę, nonnunquam autẽ cum ipſius ſolis ſideribus concurrens, omnia peruolat ſigna, ſedens ad primum ſignum non longius biennio. Quod ad quinque ſtellas attinet, huc vſq; ſatis arbi-

# MARS



tramur dictum. nunc autem demõſtrabimus, quibus de cauſis menſes intercalentur. Quoniam tempus omne metimur die & nocte, menſe & anno, ſunt qui diem nobis diffinierunt, quamdiu ſol ab exortu ad occaſum perueniat. Noctis autem ſpacium conſtituerunt eſſe, quamdiu ſol ad occaſum, rurſum ad exortum reuertatur. Mēſem autem, quandiu luna zodiacum circulum perducat. Annum autem voluerunt eſſe, cum ſol ab æſtiuo circulo redit, & zodiacum ad id ſignum vnde incipiebat per metitur.

*Reliqua deſunt.*




# PALÆPHATI GRÆCI SCRIPTORIS DE NON CREDENDIS FABVLOSIS NARrationibus opuſculum, Philippo Phaſiniano Bononienſe interprete.

*PHILIPPVS PHASINIAnus, Lectori.*

PAlæphati huius à nobis de græco in latinum idioma tranſlati, præter Euſebium, autorem prouerbiorum Græcorum, & cæteros, mentionem & à Suida in collectaneis ita fieri obſeruauimus: Παλαίφατος πάριος, ἢ πριηνεὺς γεγονὼς κατὰ Ἀρταξέρξην, ἀπίςων βιβλία ε, τινὲς δὲ ταῦτα εἰς τὸν Ἀθηναῖον ἀναφέρουσι.

hoc eſt, Palæphatus Parius, ſiue Prienenſis tempore Artaxerxis fuit, incredibilium libros quinque ſcripſit. quidã tamen hæc in Athæneum referunt. Celebratur quoque alius quidã nomine Palæphatus Abydenus, hiſtoricus, temporibus Alexandri Magni, qui inter cætera ſolutiones, interpretationéſque fabularum ſcripſiſſe traditur. Item & tertius quidam eiuſdẽ nominis poëta Athenis, Palæphatus fuit, qui de ſitu orbis & de contentione Mineruæ ac Neptuni ſcripſit, vt in monimentis Græcorum habetur: de quibus tamen nihil eſt ad rem præſentem. Huius Palæphati noſtri autoritate atque teſtimonio Vergilium eo carmine ex Cyri ad Meſſalam vſum fuiſſe tradunt, Docta Palæphatia teſtatur voce papyrus. Hunc eundem Probus interpres Maronianus citat, ſuper expoſitione illius Vergiliani carminis ex 3. Georg. Frena Pelethronij Lapithæ, gyróſque dedêre, &c. vbi opinionem Palæphati de centauris, quemadmodum & Seruius & alij quidam, probat. Admonendus eſt tamen lector, vt apud Probum, vbi paſſim legitur Palæphatus in libro Ariſton, ſciat legendum eſſe Apiſton. quando libri eius ita appellantur à Suida, βιβλία ἀπίστων, id eſt libri incredibilium, ſeu incredulorum, vt quidam exponunt: vel περὶ ἀπίστων ἱστοριῶν, id eſt de non credendis hiſtoriis, vel falſis narrationibus.: ita enim omnibus hiſce nominibus ac titulis libri iſti circunferuntur, citantúrque ab eruditis. Hunc autem Palæphatum, vt ex Suidæ verbis colligimus, libros quinque ſcripſiſſe apparet, quemadmodum quidam huius librum primũ vel ſecundum increbilium citant, penes quos fortè omnes iſti libri integri eſſe debent. quorum paucula hæc, quæ ad manus noſtras, iam decem anni ſunt, opera Aldi Manutij peruenerunt, fragmenta quædã verius eſſe, quàm legitimum opus eius conſtat: quæ etiam corrupta mutilataque pluribus in locis ita ſunt, & ea maximè in parte vbi de Hercule agitur, vt vix percipi, eruditorum etiam iudicio, poſſint, niſi pro captu ingenij cuiuſuis, quid paucula illa, & alia quædam ambigua ſibi velint. Quæ omnia calamitati temporum (vt pleraque alia) accepta quidem referimus: quæ omnibus fermè bonis operibus & latinis & græcis ſemper inſidiata eſt. Vt plura

ad nos vel ſine capite ac membris mutilata imperfectáque tranſmiſerit, quorum reparationi ne ipſe quidem Æſculapius, qui mortuos etiam ad vitam reuocabat, ſubuenire atque occurrere poſſet. Ego verò quantū in me fuit, in his transferendis operam dedi, vt culpa carerem, vtque fideliter magis, quàm ornatè interpretarer. Quibus ſi maior tamen diligentia requiretur, non mihi magis quàm temporis iniuriæ vitio detur. Atque adeò (vt quod ſentio ſemel dicam) qui ab aliquo Græcorum hominum hæc Palæphati ſcripta interpollata ſuppreſſaque fuiſſe non vtique etiam credere poſſit?

Etenim cū ipſi de mendacio iampridem malè ſemper audiuerint, eorum vanitates, quod Palæphatus facit, teſtimonio quoque ſuorum detegi, atque redargui non ſine graui moleſtia eos audire poſſe, nec non incredibiliū libros hoſce mirandum in modum deteſtari contenderim. Sed vt ſeriò Græcos quandoque ipſos, cuius linguæ ſtudioſus ſemper fui, ab iis etiam quæ ſibi obiiciuntur, purgatos reddam, ne ve mendacio ei omnia aſcribi patiar, & vt inepti nomine, ſic mendacij vitio carere eos oſtendam. Tale quippiam illos in fabuloſis narrationib⁹ ſuis obſeruare voluiſſe crediderim, quale iuriſperiti illi primi, quod Cicero cùm alibi, tum in libris de Oratore memorat, obſeuarunt, qui obtinendæ atque augendæ potentiæ cauſa, artem ſuam peruulgari nolebant, niſi Gn. Flauius primus eam propalaſſet, qui ob id cornicū oculos confixiſſe dictus eſt: ita res ſuas Græci ſub cortice figmentiſq; fabuloſis occultantes, idiotas homines à myſteriis ſuis arcere ac populſare ſtudebant. Quæ quidem Palæphatus ad Gn. Flauij inſtar (ſuos veluti prodens) diuulgare non dubitauit, fabulas omnes, quæ ſuper veritate ipſa confictæ fuerant, neque fidem capiebant, ad hiſtoriæ ſenſum ac veritatem referens.

Cui tamen (cum Græcus & ipſe ſit) dubium quibuſdam, ſcio, videri poſſe, an fides eadem eius, quæ cæterorum Græcorum ſcriptis adhiberi debeat, quin idem quoque in taxandis aliorum mendaciis vanus ac mendax appareat, neve ex fabulis fabulas confingere, ac mendaciis mendacia adſtruere voluiſſe videatur. Qua in re, ne tale quippiam de ſe crederetur, veritus in præfatione

operis ſui ad omne dubium prorſus tollendum ea ſe duntaxat ſcribere, quæ oculata fide viderit, quæve ab aliis qui ad ea vidēda profecti eſſent, audiuerit, teſtatur. Quæ res magnam credulitatis fidem ei dubio procul arrogat, ſeque à labe illa mendacij planè eximit. Tantúmque abeſt, vt Græcorum more vanus ipſe eſſe, aut aliorum vanitates confouere velit, vt ſuorum etiam mendacia detegere, & in medium allata, ſuſcepta etiam ad hæc videnda, vt Pauſanias. Plinius, & alij factitarunt, peregrinatione, confutare non dubitet. Vtcunque verò res ſeſe habeat, æqui boníque lector conſulas, rogamus.

# PALÆPHATVS DE NON CREDENDIS FABVLOSIS Narrationibus.

## PRÆFATIO.

HÆc quidem de incredibilibus conſcripſi. Hominum nanque alij, & ij maximè qui ab omni ſapientia atque eruditione alieni ſunt, omnibus illis quæ vtique dicantur, perſuaſi, fidem adhibere conſueuerunt. Quidam verò natura prudentiores, curioſíque magis, ac in rebus negociiſq; pluribus verſati, omnia illa quæ tradū-tur, fieri vt penitus credāt, adduci nequeūt. Mihi autē ōnia, quæcūque dicta iā fuerint, fieri quoque vidētur. Neque enim nomē duntaxat fuiſſe exiſtimandū eſt: nullus alioqui ſuper his ſermo exiſteret. Verūtamē ea ipſa primùm opera, réſque fuerunt, ac ſic demū ſermo illis ſuperinductus eſt. Quæcunque autē ſpecies & formæ dictæ fuerunt, factæ quoque eædē tunc tēporis ſunt. Quæ verò nunc minimè extant figuræ, nullo vnquam tem-

*Suid. μέλισσος ᾤετο τὸ μὴ γενόμενον οὐκ ἔχειν ἀρχήν hoc eſt: Meliſſus putabat, nihil quod fieret, non habere principium. Sic etiam Pauſanias.*

pore fuerunt. Nam ſi hæ tunc quidem, & alio quoque tempore erant, nunc etiam exiſterent, ruſuſque forent. Quamobrem ipſe ſanè Meliſſum & Lamiſcum Samium hiſtoriarum ſcriptores laudo, in principio quicquid olim fuerit, & nunc quoque eſſe, atque futurum deinceps aſſeuerantes: quæ autem facta quædam reuera fuerant, poetæ nugatoréſque plerique, in incredibile magis atque admirabilius quodpiam conuerterunt, vt iſta legentes homines in maximam admirationem perducerent. Ego verò talia minimè eſſe poſſe, qualia dicuntur, agnoſco. Hoc vnum tamen comprehendi, quòd niſi aliquid ſuper his factum fuiſſet, non quicquam vtique diceretur. Accedens namque ipſe ad quàm plurima loca, & diuerſas mundi regiones peragrans, ſenioréſque percunctatus, quidnam ſuper vnoquoque eorum quæ dicerentur, audiuiſſent: quæ ab iis potiſſimum intellexi, quæve loca ipſe vidi, & vt vnum quodque illorum ſeſe habere comperi, in medium affero. At hæc quidem non qualia falsò à poëtis dicta olim fuerant, ſed veluti ad ea oculata fide perſpicienda profectus, agnoui: & hiſtoriam componens, in hunc modum perſcripſi.

*De centauris.*

CEntauri tanquam feræ quædam fuerunt, quæ equorum quidem ſpeciem totam, excepto capite, habebant. Si quis eſt igitur, qui talem hanc feram fuiſſe credat, impoſſibilibus hic planè fidem adhibere perſuadetur. Neque enim vllo pacto equi atque viri natura conformis eſt, neque cibi eorũ aliqua inter ſe ſimilitudo exiſtit, néve ratione aliqua potis eſt, quòd per os gutturque humanum equi cibus deſcendat. Atque adeò ſi talis forma tunc temporis erat, etiam nunc vtique exiſteret. Veritas autem rei ita ſe habet. Ixione Theſſaliæ rege exiſtente in Pelio monte, taurorum armentum quoddam furore ita correptum, atque œſtrò exagitatum eſt, vt reliqua circumquaque mõtana loca inacceſſa redderet. In domeſtica etenim cultáque loca cum impetu ingruentes tauri ipſi, arbores & fructus lædebant, aratáque corrumpebant. Præconio igitur publicò nunciari Ixion iuſſit, quòd ſi quis eſſet, qui tauros hoſce ca-

peret, huic ſeſe diuitias perquam plurimas dono datu-rum eſſe. Adoleſcentuli autem nonnulli ex montano loco pagóque quodam qui Nephele, hoc eſt, nubes nuncupatur, equos domare tum primùm aggreſſi, quomodo equites ſeſſoréſque dorſo geſtarent, illos docere excogitant. Prius etenim homines equis vehi neſciebant, verùm curribus duntaxat vtebantur. ſic autem equorũ dorſo impoſiti equites illi, ad ea loca, vbi tauri erant, agentes eos impellebant: & armento ſeſe ſuperinijcientes, tauros feriebant. & quandoquidem ab impetu taurorũ illos inuadentium iuuenes impellebantur, aufugiebant ſtatim: velociores enim erant equi. At quotienſcunque tauri firmato greſſu conſiſtebant, vertentes ſeſe iuuenes eos iterum feriebant, atque hoc pacto eos interfecerunt. Et nomen ipſum Centaurorum exinde Centauri ſortiti ſunt, eo quòd tauros catecẽton, hoc eſt, pungentes feriebant: alioqui nihil tauri Centauris ipſis ineſt, ſed equi atque viri ſpecies illa ex hac re tãtum exiſtit. Cum itaque tali pro re ab Ixione pecunias, donáque Centauri reportauiſſent, próq; hoc facto valde exultarent, contumelioſi inſuper ac ſuperbi opibus ex illis facti, mala paſſim multa iam contra ipſum quoque Ixionem perpetrabant: qui quidem Ixion tunc temporis Lariſſam nuncupatam ciuitatem incolebat. qui verò regionem illam tunc tenebant, Lapithæ vocabantur. Inuitati autem cum ab his Lapithis fortè ad conuiuium Centauri eſſent ebrij facti, eorum mulieres diripuerũt: quas cũ equos inſcendere feciſſent, domum illicò fugientes, quò impetus illos ferebat, ſecum aſportarunt: ſicque bellum aduerſus Lapithas Centauri ob hanc rem gerebant, & nocturno tempore è montibus in planitiem deſcendentes, inſidias illis ſtruebant. Diurno verò tempore cum plura diripuiſſent, in fugam ſeſe cõuertentes, montana loca repetebant. Quibus ita recedentibus, equorum duntaxat caudæ, capitáque hominum à longè apparebant. Alienum itaque ac inuſitatum ſpectaculũ hoc animaduertentes homines, dicere conſueuerunt, Centauri nos quidem inuadentes ex Nephele, hoc eſt, Nube nuncupato loco, mala multa nobis inferunt. Atque ab hac vtique ſermonis forma, incredibilis fabula

*Lapithæ primi equitem docuere ſub armis inſultare ſolo. Plin. etiam in 7.*

*Nephele pagus.*

conficta formataq; fuit, vtpote quòd ex Nephele, loco ita dicto, equus & vir in monte congeniti fuiſſent.

### *De Paſiphae.*

PAſiphaen tauri paſcentis amore captam fuiſſe fabulantur. Nec non Dædalum ligneam vaccam fabrefeciſſe, & in eam Paſiphaen incluſiſſe, ſicq́; taurum, eam inſcendentem mulieri admixtum fuiſſe, quæ puerum ex hoc compreſſu viri quidem corpus & bouis caput habentem conceperit. Ego verò tale quidpiam minimè factum fuiſſe dico. Primùm nāque impoſſibile eſt, quòd vni⁹ generis animal alteri⁹ ac diuerſi generis animantis mutuo amore detineatur. Nec vtiq; poſſibile eſt canē & ſimiā, lupúmq; & hyęnam inter ſe, aut cū ceruo bubulum admiſceri. Diuerſi nanq; generis atq; naturæ animalia exiſtunt. Neque adeo mihi taurus cum vacca lignea ſeſe miſcuiſſe videtur: aut quòd etiā vllo pacto aſcendentem taurum mulier tolerare, vel conceptum cornua habētem in vtero ferre potuerit. Veritas autem fabulæ ſic ergo ſeſe habet. Minoa dicunt cum circa pudenda morbo laboraret, à Cride Pandionis curatū fuiſſe. per illud autem curationis tempus Minoen iuuenis quidam ſatis formoſus Taurus nomine ſequebatur. cuius cū Paſiphae amore capta fuiſſet, illi miſcetur, puerúmq; ex illius complexu genuit. quod videns Minos, ac temp⁹ quidem ſupputans ex quo dolore pudendorū conflictari cœperit, agnoſcénſque, quòd puer hic ex ſe natus eſſe non poſſet, eo quòd per aliquod temp⁹ cum Paſiphae vxore rem non habuiſſet, ex Tauro potius iuuene puerum illum conceptum eſſe cognouit. Neque tamen ob id eum interimere volebat, quia ſui ipſi⁹ filiorum frater quodammodo ob ſimilitudinem aliquā eſſe videretur. In montem tamen quendam eum relegatum mittit, vt in ſeruitij parte atque officio cum paſtoribus eſſet. Ile verò bubulcorum imperio ſeſe ſubiicere minimè volebat. quod cum Minos intellexiſſet, & ea quę ab ipſo fiebant, quæve aduerſus eum dicebātur, ocyus illum comprehendi ac detineri, miſſis eò ciuibus ſuis, iuſſit: & ſiquidem ſponte ſequeretur, ſolutū ad ſe accedere ſinerent, mandauit: ſin minus, ligatū

*Taurus Minois ſcriba, cuius amore capta eſt Paſiphae ſcru.*

perducerent. Quo intellecto adoleſcens ipſe protinꝰ inde abiit, ſeque in montes recepit. Vnde oues diripiẽs, vitam ſic degebat. Verùm cum Minos aliam quoque, & eam quidem maiorem turbam, ad eum comprehendendum miſiſſet, iuuenis ille foſſam ſibi profundam faciẽs, intra eam ſeſe ipſum concluſit, vbi Tauro ſic exiſtente, ſi à Minoe iniuſtus quiſpiam vir aliquando deprehenſus fuiſſet, ad taurum protinus ab eo interimendus, pœnáſque illi daturus, mittebatur. Atque adeò cũ Theſeũ olim Minos hoſtẽ cepiſſet, ad taurũ eum miſit, tanquam manibus eius periturũ. Qua re ab Ariadna cognita, enſẽ in carcerẽ, quo Minotaurũ interfecit, ad eũ præmiſit.

*Intra Labyrinthum Minotaurus*

### *De Actæone.*

ACtæona à propriis deuoratum canibus fuiſſe dicũt: quod quidem totum falſum eſt. Canũ nanque ea propemodum peculiaris natura eſt, dominum in primis ſuum vel maximo amore proſequi, præſertímque venaticorum, qui cunctis hominibus adulantes, cauda blandiuntur. Quidam tamen eius opinionis ſunt, vt Actæonem ipſum dicant, cum à Diana in ceruum transformatus fuiſſet, à venatoribus quibuſdam interfectum fuiſſe. Mihi verò Dianam ipſam, quòd volebat hac in re, efficere non potuiſſe videtur. Nanque verum nullo pacto eſt, ceruum ex homine, rurſúſque ex ceruo hominem factum fuiſſe. Haſce autem fabuloſas fictiones ob id ipſum poëtæ formantes in medium adduxerunt, vt talia audientes cæteri homines, à contumelia ſuperbiáque in diuinum numen vtenda abſtinere debeant. Rei verò huius veritas ita ſeſe habet. Actæon Arcadicus genere vir erat, venationis amator, qui quidem ob id multos canes alebat, & cum eis in montibus venabatur, bonarum rerum atque facultatis ſuæ negligens prorſus. Illo autẽ tempore omnes homines propriis manibus laborabant, operariíque per ſe erant. Neminẽ námq; omnino ſeruum habebãt, ſed illi ipſi terrã agróſque ſuos colebant: & ſic quiſque, qui terrã maximè colebat, ex hoc opere laborioſiſſimus ditiſſimúſque euadebat. Actæoni verò rei domeſticæ curam negligenti, quinimò venationi duntaxat intento, facultas omnis ac vita defecit. cũ autẽ nihil amplius in bonis haberet, in illũ homines

*Canis in dominum amor. Xenoph. & Plin.*

*μὴ ὑβρίζωσιν εἰς τὸ θεῖον, à cõtumelia in deos abſtinendum.*

*Sine ſeruis gens priſca.*

dicebant, Heu miſer Actæon, qui à propriis canibus cõſumptus es: nam & modò nunc lenocinium exercens infeliciter ages, dicere videlicet. putabant fore quoque, vt à meretricibus deuoratus eſſet. Atque ita tale quippiam de Actæone factum eſt.

*De equis Diomedis homines comedentibus.*

DE Diomedis quoque equis quòd homines comederent, dicitur: quod quidem omnino ridiculum eſt. Animal etenim iſtud ordeo fœnóque magis, quàm humanis carnibus delectatur. Veritas autem hæc eſt: Cum antiquiores illi homines primi per ſe operarij eſſent, ac cibum ob id, plurimámque ſubſtantiam poſſiderent, vtpote terrá ipſam manibus ſuis colẽtes, equos paſcere ipſe Diomedes cœperat: & vſq; adeò equis ipſis tãtiſper delectatus eſt, quoad ſua bona perdidit. Omnia namque diuẽdens, in equorum nutrimentum conſumpſit. Qua ex re amici eius equos illos hominiuoras, hoc eſt humana carne veſcentes nuncupabant. Et ſic tali ex facto fabuloſus hic ſermo in medium adductus eſt.

*Bona præſepibus donauit Diomedes.*

*De Orione.*

IOuis, Neptuni atque Mercurij filius Orion fuiſſe dicitur. Nam Hyreus Neptuni & Alciones vnius Atlantis filiarum in Tanagra Bœotiæ habitabat. Hoſpitaliſſimus autem cum eſſet, deos aliquando hoſpitio ſuſceperat. Iupiter autem, Neptunus atque Mercurius cum fortè hoſpitio ſuſcepti ab eo fuiſſent, ac benignitatem illius admiſiſſent: eum, vt quicquid vellet peteret, exhortati ſunt. Hic verò cùm ſine filiis eſſet, puerum ſibi dari petiit. Quocirca dij tres illi cum bouis pellem ab eo in eorum honorem ſacrificari accepiſſent, in eam vrinam veluti ſemen infundentes minxerunt, & ſub terram illam occultari, ac mox poſt menſes decem ſuſcipi iuſſerunt. Quibus decem menſibus decurſis, natus eſt Vrion, ſic primùm quidem denominatus, eò quia dij tali pacto vrinam intra corium illud infuderant. poſtea verò propter bonum hominis ſonum Orion dictus eſt. Cum autem hic ſimul cum Diana venaretur, eam violare velle aggreſſus eſt. quæ illi ob hoc indignata, ſcorpionem è terra in illum emiſit: qui cum eum circa calcaneum pedis percuſſiſſet, interfecit. huius verò ſic mortui miſera-

*Iupiter hoſpitibus fauens.*

*Vrion.*

*Orion.*

tug

tus iupiter, inter ſidera ipſum collocauit.

*De ſeminatis Gigantibus.*

DIcitur etiam, quòd Cadmus, vt memorant, cum in Lerna draconem interfeciſſet, & dentes eius collegiſſet, eos in propria terra ſeminauit. ex quibus poſtea nati ſunt viri armati. Quod ſi verum fuiſſet, nullus hominum noſtri temporis aliud quidpiam vnquam præterquam dentes draconis ſeminarit. huius tamen rei veritas ita ſeſe habet. Cadmus genere Phœnicius erat, is Thebas aduerſus fratrem Phœnicium bellum de regno geſturus, profectus eſt. Cum plura verò alia bona hic, vt qui rex erat, haberet, dentes inter cætera elephantis eburneos habebat. Thebanorum autem rex Dracon Martis filius erat, quem cum Cadmus interfeciſſet, eius regnum occupauit. Amici itaque Draconis bellum aduerſus Cadmum gerebant, contra quem & Draconis quoque filij inſurrexerunt: qui quidem omnes tam amici quàm filij poſteaquam viribus inferiores facti, ſuperatíque ab eo fuerunt, Cadmi bona atque diuitias diripientes, præſertímque dentes ipſos eburneos, quò impetus illos ferebat, aufugiebant. Alij namque aliò diſperſi diſſeminatíque ſpargebantur, quidam in Atticam, nonnulli in Peloponneſum, plerique in Phocida, alij verò in Locrida peruenerunt: à quibus quidem mox locis venientes, Thebanis bellum inferebant. Difficiléſque ac moleſti admodum bellatores erant. Poſteaquam igitur eburneos dentes, quos Cadmus habebat, diripientes aufugere, Thebani dicebant, quòd talia támque horrenda mala hæc ſibi ipſis Cadmus draconem necando, intulerat. Ex cuius quidem dentibus multi ſtrenui, fortéſque viri, hac & illac diſſeminati ſparſique, hoc eſt ſatis, illis ipſis bellum inferebant. quo quidem ex euento fabula hæc conficta eſt.

*Bona plurima penes reges.*

*Nota, quòd Spartos quidam gentē fuiſſe ſic dictam crediderunt, licet apud nos Satos ſignificet. Simile quiddam Apollonius de Iæſone refert.*

*De Sphinge.*

DE Cadmea Sphinge dicunt, quod fera quidem hæc fuit, quæ corpus canis habens, caput & faciem puellæ, alas verò auium, atque hominis vocem haberet. In Sphincio autem monte ſedens hæc, ænigma quoddam vnicuique ex ciuibus proponebat. Et quęcunque (illud ſoluere neſciētem) interimebat. Quod cū ſoluere Oedi-

*Sphincius mons.*

pus propoſitum ænigma ſciuiſſet, ſeſe ipſam (vt quæ grauato animo id ferebat) ex monte deiiciens, interfecit. Sermo autem hic incredibilis, ac res ipſa impoſſibilis eſt. Neque enim talis ſpecies, formáque fieri vllo pacto poteſt. Atque adeò illud ſanè perquàm puerile admodum eſt, ænigma non ſoluentes homines, ab ea tam facilè interemptos iri ſolitos, vel eam à Thebanis feram ob id ſagittis confoſſam non fuiſſe. ſtultúmque credere prorſus eſt, ciues ſuos, veluti hoſtes eſſent, ita à Thebanis contemptos fuiſſe, vt à fera illa deuorari permitterentur. Habet igitur ſeſe hoc pacto veritas. Cadmus cum mulierem Amazonida, cui Sphinx erat nomen, ſecum haberet, Thebas peruenit. Cúmque Draconem interfeciſſet, huius ipſius regnum occupauit. Poſthæc & Draconis ſororem, cui Harmonia erat nomen, cepit. Intelligens autem Sphinx quòd Cadmus aliam duxiſſet vxorem, ac ſibi perſuadens multos ciues ſe abeuntem ſecuturos eſſe, quamplurimas diuitias rapiens, ſecúmque celerem canem ducens, quem Cadmus habebat, cum his omnibus in Sphincium montem nuncupatum peruenit: & exinde Cadmo bellum inferebat. incurſiones autem inſidiando, cum per vnumquenque ex illis montibus faceret, ſingulis horis plures homines interimebat. Vocant autem Thebani incurſiones ipſas ænigmata. Diuulgabant hoc autem paſſim ciues in hunc modum, dicentes, Argiua Sphinx nos, ænigma quoddam proponens, diripit. Quónam autem modo ænigma faciat, inuenire nemo noſtrum poteſt. Publico itaque edicto nunciari Cadmus iuſſit, Sphingem interficienti cuicunque, diuitiarum perquàm plurium præmium eſſe propoſitum. Ad quam cum Oedipus Corinthius acceſſiſſet, vir equidem bellicis in rebus clarus, ac ſtrenuus, cũ equo veloci quem ſecum habebat, vnà cum Thebanis quibuſdam, quos in ſocietatẽ ſibi aſſumpſerat, nocturno tempore, cum his montem verſus accedẽs, Sphingem ipſam de medio ſuſtulit. Pro quibus euentibus fabula hæc in medium adducta fuit.

*Sphinx Cadmi vxor. Harmonia, non Hermione, Cadmi coniũx. Mar. in 7. cap.*

*Ænigmata pro inſidiis atque incurſionibus.*

*Oedipus Corinthius.*

*De vulpe.*

DE Telmeſia vulpe dicunt, quòd Thebanos hæc rapiens, deuorabat. Quod quidem omnino ſimplex

ac fatuum eſt. Neque enim quodpiam aliud animal eſt, quod terreſtre exiſtens, hominem rapere atque aſportare valeat. Vulpes inſuper paruum animal ac debile eſt. Fuit autem quippiam tale. Thebanus vir quidam bonus, ac pulcher ſatis admodum fuit, qui Alopix nomine, hoc eſt vulpes nominabatur. Hunc autem cum aſtutiſſimus eſſet, & omneis homines prudentia ſuperaret, Thebanorum rex veritus ne ſibi inſidias aliquando strueret, è ciuitate expulit. Qui cum validiſſimum ſibi exercitum comparaſſet, alióſque ſecum mercenarios milites adduxiſſet, Telmeſium nuncupatum collem occupauit. vnde deſiliens, Thebanos prædabatur. Dicebant itaque Thebani homines, Alopix, hoc eſt vulpes dictus, circumquaque decurrens nos ſubiugat. Ad hunc autem locum vir quidam Cephalus nomine, genere Athenienſis, qui magnum exercitum habebat, cum peruenisset, Thebanis auxilium ferens, Alopeca hunc, hoc eſt vulpem nominatum interfecit, atque eo ex loco exercitum eius omnem depulit.

*Alopix.*

*Aliena virtus tyrannis formidoloſa.*

*Cephalus.*

*De hac vulpe Aratus & Hyginus vbi de Syrio agunt.*

*De Niobe.*

NIoben dum viueret, ſuper filiorum ſuorum ſepulchrum lapidem factam eſſe memorant. Quicunque autem ex lapide hominem, rurſúſque ex homine lapidem fieri poſſe credit, ſtultus hic quidem planè eſt. Verum autem hoc habet. Niobe mortuis ſui ipſius liberis, cum lapideam imaginem ſibi conſtituiſſet, eam ſupra natorum ſuorum ſepulchrum poſuit. Nóſque ipſi hanc vtique, qualis reuera eſſet, inſpeximus.

*Statua Niobes in Siphylo cur.*

*De Lynceo.*

LYnceum dicunt, quòd ea etiam quæ ſub terra erant, proſpiciebat: quod quidẽ falſum prorſus eſt. Nam veritas ita ſeſe habet. Lynceus æs, argentum, cæteráque metalla primus inquirere cœpit. In qua quidem metallorum inquiſitione, lucernas ſecum intra terræ penetralia circunferens, ibidem eas fortè relinquebat, ac surſum ipſe æs, ferrúmque reportabat. Quod factum videntes homines, dicere conſueuerant, quòd Lynceus ſubterranea etiam proſpiciebat, ob idque argentum inde ſurſum afferebat.

*Metalla æris & argẽti à Lynceo inuenta aliter Plin.*

*Lynceus trãſparietes videbat. Diuus Hier.*

*De Cæneo.*

CÆnea inuulnerabilem omnino fuiſſe aiunt. Quicunque autem hoc ad credendum ſuſcipit, quod homo quiſpiam ferro inuulnerabilis exiſtat, amens hic reputandus eſt. Veritas itaque ſic ſe habet. Cæneus genere Theſſalus vir erat bellicis in rebus ſtrenuus ac potens, pugnandíque ſcientia præditus. qui cum multis in bellis olim fuiſſet, nullo tamen vnquam tempore vulneratus fuerat. Atque adeò cùm Lapithis ſimul quandoque pugnans, à Centauris interfici nullo modo potuit: ſed ab illis ſolùm comprehenſus cum fuiſſet, multitudine illorum obrutus eſt: ſicque conſumptus fuit. Eius itaque defuncti Lapithæ cadauer ſuſcipientes, nulliſque confoſſum vulneribus corpus inuenientes, dicere conſueuerant: Cæneus cum aliàs toto ſuæ vitæ tempore inuulnerabilis fuerit, itidem ſine vllis nunc quoque vulneribus mortuus eſt.

*De Cygno.*

*Cygnus ferro inuulnerabilis, Ouid.*

IDem quoque ſermo de Cygno Colonienſi circumfertur. Illum nanque dicunt inuulnerabilem pariter fuiſſe, eò quòd cum pugnator quoque is, ſcientiæque bellicæ peritiſſimus eſſet, ac Troiano in bello ab Achille lapide percuſſus fuiſſet, minimè vulneratus eſt. Eius cũ itaque defuncti cadauer homines intuerentur, quòd inuulnerabilis quoque hic eſſet, diuulgabant: atque ita nomine quoque ipſo inuulnerabilis nuncupatus eſt. Aſſentitur hac in re mihi, meúmque ſermonem hunc affirmat & conteſtatur Aiax Telamonius. Namque & is quoque inuulnerabilis dictus eſt, qui vel ſe ipſum enſe proprio peremit.

*De Dædalo & Icaro.*

DÆdalum vnà cum Icaro filio, quandam ob cauſſam in carcerem à Minoe incluſum fuiſſe aiunt. qui quidem Dædalus cum ficticias ſibi pennas fabrefaciendo aptaſſet, vnà cum Icaro illinc exiluiſſe fertur. Scientiam verò hunc volantes homines faciendi abſque vlla machina, & artificio, pennáſque præſertim ficticias habentes, calluiſſe, impoſſibile eſt. Tale igitur hoc erat quod ab eis dictum eſt. Dædalus cum in carcere eſſet, ac ſeſe ipſum per feneſtram quandam demi-

-ſiſſet, ſcaphã mare ſulcaturus inſcendit. quod ſimulatq; Minos intellexit, quæ illum abeuntem nauigia inſequerentur, mittit. Id autem Dędalus atque Icarus agnoſcentes, perſecutoréſque à tergo inſtare animaduertentes, vento terribili ac vehementi cum impetu flante vſi, aduolantes, hoc eſt nauigantes circum pelagus vertebãtur. Atque is ipſe Dædalus in terram cum perueniſſet, incolumis ſeruatus eſt. Icarus verò in mari periit, à cuius quidem nomine Icarium mare denominatum eſt. quum poſtea ab vndis in terram eiectus Icarus fuiſſet, à patre Dædalo ſepulturæ demandatus fuit.

*De Atalanta & Milanione.*

DE Atalanta & Milanione hoc etiam referunt, quòd illa quidem in leænam commutata fuit, hic verò leo factus eſt. Veritas tamen rei huius talis eſt. Atalanta & Milanion cum ſimul in venatione eſſent, Atalantæ puellæ, vt ſecum in coitu miſceatur, Milanion perſuadet: atque ob id in ſpeluncam coiturus, eam perducit, ſimúlque conueniunt. Sed in eo fortè antro leonis atque leænæ cubile erat: qui cum illorũ voces audiſſent, egreſſi cum impetu, Atalantem atque Milanionem dilaniarũt. Non multo autem tempore pòſt leone ac leæna ipſa exinde egredientibus, qui ſocij in venatione Milanionis erant, in huiuſmodi animalia Atalantam atque Milaniona transformatos fuiſſe exiſtimabant. Reuerſique in ciuitatem ipſi talia paſſim de Atalanta & Milanione, quòd in leones mutati fuiſſent, diuulgabant.

*Μιλανίων, q. i. Mimaliõ ab imperitis dicitur.*

*De Calliſtone.*

ET de Calliſtone talis quoque ſermo exiſtit, quòd venatrix cum hæc eſſet, vrſa facta eſt. Ego verò dico etiam hanc ipſam montes inhabitantem, vbi vrſa quædam fortè inerat, ab ea in venatione conſumptam fuiſſe. Quicunque igitur in venatione cum ea erant, non illam amplius ex vrſæ cubili egredientẽ, ſed ſolã vrſam vidẽtes, quòd Calliſto puella vrſa facta eſſet, dictitabãt.

*De Europa.*

EVropam Phœnicis filiam, cum à tauro vecta fuiſſet, ex Tyro in Cretam mari perueniſſe cenſent. Mihi verò longè ſecius fuiſſe videtur, eò quòd neque taurus, aut equus tam profundum pelagus transfretare

potuiſſe videatur: neque vtique puellam Europam ſupra taurum tam ferum animal aſcendere voluiſſe. Atq; adeò ſi Iupiter Europam in Cretam accedere in animo habuiſſet, meliorem ſanè viam, quàm hæc erat, inuenire potuiſſet. Veritas rei hoc habet. Cretenſis vir quidam, cui Taurus nomen erat, bellum in Tyrrhena regione gerebat. hic cum plures alias in eo loco puellas rapuiſſet, Europam præcipuè regis filiam, poſtremò captiuam abduxit. Qua ex re dicere homines ſolebant, Europam regis filiam Taurus aſportauit: ob ídque fabula hæc conficta fuit.

*De Durateo equo: & Troia.*

ACHiuos ligneo in equo Ilium expugnauiſſe tradūt. qui quidem ſermo vanus vtique ac fabuloſus omnī ex parte eſt. Veritáſque ipſa hoc habet. Equum ligneum ita fabricarunt Græci, vt magnitudine ſua portas vrbis ſupereminceret, ne portis recipi, aut intra mœnia duci vllo pacto poſſet. Ductores verò iuxta ciuitatē ipſam concauo in loco quodam ſedebant, qui in hunc vſque diem Argiuorum inſidiæ vocatur. Transfuga autem Sinon cum ad Ilium perueniſſet,Ilienſibus ipſis perſuadet, vt equum illum intra ciuitatem ſuam ducere omnino debeant: hoc ipſum addens quoque, fore ſcilicet, vt nullo pacto deinceps Græci aduerſum eos accedere poſſent. Cui audientes Troiani cum fuiſſent, & portas quoque vrbis depoſuiſſent, equum ipſum introducētes admittunt. Prandētibúſq; mox ipſis cum ſecuritate, ac nihil talē verētibus Troianis, impetu facto, eos adorti ſunt Græci. Ac tali quidē pacto Troia capta eſt.

*Durateus equus apud Lucre. αὐτόμολος Sinon. Sinō in bello Troiano ſpecularem ſignificationē inuenit.*

*De Æolo.*

AEolum ventorum regem fuiſſe aiunt, qui Vlyſſi vētos in vtre concluſos dedit. Quam quidem rem fieri impoſſibile eſſe, omnibus manifeſtum exiſtimo. Veriſimilius vtique fuiſſet, id quod erat dixiſſe, Æolū ſcilicet aſtrologum fuiſſe, qui Vlyſſi tempora, quibus exortus flantium quorundam ventorum fierent, prædixerit. Mœnia inſuper hic ciuitatis ſuæ ex ære circundata habuiſſe traditur. quod etiam falſum omnino eſt. Armatos namque viros, vt reor, potius ille habebat, qui ciuitatem in eius præſidio cuſtodiebant.

*Hom. Odyſ. libro 10. Aeclus Hellenis filius ventorum rationem inuenit pro Plin. & Polybio.*

### *De Heſperidibus.*

HEſperidas mulieres quaſdam fuiſſe tradunt, quibus mala aurea ſuper malo arbore, quæ draco cuſtodiebat, fuerant. Ad quæ quidem poma aurea Hercules expeditionem fecerit. Veritas tamen rei huiuſmodi eſt. Heſperus vir quidem Mileſius erat, qui in Caria habitabat, duáſque filias habebat, quæ Heſperides nominabantur. Illíq; ipſi oues pulchræ atque fœcundæ erãt, quales & nunc in Mileto quoque ſunt. quæ quidem ob id aureæ iam oues nuncupabantur, quoniam pulcherrimum omnium rerum aurum eſt, & illæ quoque pulcherrimæ erant. μῆλα etenim vt poma, ſic oues quoque apud Græcos vocantur. quæ quidẽ μῆλα, hoc eſt oues, cũ circa maris litus paſcentia Hercules vidiſſet, ea abigendo comprehendens, naui ſuæ impoſuit, ſimúlque earum paſtorem nomine Draconem ſecum domum perduxit. & hoc non amplius Heſpero iam ipſo viuente, ſed eius duntaxat ſuperſtitibus filiabus. Dicebãt itaq; homines, Aurea equidẽ mala vidimus, quę ab Heſperidibus Hercules, Draconem quoque cuſtodem interficiens, abduxit: ſicque exinde fabuloſus ſermo confictus formatúſque fuit.

*Mileſia vel lera κάλλιστον γὰρ ὁ χρυσός.*

*Mila oues & poma apud Varronẽ & Seruium. Draco paſtor ab aſperitate morũdictus.*

### *De Cotto & Briareo.*

DE Cotto & Briareo dicunt, quòd cum viri eſſent, centum tamen manus illi habebant. Quod quidem velle dicere, quomodo non ſtultum prorſus eſt? Verum hoc autem in ſe habet. Ciuitati, in qua illi habitabant, Hecatontachiria, hoc eſt centimanus, nomẽ eſt. Erat autem ciuitas illa, quæ nunc Oreſtiades vocatur. Dicebant itaque homines, Cottus, Briareus & Gyges Hecatontachirei, hoc eſt centimani, auxilium diis afferentes aduerſus Titanas, ab Olympo eos expulerunt.

### *De Scylla.*

DE Scylla etiam tradunt, quòd in Tyrrhena regione fera quædam fuit, quæ mulier quidem vſque ad vmbilicum eſſet, canũ verò capita exinde ei nata ſint, ac reliquum corporis ſerpentis haberet. talem autem naturam credere, valde ſtultum eſt. Veritas nanque huiuſmodi eſt. Tyrrhenorum inſulæ erant, quæ cuncta circũ vicina Siciliȩ Ioniíſq; ſinus loca, atq; regiones depręda-

*Hecatontachiria ciuitas, Oreſtiades. Stephanus de vrbibus.*

*Scylla triremis.*

bantur. Tunc tẽporis autem nauis erat triremis velox, cui Scylla erat nomen: quæ quidem ipſa triremis cætera nauigia comprehendens, cibum ſæpius aſſequebatur, ſermòque ob id multus de ea erat. Hanc autem nauem, Vlyſſes vehementi & cum impetu flante vento, vſus effugit. Quod mox in Corcyra Alcinoo narrauit, quonam ſcilicet pacto euaſerat, & quomodo nauem illam effugerat, nauiſque præterea eius formam deſcripſit. à quibus quidem rebus fabula conficta fuit.

*Apud Homerum Odyſſea xij.*

### *De Dædalo.*

ILlud etiam de Dædalo narrant, quòd ſtatuas per ſe ambulantes fabrefaciebat. Ire verò ſponte ſtatuam, impoſſibile mihi ſanè videtur. verum autem hoc habet. Quicunque tunc temporis ſtatuas virorum ſtatuarij faciebant, imaginéſque exornabant, iunctos adnexóſque corpori pedes quibus innitterentur, habentes, viriles ſtatuas faciebant. Dædalus verò ipſe vno pede tantum elato, ſeſe vertentes ſtatuas formabat. Quamobrem id videntes homines, ſtatuas à Dædalo factas ambulare dicebant, ac non vt cæteras conſiſtere. Quemadmodum nunc quidem etiam dicimus, quòd picti ſunt homines pugnantes, & vertentes ſeſe equi, ac naues in vndis ſeſe ſubmergentes.

*ἀνδριαντοποιοί. ἀγαλματοποιοί. De ſtatuis his à Dædalo in Græcia confictis ſuſ.*

### *De Phineo.*

NArrationibus quoque fabuloſis de Phineo dicunt, quòd Harpyiæ ſubſtantiam eius aſportabant. exiſtimant verò quidam, feras volatiles has fuiſſe, quæ cibaria ex Phinei menſa diriperent. Veritas tamen ſic habet. Phineus Pæoniæ rex erat: qui cum ad ſenectutem perueniſſet, videndi vſum prorſus amiſit, ſimúlque liberi eius mares mortui ſunt. filiæ verò illi, Pyria & Eraſia dictæ erant quę paternam ſubſtantiam omnem deſtruebant, adeò vt Phineum miſerum poëtę dicere cœperint, cuius bona Harpyiæ ita dilapidarent. Huius verò Phinei miſericordia moti vicini eius Zethus & Calais, qui Boreæ viri non ignobilis filij erant, auxiliúmque illi afferentes, filias eius è ciuitate expulerunt: ac diuitias bonáque illius diſperſa in vnum congregantes, Thracenſem quendam illorum cuſtodiæ præfecerunt.

*Phineus Pæoniæ rex.*

*Pyria & Eraſia.*

*Zethus & Calais.*

### De Metra.

DE Metra Eriſichthonis filia aiunt, quod quotienſcunque pater ſuus vtique voluiſſet, formā mutare cōſueuerat. quod quidem credere, ridiculum prorſus eſt. Quomodo enim quæſo veriſimile ſit, ex puella bouem, rurſúſque canem vel auem fieri poſſe? Verum autem ſic habet. Eriſichthon vir Theſſalus erat, qui conſumptis facultatibus ſuis, pauper effectus eſt. huic verò filia pulchra & honeſta, rareque formæ erat, quæ Metra nominabatur, hanc quicunque vidiſſet, eius amore protinus detinebatur. argento autem illius temporis homines procique in ſollicitandis mulieribus minimè vtebantur: ſed dabant alij quidē equos, nonnulli boues, quidam oues, vel quodcunque ipſa tanquam ſibi magis gratum, voluiſſet. quocirca Theſſali hoc videntes, paſſim dicere conſueuerant, congregatum ſcilicet Eriſichthoni victū opera ac beneficio Metræ eius filiæ fuiſſe, quæ patri equos, boues, aliáque perquàm plurima ſuppeditabat. quibus ex rebus fabula conficta fuit.

*Hoc etiā Iſacius Lycophronis interpres.*

*Eriſichthon cur fame cōfectus apud Calim. in hymnu.*

*Metra.*

*Argentum in vſu non erat antiquitus.*

### De Geryone.

GEryonem tria capita habuiſſe dicunt. quod totum planè impoſſibile eſt, corpus aliquod eſſe quod tria habeat capita: ſed tale quid omnino fuit. Ciuitas in Euxino ponto eſt, Tricarinia, hoc eſt tricipitia nuncupata. Erat autem tempeſtate illa Geryon inter alios homines nomine famigeratus, vt qui diuitiis, multíſque aliis rebus maximè excellebat, boum inter cætera armētum perquam admirabile habebat: ad quod cum Hercules, vt boues abigeret, acceſſiſſet, ſeſe illi opponentem Geryonem de medio ſuſtulit: ſicque boues abduxit, quæ omnibus eas, dum circumagerentur, inſpicientibus, magnam admirationem incutiebant: mediocris nanque illis magnitudo quædam inerat: à capite quoque ad ilia vſque paruæ ſimæque erant, cornua prorſus non habebant, oſſa verò & longa & lata quidem apparebant. Percunctantibus itaque hominibus, cuiuſnam boues illę eſſent, eas Herculem Geryonis Tricarinij, hoc eſt tricipitis exiſtentes, abegiſſe nonnulli aſſeuerabant. ex quibus dictis Geryonem ipſum tria capita dubio procul habuiſſe quidam exiſtimabant.

*Tricarinia ciuitas.*

*De Geryone Iuſtinus: tres fratres concordes fuerunt.*

*Forma tricorporis umbræ, de Geryone apud Poetam cur.*

*De Glauco Siſyphi.*

GLaucum quoque ab equis conſumptum fuiſſe tradunt, ignorantes ſcilicet equorum nutritorem hunc etiam fuiſſe, qui domeſtica bona nulla in re curabat, quinimò ſumptus perquàm maximos cũ quotidie magis ac magis faceret, conſumptus eſt: ſicque victus omnis, ac facultas poſtremò illi defuit.

*De altero Minois Glauco.*

ET hæc ipſa quoque fabuloſa narratio tota ridicula eſt, quòd Glaucum, cum is mel bibens periiſſet. Minos pater intra ſepulchrum, & vnà cum eo Polyidum domini medicum viuentem adhuc, demerſit. Qui quidem medicus, cum draconem quendam mortuo draconi cuipiam herbam porrigentem, animaduertiſſet, qua illũ ad vitam reuocabat. itidem ipſe, eadẽ herba, in Glaucum facere orſus, eũ ad vitam reſurgere fecit. quod quidem nullo pacto fieri poteſt, impoſſibiléque omnino videtur. Quod verò factum fuit, tale quippiam eſt. Glaucus cum mel biberet, valde perturbatus eſt, plurimáque illi cholera vſque adeò mota eſt, vt animus illi prorſus defecerit. Ad hunc ita malè ſe habentem, quamplurimi alij medici, diuitias ſeſe conſequi poſſe ſperantes, venerunt, Polyidúſque præſertim, qui cum in memoria herbæ cuiuſdam naturam haberet, quam à medico quodam qui nomine Draco dicebatur, perceperat, hac eadẽ vſus Glaucum protinus ſaluti priſtinæ reſtituit. Dicebant itaque quidam hoc animaduertentes, Glaucum ex potu mellis mortuum, Polyidi curatione ad vitam reuocatum fuiſſe.

*Nota quòd Polyidos herba, quã draconẽ vocãt, hunc reſtituit, ſecundum Tarrhæum in prouerb.*

*De Glauco marino.*

CAnitur inſuper, quòd & hic Glaucus, cum herbam olim quampiam comediſſet, immortalis eſt factus, & nunc quoque in mari habitat. hoc autem credere, herbam hanc Glauco duntaxat, neque alteri cuipiam vt aſſequeretur, contigiſſe, hominémque in mari, vel aliud quodpiam terreſtre animal viuere, puerile admodum eſt. Hoc habet nanque in ſe veritas. Glaucus piſcator vir erat, genere quidem Anthedonius, vrinatórque præ cæteris eximius, qui vel cunctos ſui temporis natatores in vndis exuperabat. Cõtigit autem, quòd, cũ

*De exitu Glauci interpres Apollonij & Tarrhæus in pro.*

hic prope portum ante omnium conſpectum, qui in ciuitate erant, nataret, ab omnibúſque videretur, in locũ quendam ei natare contigit, vt mox per aliquot dies viſus ab amicis non fuerit, natánſque mox ab eis iterum viſus eſt. Quærentibus ergo domeſticis eius, vbi nam locorum per ea tempora, quibus viſus non fuerat, habitaſſet, in mari ſeſe fuiſſe, falsò reſpondebat. Piſces præterea vnum in locum plures concludens & occultans aducctabat, vt hyemali tempore, quando reliqui piſcatores nullos capere piſces poterant, ſolus ipſe haberet. Ciuibus ob id quoſcunque piſces exoptaſſent, ſeſe protinus allaturum eſſe pollicebatur: ſicque & quos vtique voluiſſent, eis ſtatim afferebat. Glaucus ob id marinus vocitabatur. Qui mox cum in marinam feram incidiſſet, ab ea conſumptus eſt. Quo è mari nuſquam redeunte, Glaucum in mari viuere, atque ibi conſidere, fabulati ſunt. *Glaucus in mari Prouer. de iis, qui mortui viuere creduntur.*

*De Bellerophonte.*

BEllerophontem ab equo Pegaſo, qui pennatus erat, geſtari ſolitum fuiſſe tradunt. Mihi verò abſurdum prorſus videtur, equum volitare poſſe, etiam ſi omnium auium pennas ſibi adiunxiſſet. Atque adeò ſi quandoque tale animal fuit, nunc etiam vtique exiſteret. Illum etiam Bellerophontem aiunt Amiſodari chimæram interfeciſſe: quæ quidem bellua erat, vt dicitur, prima leo, poſtrema draco, media ipſa chimæra. Quidam verò exiſtimant, hanc feram fuiſſe tria capita habentem: quod impoſſibile eſt leonem ſcilicet ſimilibus cum aliis animantibus cibis atque domeſticis vti. Quòd verò mortalem naturam habuiſſe, ignémque eam ipſam ſpiraſſe dicitur, puerile eſt. Cui nam enim quæſo potiſſimum ex illis tribus capitibus in reliquum corpus poteſtatem fuiſſe dicendum eſt? Verum ergo ita habet. Bellerophontes Phrygius vir erat, genere quidem Corinthius, bonus pulchérque ſatis. Hic cum nauigium ſibi præparaſſet, maritima circunquaque loca deprædabatur. nomen autem nauis Pegaſus erat, vt nunc quoque ſuum cuilibet nauigio nomen eſt inditum. Nomen autem id Pegaſi nauigio magis, quàm equo aptum fuiſſe videtur. Ea verò tempeſtate Amiſodarus

*Amiſodari Chimara, Hom. carmẽ Iliad. n.*

*Bellerophontes.*

*Pegaſus nauis nomen.*

*Nomina quoque ſua nauib. ſunt. Amiſordarus rex. Telmiſſus mons. Chimara mons.*

rex ad Xanthum flumen habitabat, ſub quo altus mons Telmiſſus nomine erat, ad quem duo aſcenſus per planitiem, paſcuáque ab anteriori ciuitatis Xanthiorum parte erant. Tertius retrò à Caria, reliqua verò loca inculta inacceſſaque prorſus iacebant. horúmque in medio hiatus terræ ſatis magnus erat, vnde vel ignis vtique ſuperaſcendebat: his autem mons alius Chimæra dictus adiacebat. Illo verò tempore, quemadmodum eius regionis incolæ narrant, ante planitiem illam habitatam leo quidam erat, retrò verò draco vnus, qui paſtores ambo circumquaque lædebant. Ad quæ loca Bellerophontes accedens, montem expugnauit, & Telmiſſus ab eo ſimul concrematus eſt, feræque illæ ſic perierunt. Dicebant itaque eius loci habitatores, Bellerophontem illuc cum Pegaſo appulſum, Amiſodari chimæram perdidiſſe. quo ex facto fabula conficta eſt.

*De Pelope, & equis eius.*

PElopem cum alatis equis Piſam, vt Hippodamiam Oenomai filiam deſponſaret, veniſſe dicunt. Ego verò eadem fermè de Pelope dico, qualia & de Pegaſo quoque dixi. Si enim Oenomaus Pelopis alatos equos vidiſſet, non vtique illi filiam ſuam in vxorem, quæ talem currum aſcenderet, præbere voluiſſet. Dicendum itaque potius fuit, quòd Pelops nauem impellens, quæ equis quibuſdam alatis inſculpta erat, ad Hippodamiam puellam rapiendam acceſſit: qua rapta fugiens vehebatur. Taliſque ſuper hac re fabula formata fuit.

*Naues inſculpta, pictaue.*

*De Phrixo & Helle.*

NArrant inſuper, Phrixo ab ariete prædictum fuiſſe, quòd pater Athamas eum mactare in animo habebat. quo audito, ſorore ſua Helle ſecum aduocata, arietem ipſum cum ea inſcendit: maréque ambo ſulcantes, in Euxinum pontum peruenerunt. quod quidem, vt credi poſſit, perquàm difficile eſt, quòd aries velut nauigium quodpiam eſſet, mare pernatare tanto præſertim duorum hominum pondere onuſtus, potuerit. Et vbi nam quæſo alimenta cibi, potúſque arietis, atque illorum in mari eſſe poterant? Abſit enim, quòd eos vllo pacto impaſtos & abſque cibo potúque tanto tempore manere potuiſſe dicamus. Illud poſt hæc abſurdum

eſt, quod de Phrixo quoque dicitur, quòd ſalutis ſuæ autorem,ſeruatorémque arietem cum mactauiſſet, pellem ei detraxit,quam Æetæ muneris loco, vt filiam eius in vxorem haberet,dedit. Hic verò Æetes,Colchorum rex erat. Vide autem quomodo tunc temporis pelles huiuſmodi arietinæ raræ apparebant, quæ regem quoque ad filiam propriam illi pro hoc dono,veluti eius dote in matrimonium dandam, impulerit. Licet eam vſque adeò magnifaceret, vt nullius mariti connubio dignam hactenus exiſtimaſſet. Iam verò quidam vt riſum (quem pellis hæc mouere poſſet)effugiant: auream hanc pellem fuiſſe adiungunt. quæ ſi aurea quidem fuiſſet, tanto minus à rege capi, vt quam Phrixus ei peregrinus vir dabat, oportere videbatur. Dicitur quoque ad hoc vellus aureum Iaſonem vnà cum Græciæ proceribus nauem Argo nuncupatam impuliſſe. Verùm enimuerò neque Phrixus mihi tam ingratus erga arietem benefactorem ſuum fuiſſe videtur, vt eum perdere velle ſuſtinuerit: neque etiam ſi ſplendidiſſimũ,ſmaragdíſque plenum vellus hoc fuiſſet, vel propter hoc ſolum nauem Argo illuc Iaſonem nauigando impuliſſe credendum eſt. Veritas itaque ſic ſeſe habet. Athamas Græcorum exercitus in Phrygia præfectus erat. huic autem diuitiarum ſuarum procurator, ac veluti cuſtos erat vir quidã nomine Aries, quem præ cæteris fidelem ſibi maximè exiſtimabat. Is cum fortè Athamantem de nece Phrixo paranda cogitare intellexiſſet, Phrixo id protinus ſignificat. qui quidem hoc audito, nauem actutum præparauit & in ea diuitias perplures impoſuit: ſimúlque Pelopis matrem in eadem naui ſibi adiũgit,quæ Eos,hoc eſt, Aurora dicebatur. hæc quoque ſuis ex opibus atque diuitiis imaginem auream cum ſibi feciſſet, eam naui impoſuit. Quo facto,ſimul cum his bonis Phrixus, Helle & Aries, nauigantes abiere. Contigit autem, quòd in nauigatione illa Helle puella præ imbecillitate nimia deficiens, mortua eſt: à cuius nomine mare illud Helleſponti nomen hoc ſortitum eſt. Illi verò cum ad Pharon perueniſſent, ſedes ibi poſuerunt, vbi Phrixus Oetæ regis Colchorum filiam in matrimonium duxit: cui dotis nomine auream illam Auroræ imaginem potius,

*Var. lib. 3. de Re ruſt.*

*Aries Athamantis procurator.*

& non pellem arietis auream dedit. hæque veritas ipſa eſt.

### *De Phorcynis filiabus.*

*Oculos exemptiles etiam Lamia habebat.*

DE filiabus quæ Phorcynis perquàm ridicula narratio circumfertur, videlicet, quòd Phorcys ipſe tres filias habebat, quæ viciſſim vno oculo, quem duntaxat inter omnes habebant, cum videre illis opus erat, vtebantur. atque ita fiebat, vt quotieſcunque ex illis vna oculo vti vellet, capiti ſuo illum inſertaret, ſicque videret: quo quidem cum illa ſatis vſa fuiſſet, aliis eum viciſſim tradere conſueuerat, ita vt omnes hoc pacto viderent. Cum autem Perſeus ad illas fortè acceſſiſſet, atque eam quæ tunc oculum habebat, cunctanti gradu à tergo adortus eſſet, denudato enſe, vt ſibi Gorgonā oſtenderent, petiit, mortémque eis, niſi eam vtique manifeſtarent, minitatus eſt. Illę verò mortem formidantes, eam protinus indicant. Cuius caput ipſe cum amputaſſet, aëra volando inſcendit, ſimúlque hoc Polydectæ oſtendens, in lapidem eum mutauit. Quod quidem omnino ridiculum eſt, viſo defuncti capite, viuentem hominem lapideum fieri poſſe. Quæ enim quæſo ad hoc faciendum vis mortuo ineſt? fuit autem tale quippiam. Phorcys vir quidam Cyreneus fuit: Cyrenei verò genere Æthiopes ſunt, Cyrenémque inſulam, extra Herculis columnas exiſtentem, incolunt, Libyámque arant iuxta Aunona fluuium, propéque Carthaginem ſunt valde diuites. hic Phorcys Herculis columnis, quæ tres ſunt, imperans, quatuor cubitorum ſtatuam auream Mineruæ fieri fecit. Vocant enim Mineruam Cyrenei Gorgonem, veluti Dianam Thraces Bendiam, Cretenſes Dictynam, Lacedæmonij verò Vpim. Verùm antequam ſtatuam ipſam Phorcys in templo conſecraſſet, moritur, tréſque poſt ſe natas reliquit, Sthenonem videlicet, Euryalem & Meduſam, quæ nemini in matrimonium ſeſe coniungere vnquam voluerunt: ſed vitam cœlibem degentes, ſubſtantiam omnem inter ſe diuiſere, & quælibet vni ex tribus inſulis imperabat, quæ ſibi in bonis contigere. Gorgonem verò ſtatuam illam auream Mineruæ neque in templo ſacratam ponere, neque di-

*Minerua Gorgone, Bendia, pro Herodo. Dictyna. Upis Diana à Lacedæmoniis. Loc. Callimachi in hymno Dianæ.*

uidere velle illis videbatur. Quinimo apud vnamquamque illarum eam ipſam viciſſim, veluti theſaurum quendam depoſitam, retineri debere cenſuerunt. Phorcyni verò ſocius quidam honeſtus bonúſque vir erat, quo ſuis in rebus veluti oculo vtebatur. Perſeus autem ex Argo exul, ſecum nauigia robúrque militare habens, maritima loca tunc populabatur, qui ratus Gorgonem hanc reginam mulierem quandam eſſe locupletem quidem, ſed quæ tamen viribus imbecilla eſſet, adnauigat primùm in portum: & ſtationem ibi nauium faciens, ea loca quæ inter Cyrenem & Sardiniam erant percurrit: ab vnáque ad alteram earum deſcendens, oculum ipſum capit. Intellexerat enim ab earum vna, ſe nihil aliud ex illis locis præterquàm Gorgonem, quæ magnam vim auri in ſe habebat, auferre poſſe. Puellæ igitur ipſæ poſtquam oculum amplius in parte, ſecundum ſermonem prædictum, non habebant, in vnum conuenerant iurantes (nam altera alteram accuſabat, quòd oculum detineret.) Sed poſteaquam ſeſe prorſus eum non habere cognouerunt, quidnam de eo vtique factum fuiſſet, valde admirabantur. Interim ad eas ita conſternatas, Perſeus nauigat, oculúmque ab eis quęſitum ſeſe habere ſignificat: quem tamen illis ſe nullo pacto daturum ait, niſi prius vbinam Gorgo ſit, ab eis edoctus fuerit. Minabatur ad hæc, niſi hoc manifeſtarent, eas interfecturum eſſe. Meduſa non oſtenſuram ſe eſſe ait: verùm Stheno & Euryale oſtenderunt, quare Meduſam ob id Perſeus interfecit, illis verò duabus oculum reſtituit. Cum itaque Gorgonem accepiſſet, in partes eam plures diſſecuit, & in trireme ſua ſeruatum ab ſe caput eius repoſuit, ipſique naui nomen Gorgonis indidit. cum qua mox pernauigans, ab inſulanis circumquaque pecunias aſſequebatur, eo quòd omnes qui aliquid ei contribuere recuſarent, interimebat. Sic & à Seriphiis, ad quos nauigando peruenit pecunias petiit. illi verò in vnum omnes ſeſe, vt ei reſiſterent, primò cõgregarũt: rurſúſque cũ ad eos in forum coactos Perſeus accederet, Seriphon illi relinquentes abierunt, vt ipſe neminem omnino ibi inuenerit hominem: ſed lapides quidem factos, non autem viros am-

*Seriphij in lapides mutati.* plius. quo circa inſulanorum reliquis pecunias ſibi tradere denegantibus, dicere Perſeus adſueuerat, Videte ne, quemadmodum Seriphij, Gorgonis caput videntes, in lapides & vos mutemini. Id namque malum ipſi paſſi ſunt.

*De Amazonibus.*

DE Amazonibus talia prædicantur, quòd mulieres illæ quidem non erant, ſed viri potius barbari, qui oblongas veſtes, & ad talos vſque demiſſas ad inſtar Thracenſium mulierum gerebant, comámque mitris continebant, ac barbas radebant: ob id autem ab hoſtibus in bello per contumeliam fœminæ vocitabantur. Amazones autem ſuapte natura ſibi ingenita, ſtrenui bellatores erant. Expeditionem verò mulierum iſtarum nunquam factam fuiſſe (quando & nunc quoque nulla apparet) credere veriſimile eſt.

*De Orpheo.*

FAlſus quoque de Orpheo vate ſermo vulgatur, quòd ſcilicet eum citharizantem quadrupedes, aues, atque arbores ſequerentur. Id autem mihi tale quippiam fuiſſe videtur: quòd Bacchæ furentes fœminę, erant quæ in Pieria ouium paſcua dilaniabant, aliáque plura mala violenter perpetrabant. Quæve cum ad montana loca ſe recepiſſent, plures ibi dies ſe continuerunt: ibi cum diutius permanerent, ciues ſibi iam ipſis ſuiſque mulieribus ac filiabus mali aliquid ab eis timentes, qui Orpheum accirent, mittunt. Illúmque rogant, vt aliquid excogitando machinari velit, vt quoquo modo poſſet, furentes fœminas è montibus deduceret. qui quidem Orpheus, cum Bacchi ſacra ſolennia ordinauiſſet, citharæ ſono bacchantes illas demulcens, è montibus ſecum deduxit, ferulas quidem primùm habentes: ſed quæ cum è montibus deſcenderent, diuerſarum arborum ramos ſecum gerebant. Quod ſpectaculum videntibus hominibus incredibilem admirationem afferebat. Namque primo aſpectu illo, deducta ab eis è montibus ligna, arbores, quæ reuera deſcenderent, eſſe videbantur. Quamobrem qui talia perſpicerent, ita ſecum dicere conſueuerant: Orpheus citharã pulſans, ex mõte ſyluam ad ſe duxit. Atque ex hoc tantum, fabula ipſa compoſita fuit.

*Sed Pandora.*

NOn tolerabilis de Pandora ſermo diuulgatus eſt, quòd cum ipſa ex terra formata fuiſſet, aliis quoque fœminis ſimilem ipſa formam dederit. Mihique hoc potius ſic fuiſſe videtur, quod Pandora mulier Græca fuerit valde diues, quæ quotiens domo exibat, ſeſe plurimum exornare ſolebat, atque in primis pigmento quodam ex terra confecto ſeſe perungens vtebatur. Reique ipſa omnino ſic ſe habet, nec alio quopiam modo. Quamquam ſermo hac de re factus, ad impoſſibilia quędam conuerſus fuiſſe videatur. *Pandora ex luto à Prometheo formata cur, apud Heſiodum.*

*De generatis ex fraxino.*

ET quid quæſo vilius, magiſque ſtultum eſt, quàm primum genus hominum ex fraxino generatum eſſe dicere? Siquidem Melius vir potius quidam nomine fuit, à quo Meliæ fœminæ denominatæ fuerunt. Quemadmodum ab Helleno Hellenes Græci, & Iones ab Iono dicti ſunt. Ferreas inſuper atque æneas, quod dicatur, ætates tunc fuiſſe, nunquam omnino exiſtimandum eſt. *Meliæ nymphæ apud interp. Apoll. & Hieron. in Homeliis Æneæ ferreæque ætates ſeu gentes nunquã fuerũt.*

*De Hercule.*

DIcitur quòd ex ſe ipſo Hercules folia quædam habuit: ipſe igitur Phillyres dictus. & ſi priuatus humiliſque ſortis exiſteret, cogitans tamen quorſum illa Hercules geſtaret, combuſſit: ſicque ratio inde tracta eſt hoc modo.

*De Ceto.*

DE Ceto hæc quidem memorantur, quod Troianos è mari exiens inuadebat. Et ſiquidem ei puellas aliquas Troiani obtuliſſent, ab eis recedebat: ſi minus, eorum totam regionem deuaſtabat. Quàm verò id fatuum ſit, credere Troianos filias proprias Ceto exponere ſolitos fuiſſe, quis non videt? Virum nanque potius magnum quempiam nomine Cetum hunc fuiſſe dicendum eſt: qui cùm rex eſſet, multum roboris viriúmque habens, ac in re nauali valde potens, paludem quandam in Aſia, quam Troiani poſſidebant, circa mare ſubuertit. Tributúmque ab eis ſibi ob id perſoluebatur, quod quidam Daſmon, hoc eſt vectigal vocant. Argento autem eius temporis homines minimè vtebantur, ſed vaſis *Daſmos tributum. Argentum in vſu pecuniarum antiquitus non erat.*

*Cetus. Ceton.*

ſolum, ac ſupellectile omni alia. Imperauit ideo rex ille, qui Ceton nomine dicebatur, vt ciuitates quædam tributi nomine equos ſibi darent, aliæ verò puellas mitterẽt. Hunc verò regem, cui nomen erat Ceton, barbari Cetum vocabant. hic circumquaque loca illa adibat, & debito neceſſarióque tempore tributum ab iis promiſſum exigebat. Quòd ſi quæpiam ciuitates perſoluere recuſarent, eorum regiones ac loca malè tractabat. Peruenit & is quoque ad Troiam eo potiſſimum tempore, quãdo Hercules illuc etiam exercitum Græcorum habens, venit. Vnde Herculem tunc Laomedon rex in Troianorum præſidium conduxit. Ceton verò exercitum ſuum cum impetu in eos duxit. Cui cum obuiam Hercules & Laomedon cum copiis ſuis facti eſſent, illum interfecerunt. Quo ex facto ſermo fabuloſus confictus eſt.

*Herculem in auxilium Troianorum conducit.*

*De Hydra.*

ILlud quoque ſuper hydra dicitur, quòd Lernæus ſerpens erat, quinquaginta capita, vnicunque duntaxat corpus habens. Et poſtquam ex illius tot capitibus vnũ exciſum fuiſſet, duo alia ibi capita repullulare ſolita fuiſſe. Cancrúmque inſuper illi aduerſus Herculem hydram occupantem, auxiliatum fuiſſe. Si quis igitur ſit, qui talia fuiſſe omnino perſuadere ſibi poſſit, fatuus hic quidẽ eſt. Verũ namque hoc habet. Lernus rex erat. habitabant autem omnes homines tunc temporis in pagis, & vnicuique locorum iſtorum reges ſui præerant. Sthenelus verò Perſei filius, Mycenas locum maximum & hominum frequentia habitatum, tenebat. huic Lernus rex minimè ſubiici volebat, bellum ob id inuicem ambo gerebant. In ingreſſu autem regionis eius Lerni oppidulum quoddam fortiſſimum erat, quod quinquaginta viri fortes ſagittiferi cuſtodiebant. quos intra turrim incluſerat, ac diurno nocturnóque tempore pro præſidio eius loci detinebat: nomen huic oppidulo Hydra erat. Ad hunc locũ expugnandum Herculem Euryſtheus mittit, qui caſtellum ipſum expugnauit. In hac verò oppugnatione ſagittiferi qui in turri erant, ignem in hoſtes demittebant, ſagittáſque è turri iaculabantur. Et quotieſcunque euenerat, vt ex illis ſagittiferis quiſpiam vulneratus caderet, duo ſtatim alij in demortui vnius locum aſſurgebãt:

*Lernus rex. In pagis habitantes homines.*

*Hydra caſtelli nomen. & Sophiſt. apud Pla.*

& hoc,quia fortiſſimus is eſſe credebatur,qui antea ceciderat. Poſteaquam verò ab Hercule Lernus in bello viribus inferior premi ſe vidit, externi exercitus auxilium conducitur: Carcino duce quodam,qui vir magni roboris ac bellicoſus,auxilium afferens, vnà cum Lerno iunctis copiis ſuis in Herculẽ impetum fecit. cui quidẽ Herculi Iolaus Iphicli filius, atque ipſius Herculis nepos, Thebanorum exercitum habens,auxilium quoque tulit. ſicq;cum ad turrim Hydræ oppiduli impetu facto acceſſiſſet,incendio illam cõcremauit:talique robore militari eos Hercules expugnauit, & Hydram ipſam diruit,omnem vnà exercitum perdens. Qua ex re geſta ſermo talis ab iis qui hydram ſerpentem fuiſſe ſcribunt, & fabulam huiuſmodi confingunt,formatus fuit. *Carcinus dux.*

*De Cerbero.*

Cerberum canem fuiſſe tria capita habentem narrant. Manifeſtum tamen eſt, quòd & hic Cerberus, quemadmodum Geryones, à ciuitate Tricarinia, hoc eſt, tricipite nuncupata, denominatus eſt. Dicebant verò homines, Pulcher magnúſque canis ille eſt Tricarinius. hoc eſt, triceps Cerberus. de quo illud quoque dicitur,quòd Hercules olim ipſum ab inferis deduxit. Sed tale potius quiddam fuit. Geryoni cum bobus ſuis canes magni ac iuuenes ſimul erant, quorum vni Cerberus nomen erat, alteri verò Orus: hunc Orum nuncupatum Hercules in Tricarinia ciuitate antequam boues ipſas abduceret,interemit. Cerberus verò ſolus boues ſequebatur. Hunc cum Myceneus vir quidam Molottus nomine, percuperet, primùm quidem ab Euryſtheo ſibi illum dari petit. eo verò nolente, paſtores inducit, vt canem ipſum in Laconia iuxta Tænaron ſub ſpelunca quadam retinere velint. Quod cùm feciſſent, ex ſuis canes quaſdam fœminas ad coitum cum illo mittit. Hoc eodem tempore Euryſtheus Herculem ad Cerberi canis inueſtigationem miſit. Qui cum vniuerſam Peloponneſum circumluſtraſſet, tandem ad locum vbi Cerberum canem eſſe ſibi dictum fuerat, peruenit: vbi deſcendens, canem ex antro abduxit. Dicebant itaque homines, quòd Hercules per antru

*Tricarinia ciuitas.* *Cerberus vnus ex canibus Geryonis.* *Myceneus Molottus Moloßi ues apu Suid*

quoddam ad inferos deſcendiſſet, canemque ab inferis ad auras traxiſſet.

### *De Alceſte*

*Alceſtis Euripidis tragœdia.*

TRagœdia dignus de Alceſte ſermo narratur, quòd cum fortè moriturus Admetus eſſet, mortem ſibi pro illo Alceſtis elegit, quódque Hercules ea pietate motus, cum ab inferis reduxiſſet, Admeto reſtituit. Mihi verò neminem, mortuum quempiam ad vitam reuocare poſſe videtur. Sed tale quiddam fuit. Poſteaquam Peliam patrem filiæ interemerunt, Acaſtus eiuſdem Peliæ filius, illas perſequebatur: quas nullo tamen pacto comprehendere potuit. Alceſtis etenim ad nepotem eius Admetum Pheres confugit. ad quem locum cum Acaſtus quoque veniſſet, qui eam perſequebatur, & ab Admeto, qui tum fortè ad ignem ſedebat, eam deditiam ſibi dari petiiſſet, minimè tradere illi eam voluit. Quamobrem indignatus Acaſtus, validiſſimum exercitum, quem in Admetum ſiſteret, comparat, atque vrbem eius oppugnat. Quod videns Admetus, multos ſecum ductores ac milites habens, extra ciuitatem, vt eis ſeſe opponeret, egreditur. Sed accidit vt viuus nocturno tempore ab Acaſto comprehenderetur, qui ei quoque captiuo mortem minabatur. Quam rem cum Alceſtes intellexiſſet, quod Admeto propter eam mors imminerct, egreſſa protinus ſeſe ipſam Acaſto vltrò dedit. qua comprehenſa, Admetum ille liberauit. Dicebant itaque homines, Virago Alceſtis ſponte quidem pro Admeto mortua eſt. Nihilque prorſus, quòd fabuloſè ſuper hac re commentum ſit, verum habetur. Atque adeò cum per illud tempus Hercules fortè Diomedis equas quodam ex loco duceret, per ea Theſſaliæ loca iter fecit, hoſpitióque ab Admeto ſuſceptus eſt. à quo lugente cum Hercules Alceſtis calamitatem intellexiſſet, miſeratione eius motus, Acaſto ſeſe oppoſuit, eiúſque exercitum omnem deleuit: & quæcunque illi ſpolia abſtulit, inter ſuos ipſius exercitus milites diuiſit, Alceſtémque recuperatam Admeto reſtituit. Dicebant itaque homines, quod Hercules vltro à morte Alceſtin liberauerat, & ex hoc facto fabula formata fuit.

*ἀλκήστιδος ἀνδρεία, prouerb. Alceſtis virago. De hac aliter Fulgentius.*

### *De Zeto.*

CVm plerique alij, tū maximè Heſiodus tradit, quod Thebana mœnia Zetus & Amphion citharæ ſono ſtruxerunt. Exiſtimant verò quidam illis ipſis citharizantibus lapides ſponte ſua mœnia inſcendere ſolitos fuiſſe. Reuera tamen hoc ita res habet. Citharœdi Zethus & Amphion perfecti erant, artémque ſuam mercede inuitati oſtendebant: argentum autem illis temporibus homines cum minimè haberent, iubebant Amphion & Zethus, quòd ſi quis eos citharizantes audire vellet pro pręmio ad murum conſtruendum accedens in eo ſeſe exerceret: neque enim lapides ibi citharæ ſonum audituri ſtabant, nec ſine ratione aliqua homines etiam dicere conſueuerant, lyræ beneficio Thebanum murum conſtructum fuiſſe. *Argentum in vſu non erat.*

*De Io.*

EX muliere Io bouem factam eſſe, œſtróque agitatam ex Argo in Ægyptium mare perueniſſe dicunt. Verū autē hoc habet. Io Argiuorum regis filia erat, huic ciues honorem hunc dederant, quod Argiuæ Iunonis ſacerdotem fecerant. Verùm cum prægnans facta eſſet, patrem & ciues verita, è ciuitate protinus aufugit. Argiui verò ad eam inquirendam vrbe exeuntes, & vbi eam inuenerunt, comprehendentes in vinculis habebant. Dicebant autem id videntes, quod Io tanquam bos furens in Ægyptum aufugit, vbi cum perueniſſet, peperit, indéque fabula conficta eſt. *Pro Herodoto in primo*

*De Medea.*

MEdea, vt dicitur, ſeniores homines coquēs, iuuenes eos faciebat. Fuit vero ſimile quid. Medea talis naturæ florem quendam prima inuenit, qui capillos albos nigróſve faciendi poteſtatem habebat. Quibuſcunque igitur hominibus, qui ex canicie exire delectarentur, nigros capillos apparere faciebat. Prima quoque hæc experimentū calidi lauacri cuiuſdam vim medicam habentis, inuenit, quo volentibus omnib. medebatur, atque hæc nō in publicio, ſed clàm quidem agebat, nè quis medicorum talia addiſcere poſſet. Huic verò compoſitioni qua vtebatur, nomē erat Parepſiſis, hoc eſt decoctio. Quicunque igitur homines hac decoctione vtebantur, agiliores prorſus magíſque ſani fiebant. Ex hoc Medeæ præparationē hanc quicunq; videbant, lebetes ſcilicet, ligna, & ignem, *Euſeb. in x. præ par. euangel.* *Medea tincturam capillorum prima excogitat.* παρέψησις.

*Senis Peliæ mors.* quòd homines Medea elixando coqueret, exiſtimabant, Pelias verò homo ſenex, & imbecillus, hac decoctione cum vſus fuiſſet, quòd eam ſuſtinere præ ſenectutis debilitate non potuit, conſumptus eſt.

*De Omphale.*

*Herculis imperium. Omphale.* QVòd Omphalæ mulieri Hercules ſeruiuit, dicitur. qui quidem ſermo ſtultus eſt, cum & ipſi Omphalæ, & cæteris ſuper illam exiſtentibus maioris conditionis hominibus Hercules imperare potuit. Tale quippiam igitur factum fuit. Omphale Iordanis Lydiæ regis filia erat, quæ cum Herculis robur maximum audiuiſſet, ad eum amãdum inducta eſt. ad quam cum appropinquaſſet Hercules, pari quoque modo formæ illius amore captus eſt, mixtique ſimul ſunt, atque ex illius cõplexu Laomedoutem filium Omphale genuit. Lætatus verò Hercules, & ex illa voluptatem capiens, eam loco ſui imperare ſinebat. Quod ſtulti videntes, Herculem Omphalæ ſeruire crediderunt.

*De Cornu Amalthee.*

*Ἀμαλθείας κέρας. prouerb.* CΟrnu Amaltheę ſecum Herculem vbiq; portare ſolitum fuiſſe aiunt, cuius beneficio quæcunque volebat (ſibi fiebãt. Veritas autẽ ſic. Hercules cum ad Iolaum nepotem ſuũ per Bœotiam iret, in Theſpiis moratus eſt quodã in hoſpitio. vbi mulier formoſa & honeſta nomine Amalthea erat. *Amalthea.* Cuius forma delectatus cum Hercules eſſet, per aliquod ibi tempus hoſpitatus eſt. Quod cũ Iolaus grauiter ferret, pecunias quaſdam, quas ex lucro Amalthea faciebat, in cornu quodã accumulatas ei auferre excogitat. Iis etenim pecuniis quęcunque Hercules volebat ei Amalthea emebat: peregrini itaq; illuc ſimul diuertẽtes, Herculẽ cornu Amaltheæ habuiſſe dicebant, ex quo quæcunque voluiſſet, ſibi ipſi emebat: atque inde fabula conficta eſt. *De amalthea hoc idẽ Suidas & Euſtathius, Homeri interp.*

*De Hyacintho narratio.*

HYacinthus adoleſcens Amyclæus erat, pulcher & honeſtus ſatis. Hunc Apollo quidem vidit, vidit & hunc Zephyrus, ambóque illius formæ amore capti ſunt, in eiúſque gratiam & honorem certatim artes vterque ſuas illi exhibebat. Sagittabat nãque Apollo, Zephyrus verò ſpirabat: ſed ab illo cantus & voluptas veniebat,

ab hoc verò timor non niſi ac perturbatio ſibi erat. Itaque in Phœbi amorem ſeſe iuuenis inclinat, ob idque Zephyrum præ zelotypia ad bellum armare fecit. poſt hæc quædam Hyacintho exercitamenta cum Apolline erant: in quibus cum ſeſe exerceret, à Zephyro ſibi maximè timendum erat, diſcóque præſertim: quem, cum adoleſcentis luſu deus præparaſſet, & ab illo iam deſcendiſſet, à puerόque mox leuaretur, Zephyri fraude in eum ipſe decidit, qui ita mortuus eſt. Terra verò tantæ calamitatis memoriã vllo modo deſertam omittere non debuit, quin pro adoleſcentulo, ꝙ fecit, florem Hyacinthi nominis emitteret, in cuius quidẽ foliis eius ipſius Hyacinthi nominis principium inſcriptum fuiſſe memorãt.

*Diſci luſus apud Ouid.*

*Flores inſcripti nomina regũ, Ver. & Ouid. in x. Metamor.*

*De Marſya narratio.*

MArſya vir agreſtis erat, qui muſicus tamen factus eſt. Nam cum Minerua tibias odio haberet, quòd de pulchritudine nonnihil, cum eas inflabat, ſibi auferrent, vt ex fonte qui imaginem ei ſuam reddebat, agnouit, illas abiecit: quas cum Marſya paſtor accepiſſet, labris ſuis admouit. Illę verò diuinum quendam ſonum, etiam inuito illo qui eas inflabat, per ſe emittebant. Exiſtimabat verò Marſyas, ex arte potius ſua ſonum illum fieri, quàm quòd diuina illis vis quædam ineſſet. Quare hac perſuaſione imbutus, Muſas iam quoque ipſas, atque adeò etiam Apollinem ad certamen inuitabat: quos niſi ſono tibiarum ſuperaſſet, viuere ſe neutiquam velle amplius dicebat. Quare cum in certamen deus Apollo deſcendiſſet, Marſyas vincitur, ſimúlque cum victoria pellem excoriatus depoſuit. Vidique ego in Phrygia flauium ipſum Marſyam ab eius ipſius nomine dictum, cuius curſum ex Marſyæ ſanguine fieri Phryges dicebãt.

*Vide Aul. Gel. lib. 14. cap. 17. & Plut in vita Alcibia.*

*De hoc amne Qu. Cur. in libro 3.*

*De Phaone.*

PHaonis vita omnis circa nauigia, inque re maritima erat. portitor nanque in mari fuit, quo in officio nullum vnquam delictum in quempiam perpetrauit. Modeſtúſque adeò erat, vt à nemine portorium reciperet, qui ſoluendo non eſſet. Morum autem iſtius admiratio quædã apud Leſbios erat, ſimúlque hunc deus laudauit. Deũ autem Venerem vocant. quæ cũ ſeneſcentis hominis, hoc eſt mulieris formã atque habitũ induiſſet,

*De Phaone Ælianus: & Lucianus in quodã Dialogo.*

ad Phaonem acceſſit, déque nauigatione verba cum ipſo facit: ac vt eam naui ſua traiiciat, petit. ille verò, in deſeruiendo ei, celeritate vſus, quàm primùm illam traiicit, præmiúmque nullum ab ea petit. Quid igitur poſt hæc tali pro munere egit Venus? Phaonem certe ex ſene formoſum iuuenem illam feciſſe dicunt. Atque hîc quidem Phaon ille eſt, cuius amore cum capta Sappho eſſet, ſeſe interimens, amorem illum in ſanguinem mœrorémque conuertit.

*De Ladone narratio.*

*Daphnem ex Ladone & Terra genitā, apud interp. Lico. & Euſtathium.*

TErræ viſum fuit cum Ladone fluuio ad coitum deſcendere: & poſteaquam cum eo ſe miſcuit, ex eius compreſſu concipiens, Daphnem genuit. Hanc Apollo Pythius amauit, verbáque amatoria ad illam faciebat. Sed cùm ipſa caſtitatem ſeruare vellet, illum minimè audire volebat: neceſſéque ei ob id erat puellam auerſantem inſequi, veluti ſic illam denique perſequebatur. quæ cum fugeret, denegare ei quicquam non prius auſa eſt, quàm Terram matrem ſuam in auxilium aduocaret: à qua precibus petebat, vt ſeſe iterū intra ſe admitteret, ac in eadem virginitatem talem, qualis nata erat, cuſtodiret: quod & mater fecit. Daphnem namque intra ſe occultauit. Poſt verò tempus illud è Terra egreſſa Daphne, arbórque facta, eodem in loco pullulabat. cuius ramis cum propter amoris impatientiam, deus inhæreret, illi quo minus in laurum commutaretur, reſiſtere nullo modo potuit. Nam manus illius iam intra arboris truncū cōprehendi, capútque & reliqua corporis frondibus ornari cœperat, ſine quibus lauri foliis, vt dicitur, tripos in Bœotia, vbi antrum erat, nullo modo erigi poterat.

*Pro Ouid. in primo Metam.*

*Tripos ſine lauro in Bœotia erigi nō poterat.*

*De Iunone.*

IVnonem deam ſuorum habere patrocinium, ac ciuitatis cuſtodiam, Argiui exiſtimant: propter quod publicum feſtum in eius honorem ritu atque ordine ſolenni concelebrant. Huius autem pompæ ordo erat, vt currum Iunonis colore albicantes boues ad templum traherent, in quo curru ſacerdotem quoque eſſe oportebat. Templúmque ipſum, vbi ei ſacrificium fiebat, extra vrbem erat. Quodam verò tempore, cùm fortè ad hæc ſolennia ſacra Iuno ferri deberet, ac propter albican-

rium boum penuriam, ritus atque ordo ille ſolennis claudicans obſeruari non poſſet, ſacerdos illorum defectum ita emendauit. Nam cum filios quoſdam adoleſcentes haberet ad inſtar boum, Iunonis plauſtrum eos ſubire fecit. Poſteaquam igitur quæ à bobus fieri debebant, à filiis facta ſunt, illorum mater ſacerdos ante Iunonis deæ ſimulacrum ſupplex ſtans, laboris mercedem liberis ſuis à dea petiit, quibus veluti data illis à Iunone condigna merces fuit. ſomnus namque, vt fertur, pro præmio illis datus eſt, qui vitæ quoque illorum finis extitit.

*Palæphati de fabuloſis narrationibus*

FINIS.

# FVLGENTII EPISCOPI CARTHAGINENSIS, MYTHOLOGIARVM AD Catum Preſbyterum Carthaginenſem,

## *LIBER I.*

QVAMVIS inefficax petat ſtudium res quæ caret effectu, & vbi emolumentum deeſt negocij, cauſa ceſſet inquiri: hoc videlicet pacto, quia noſtri temporis ærumnoſa miſeria non dicendi petit ſtudium, ſed viuendi flet ergaſtulum, nec famæ aſſiſtendum poëticæ, ſed fami conſulendum domeſticæ. Citius nunc aut quod amiſeris fleas, aut quod edas inquiras, quàm quod dicas inuenias. Vacat hoc tēpore potentibus opprimere, prioribus rapere, priuatis perdere, miſeris flere. Quia ſoles Domine meas cachinnātes ſæpius næuias lepore ſatyrico litas lubentius affectare, dū ludicro talia ventilans epigrammate comœdica † ſolita eſt, vernulitate mulcere. Additur quia & mihi nuper imperaſſe dignoſceris, vt feriatas adfatim tuarū auriū ſedes lepido quolibet ſuſurro per- *ſolitus es.*

mulceã. Parumper ergo auſculta, dum tibi rugoſam ſulcis anilibus ordior fabulam, quam nuper Attica ſoporatam ſalſura, nocturna præſule lucerna cõmentus ſum, ita ſomniali figmento deluſam, quo non poëtam furentẽ aſpicias, ſed onirocritem ſoporis nugas ariolantẽ aduertas. Neque enim illas Heroidarũ arbitreris lucernas meis præſules libris, quibus aut Sulpicillæ procacitas, aut Pſyches curioſitas declarata eſt: neque illam Phędrã, quæ maritũ Phædriã in tumulum duxit, aut Leandricos natatus intercepit, ſed quæ noſtrum academicum rhetorem ita vſque ad vitalem circum tulit, quo penè dormientem Scipionem cœli ciuem effecerit. Verùm respublica videat, quid Cicero egerit. Me interim diſcedentem à te Domine, dum quaſi vrbanis extorrem negociis ruralis ocij torpor aſtringeret, euitans ærumnoſa calamitatum naufragia, quibus publicæ inceſſabiliter vexãtur actiones, arbitrabar agreſtem ſecurè adipiſci quietẽ, vt procellis curarum celantibus, quo in torporem vrbana tempeſtas exciderat, velut halcyone niduli, placitam ſerenitatem villatica ſemotione tranquillior agitaſſem, ſopitiſque in fauilla ſilentij rauciſonis iurgiorum claſſici, quibus me Galogetici quaſſauerant impetus, defecatã ſilentio vitam agere credidiſſem, ni me illuc quoq; mœrorum improbior angina ſequeretur, felicitatiſque nouerca fortuna (quæ amarum quoddam humanis interſerit ſemper negociis) me quaſi pediſſequa ſectaretur. Nã tributaria in dies conuentio compulſantiũ pedibus limen propriũ triuerat, noua indictionũ ac momentanea proferens genera, quaſi Mida rex ex homine verteret, vt locupletes tactus rigens auri materia ſequeretur. Credo etiam Pactoli ipſius fluenta condictis frequentibus deſiccaſſe. Nec hoc tantum miſeriarum ergaſtulum ſat erat. addebatur his, quòd etiam bellici frequenter incurſus pedum domi radicẽ infigere iuſſerãt, quo portarum noſtrarum peſſulos aranearum caſſibus oppletos quiſpiam non videret. Agrorũ enim dominiũ gentes ceperant, nos domorum. Fructus enim noſtros expectare licuit, nõ frui. merces quippe nobis fuerat gẽtilis, ſi vel ad manendum clauſos relinquerent. Sed quia nunquam eſt malum immortale mortalibus, tandem

domini regis felicitas , aduentantis ſolis crepuſculum mundo tenebris dehiſcentibus, pauores abſterſit. Et poſt torpentes inceſſus, quæ tum bellicum profligauerat interdictum, licuit tandem arua viſere, limites circuire. Egreditur nautarum in morem, quos tempeſtatum flagitamento confractos exoptata reduces excipit ripa, velut parietum indumẽtis exuti poſt domeſticas ſtationes ambulare potius diſcimus, quàm progredimur, & Maronio verſui conſimiles: Tandem liber equus campo potitur aperto. Intuemur arua, quibus adhuc impreſſæ bellantium plantæ muricatos (quod aiunt) ſigillauerant greſſus, & formidine menti nondum exterſa, hoſtes in veſtigiis pauebamus. Terrorem enim pro ſui memoria miles hoſtis hæredem reliquerat. Sed Troadum in morem oſtentabamus alterutrum loco, quorum recordationem aut internitio celebrior faciebat, aut præda. Tandem inter ſentoſa nemorum fruteta, quæ agreſtis olim deſeruerat manus. nam intercapedinante pauoris prolixitate tam largo fumo lurida parietibus aratra pẽdebant, & laborifera boum colla iugales in vaccinam molliciem diduxerant callos. Squallebat viduus ſulcis ager, & herbidis ſentibus oliuifero vertici minabatur. Ita enim nexili de ſyrmate mæandrico gramini labruſca coibat, quo ſepta herboſis radicibus tellus, Triptolemicum contumax abnueret dentem. Ego dum huiuſmodi paliuræa prata incedente premerem planta, & roſcidos florulenti velleris colles ſpacianti metirem paſſu, defectũ voluntas peperit egrediẽtis ſtudio, ſed vtilitas ex labore ſucceſſit. Diuertor arborei beneficium vmbraculi præſumens, quo me erranti foliorum intextu Phœbi à torridis defenſaret obtutibus, & circumfluam ramorum vmbram, quam propriis radicibus præberet, mihi etiam concederet eſſe communem. Nam me auium quædam vernulitas, quæ fragili quadam dulcedine criſpantes ſibilos corneis edunt organulis, ad hoc opus allexerat, & laboris tam ſubita requies quoddam carminis expectabat melos.

*Theſpiades Hippocrene,*
*Quæ ſpumanti gurgite*
*Irrorat loquacis nymbi,*
*Tinctas hauſtu muſico,*
*Ferte gratum properantes*
*De virectis collium,*
*Vbi guttas florulentæ*
*Manè rorat purpuræ,*
*Humor algens, quem ſerenis*
*Aſtra ſudant noctibus,*
*Verborum caniſtra plenis*
*Reſerate floſculis.*
*Quicquid per virecta Tempe*
*Rapiat vnda proluens*
*Hinnientu & recurſu*
*Quam produxit vngula,*
*Quicquid Aſcræus veternæ*
*Rupe paſtor cecinit,*
*Quicquid ex Atlantis gazis*
*Veſtra promunt horrea,*
*Quod cecidit paſtorali*
*Maro ſylua Mantuæ,*
*Quod Mæonius ranarum*
*Cachinnauit prælio,*
*Parrhaſia candicanti*
*Dente lyra concrepet,*
*Ad meum vetuſta carmen*
*Secla nuper confluant.*

Hoc itaque ſacrificali carmine Gorgonei fontis aſpergine madidas & præpetis vngulæ riuo merulentas Pieridas abſtraxi. Aſtiterant itaque ſyrmate nebuloſo lucidæ ternæ viragines, hedera largiore circumfluæ, quarum familiaris Calliope ludibundo palmulæ tactu, meũ vaporans pectuſculum, poëticæ pruriginis dulcedine ſpargit. Erat enim grauido (vt apparebat) pectore, crine neglecto, quem margaritis prænitens diadema conſtrinxerat, talo tenus bis tinctam recolligens veſtem. Quod credo & itineris propter difficultatem, & ne mæandricos tam ſubtilis elementi aliquatenus limbos aculeati herbarum vertices ſcinderent. Aſtiti propter ergo, erectus in cubitum, veneratus ſum verboſam viraginem, olim mihi poëtico vulgatã euidentius teſtimonio. Nec immemor cuius verboſas fabulas propter ſcholaribus rudimentis tumidas ferulis geſtaueră palmas: & quia non mihi euidenti manifeſtatione quænam eſſet, liquebat, cur veniſſet, inquiro. Tum illa: Vna, inquit, è virginali ſum Heliconiadum curia, Iouis albo conſcripta, quam olim Athenæum ciuem Romanus ordo colendam exceperat: vbi nouellos ita frutices edidi, quo eorũ cacumina ſummis aſtris ſnſererem. Ita vitæ famam linquentes hæredem, quo magis celebriorem obitum protelarent. Aſt vbi me Romuleæ arcis conuentu bellicus viduauit incurſus, Alexãdriæ conciliabula vrbis exulata

poſſederã,variis dogmatum imbutamentis, laſciua Græcorum præſtruens corda, poſtque Catonum rigores, Tullianáſque ſeueras inuectiones, & Varroniana ingenia, Apellea genti enerues ſenſus, aut ſatyra luſeram, aut comœdico phaſmate delectabam,aut tragica pietate mulcebam, aut epigrammatum breuitate condibam. Libebat me mea captiuitas:& licet noſtræ vacuiſſent induſtriæ, inueniebat tamen animus, quibus inter mala arrideret, niſi me etiam exinde bellis crudelior Galieni curia excluſiſſet,quæ penè cunctis Alexandriæ ita eſt angiportis, quo chirurgicæ carnificinæ laniena † plurior *durior* habitaculis numeretur: denique certando ita remittunt in mortem, quo ferant Charontem citius ſopiturum,ſi collegio non donetur. Hanc orationem riſus mollior terminabat. Itaque meis quod euerteret, culminibus impetraui. Tum illa: Non paues,inquit,muſicum tuis receptare dogma penatibus,cum barbarorũ morem auſcultauerim, ita literarios mercatus penitus abdicare, vt hos qui primis elementorum figuris, vel proprium deſcripſerint nomen, caſſata inquiſitione in carnificinam raptaſſent. Tum ego: Non ita eſt, inquam, vt audieras, ſed fama fuit. Nam carmina noſtra Muſæ tantum valent inter Martia tela, quantum dulcis aquæ ſaliente ſitim reſtinguere riuo. Et vt ſuum me amplius familiarem reſciiſſet,illud etiam Terentianum adieci: Olim iſti fuit generi quæſtus apud ſeculum prius. Nunc itaque literæ ſuos quicquid Helicõ verbalibus horreis entechatum poſſederat,in ipſis poteſtatum culminibus hæreditario iure transferre cantus extendunt. Illa exhilarata carminibus, vtpote quaſi Mæonium ſenem vt viſeret recitantem, laudatorio palmulæ tactu mulſit meam cæſariem:percuſſaque mollius ceruice,quàm decuit: Eia,inquit, Fabiana Creonticis iamdudum nouus initiatus es myſtes ſacris. Ne quid ergo meo tibi deſit tyrunculo,accipe parem dogmatis gratiam:& quatenus te noſtra ſatyra laſciuienti verborum rore percuſſit,vadatúmque te ſui retinet amoris illecebra,redde quod ſepioticon debes:& quicquid libet Niliacis exarare papyris, feriatis aurium ſedibus percipe. Nec deerit hiſtoriæ ei quilibet effectus, cuius viſceribus te interſtringi popoſceris. Tum ego:In-

dex libelli te feſellit generoſa loquacitas,nō mihi cornu tus adulter arripitur, nec hymbre mendaci luſa Danaë virgo cantatur, dum ſuo iudicio ſibi Deus prętulit pecudem,& hanc auro decepit,quam poteſtate nequiuit. Non ſuillo canimus morſu depaſtum iuuenis femur,nec in libellulis meis ſub falſa alite puerilis pependit laſciuia. Non olorinis reptantem adulterum plumis oua pulligera virginibus inculcantem,vel ſemina puerigera viſceribus infundentem,nec Lychnides puellas inquirimus, & Hero atque Pſychen poëticas garrulantes ineptias. Dum hæc lumen quærit extinctum,illa deflet incenſum, Pſyche videndo perderet, & Hero non videndo periſſet. Nec referam virginali figmento Aricinam luſam viraginem, dum quæreret Iupiter quod magis eſſe velit quàm fuerat. Mutatas itaque vanitates manifeſtare cupimus, non manifeſta mutanda fuſcamus, vt ſenior Deus hinnitus exerceat: & ſol fulgoris igne depoſito,malit anilibus exarari rugis, quàm radiis. Certos itaque nos præſtolamur rerum effectus,quos repulſos mendaciis Græciæ fabuloſo commento quid myſticum in his ſapere debeat,cerebrum agnoſcamus. Tum illa: Vnde hæc tibi,inquit, homuncule tanta ignorantiæ ſcientia? Vnde etiam rarum ordinem ignorandi? Dum enim ſeculis intacta exquiris, oſtendis te ſapienter ſcire quod neſcis. Cui ego(ſi his quibus ignorare aliquid contigit)ne ipſum quidem neſcire ſuum, ſcire contigerit, quanto ſatius eis erat etiam non naſci contingere,quàm naſci inefficaciter viuere.primum itaque ego ſcientię veſtibulum puto,ſcire quod neſcias. Ad hæc illa: Tam ſecretis myſticiſque rebus viuaciter pertractandis ampliora ſunt authoritatum quærenda ſuffragia. Neque enim quippiam ludicrum quæritur, quo ludibundo pede metrica verborum commoda ſarciamus.Sudor hic opus eſt palæſtrantis ingenij, ne tam magnifici aſſumpta moles operis ipſo ferè medio conaminis impetu viuaciſſimis deſtituta vaneſcat tractatibus. Ergo erunt nobis Philoſophia atque Vrania cœleſtis adiutrices operis aſciſcendæ.Nec enim deerit tuis laſciuiens amica ſolatiis,vt dum te myſticæ artes anhelum tractando reddiderint,tute tua ſatyra ludentem excipiat. Quæſo inquam munifica lar-

gitas, ne tu iſtam tuam ſatyram, cuius me dudum vadatum amore prædixeras, temerè credas noſtris penatibus. Tam etenim libens zelo ſortitus ſum ex affectu coniugiũ, vt ſi hanc ſuis oblucẽtem, vt pellicem voluptatibus domo repererit, ita ſulcatis vngue genis in Heliconem remittat neceſſe eſt, quo eius diluendis vulneribus Gorgonei ipſius fontis nequaquam fluenta ſufficiant. Tũ illa cachinnum quaſſans, fragile colliſo bis térque pulſu palmulæ femore: Neſcis, inquit, Fulgenti rudis accola Pieridum, quantum ſatyram matronæ formident. Licet mulierum verbalibus vndis & cauſidici cedant nec grãmatici mutiant, rhetor taceat, & clamorem præco compeſcat: ſola eſt quæ modum imponat furentibus, licet Petroniana ſubit Albutia. hac etenim alludente, & Plautinæ ſatyræ dominatus obdormit, & Sulpicillæ Auſonianæ loquacitas deperitur, Salluſtianæq; ſymphoniæ, quamuis pręſens ſit cantilena melos cantandi, rauceſſit.

*Soluerat igniuomus mundi regione peracta,*
*Quadrupedes, gelidúmque rotis tepefecerat orbem*
*Rector, & auratis colla ſpoliabat habenis.*
*Iam Phœbus diſiungit equos, iam Cynthia iungit:*
*Quáſque ſoror licuit, frater pede temperat vndas.*
*Tum nox ſtellato mundum circumlita peplo,*
*Cærula rorigenis pigreſcere iuſſerat alis.*
*Aſtrigeróque nitens diademate luna bicornis,*
*Bullatum biiugis conſcenderat æthera tauris,*
*Iam ſimulacra modis mentis fallentia plaſtis,*
*Mollia falſidicis replebant ſtramina ſignis.*

& vt in verba pauciſſima conferam, nox erat. Cuius nomen noctis iamdudum oblitus, vt inſanus vates verſibus delirabam. Dum ſubitò agreſtis illa, quam dudum videram, hoſpita oborto impetu cubicularias impulſu fores irrupit, inopinantérque me iacentem reperiens marcentia languore ſomni lepido lumina, rapido atque admodũ ſplendificè intermicanti quodam ſui vultus coruſcamine pepulit. Erat enim vltra ſolitũ eminẽs mortalitatis aſpectũ, deniq; pigræ adhuc quietis indiciũ roratis naribus ructuãtẽ, repentina hoſtij crepitatione turbauit. Hãc præibat florali laſciuiens virgũcula petulantia,

hædera largiore circumflua, improbi vultus & ore contumeliarum ſarcinis grauido: Cuius † hyronicum lumen tam timabunda verpulitate currebat, quo mentes etiam abſtruſas temelentis inſcriptionibus depinxiſſet. Muſæ enim latera ſarciebant altrinſecus duæ: quarum dexterior verecunda quadā maieſtate ſubnixa, claræ frōtis Polymnia, argenteis aſtrorū purgauerat margaritis: cuius phaleratum exoticis diadema carbunculis, cornicu lata lunæ ſinuatio deprimebat, ac cærulenti peplo circumlita hyalinæ cauitatem ſphæræ oſſeo faſtigatus ſigillo verſabat. Viſus itaque luminis tam elata contemplatione cœlitus erigebatur intuitus, quo penè foribus ſuperna intuens pollicem alliſiſſet. Leuicomes lateris refugo quodam contemplatu ſecretior humanos intuitus velamine quodam arcano vitabat. huius ninguida canis albentibus nitebat cæſaries, rugáque criſpato multiplici ſupercilio rācidum ſe quiddam conſopiri promittebat. Tardior inceſſus erat, & ipſa ponderationis grauedine venerandus. Tunc Calliope prouinciam loquacitatis ingreſſa: His te, inquit, Fulgenti tutricibus ſpoponderam largitum. Quarum ſequax ſi fueris, celeriter raptum ex mortali cœleſtem efficient, aſtríſque, non vt Neronem poëticis laudibus, ſed vt Platonem myſticis interſerent rationibus. Neque enim illos de his expectas affectus, quos aut poëma ornat, aut deflet tragœdia, aut ſpumat oratio, aut cachinnat ſatyra, aut ludit comœdia: ſed in quib. Carneadis reſudat elleborum, & Platonis auratum eloquium, & Ariſtotelis ſyllogiſmaticum verbiloquium. Nunc itaque pande mentis cubiculum, & aureum ſiſtulis audito nuncio mentibus intromitte quod excipis. ſed eneruа totum mortale quod tibi eſt, ne tam ſacrati ſeries dogmatis ſcrupuloſis ritè nō reſideat penetralibus. Ergo nunc de deorū primū natura, vnde tāta malæ credulitatis lues ſtultis mentibus inoleuerit, edicamus. Quamuis enim quidam ſint, qui ſpreta capitis generoſitate, Atricinis atque Arcadicis ſenſibus glandium quippiam ſapiant, atque eorum altiori ſtultitiæ nubilo ſoporata caligentur ingenia: tamen nequaquam apud humanos ſenſus, niſi fortuitis compulſationibus moti naſcuntur errores, vt etiam Chryſippus de fato ſcribens ait, compulſa-

*ironicum*

compulſationibus lubricis voluuntur incurſus. Itaque primum omiſſo circuitu, vnde idolum tractum ſit, edicamus.

## VNDE IDOLVM DICATVR.

Diophantes, Lacedæmonum autor, libros ſcripſit Antiquitatum 14. in quibus ait, Syrophanem Ægyptium familia ſubſtantiaque locupletem filium genuiſſe, quem voluit enormis ſubſtantiæ ſucceſſorem ineffabili, vltra quam paternitas exigebat, affectu erga filium deditum. Iſque dum aduerſis fortunæ incurſibus raperetur, patri crudele geminæ orbitatis dereliquit elogium: & vt poſteritati perpetuale ſuffragium denegaſſet, & ſubſtantiæ propagandæ ſubitam interceptionem obiiceret. Quid igitur faceret, aut fœcunda paternitas hac ſterilitate damnata, aut felix ſubſtantia in ſucceſſione curata? parum erat, non habere quod habuit, niſi etiam eſſet, qui obtineret quod reliquit. Denique doloris anguſtia, quæ ſemper inquirit neceſſitatis ſolatium, filij ſibi ſimulacrum in ædibus inſtituit. Dumque triſtitiæ remedium quærit, ſeminarium potius doloris inuenit, neſciẽs quòd ſola ſit medicina miſeriarum obliuio. Fecerat enim ille, vnde luctus reſurrectionis in dies acquireret, non in quo luctus ſolatium inueniret. Denique idolum dictum eſt εἰδοδύνη, quod nos Latinè ſpecies doloris dicimus. Nanque vniuerſa familia in domini adulationem, aut coronas plectere, aut flores inferre, aut odoramenta ſimulacro ſuccendere conſueuerat. Nonnulli etiam ſeruorum culpabiles domini furiam euitantes, ad ſimulacrum profugi veniam merebantur, & quaſi ſalutis certiſſimo collatori, florum aut thuris offerebant munuſcula, timoris potius effectu, quàm amoris affectu. Denique huius rei non immemor & Petronius ait: Primus in orbe Deos fecit timor. Nam & Mintanor muſicus in Chromatopiō libro muſicæ artis, quem ſcripſit, ait, Dominum doloris, quem prima conpunctio humani finxit generis, exin inueteratus error, humanis pedetentim cõſertus diſciplinis, barathro quodam ſæuæ crudelitatis prolabitur.

### *Saturnus.*

SAturnus Pollucis filius dicitur, Opis maritus ſenior, velato capite falcem gerens: cuius virilia abſciſſa, & in mare proiecta, Venerem genuere. Itaque quid ſibi de hoc philoſophia ſentiat, audiamus. Tum illa: Saturnus primus in Italia regnum obtinuit. hicque per annonæ prærogationem ad ſe populos attrahens à ſaturando dictus eſt Saturnus. Opis quoque vxor, eo quòd opem eſurientibus ferret, dicta eſt. Pollucis etiam filium, ſiue à pollendo, ſiue à pollucibilitate, quam nos humanitatem dicimus. Vnde & Plautus in comœdia Epidici ait, Bibite, pergræcamini pollucibiliter. Velato verò capite ideo fingitur, quod omnes fructus foliorum obnupti tegantur vmbraculo. Filios verò ſuos comediſſe fertur, quòd omne tempus quodcunque gignit, conſumit. Falcem etiam fert nō immeritò, ſiue quòd omne tēpus in ſe vergat, vt curuamina falcium: ſiue propter fructū, vnde etiam & caſtratus dicitur, quòd omnes fructuum vires abſciſſæ, atque in humoribus viſcerum veluti in mare proiectæ, ſicut illic Venerem, ita & libidinem gignant neceſſe eſt. Nam & Apollophanes in epico carmine ſcribit Saturnum quaſi ſacrum νοῦν, νοῦς enim Græcè ſenſus dicitur: aut ſatorē νοῦ, quaſi diuinū ſenſum creātē omnia. cui etiā quatuor filios ſubiiciūt, primum Iouem ſecūdum Iunonem, tertiū Neptunum, quartū Plutonē, & quaſi Poli filium quatuor elementa gignentem, id eſt primum Iouem ignem: vnde & ζεὺς Græcè dicitur, ζεῦς .n. græca ſignificatione, ſiue vita, ſiue calor dici poteſt: ſiue quòd igne vitali animata omnia dicerētur, vt Heraclius vult: ſiue quòd hoc elemētū caleat. ſecundū Iunonem, quaſi aerem, vnde ἥρα Grçcè dicitur. & quāuis aerē maſculum ponere debuerint, tamē ideo ſoror eſt Iouis, quòd hæc duo elementa ſibi ſunt valde conſocia. Ideo Iouis & cōiugē, quòd maritatus aer igne ferueſcat. Nā & Theopōpus in Cypriaco carmine, & Hellanicus in Dios Philologia, quā deſcripſit, ait Iunonē ab Ioue vinctā catenis aureis, & degrauatā incudibus ferreis. Illud nihilo minus dicere volentes, quòd aer igni cœleſti cōiunctior, duobus deorſum elementis miſceatur, id eſt aquæ & terræ, quæ elementa duobus ſuperioribus grauiora ſunt.

*Neptunus.*

NEptunum verò tertium aquarum voluêre elementum: quem ideo Græci etiam Poſidona nuncupant, quaſi ποιοῦντα εἴδωλον, quòd nos latinè facientem imaginem dicimus: illa videlicet ratione, quòd hoc ſolum elementum imagines in ſe formet ſpectantium, quòd nulli alij ex quatuor competat elementis. Tridentem verò ob hanc rem ferre pingitur, quòd aquarum natura triplici virtute fungatur, id eſt liquida, fœcunda, potabili. hunc & Neptuno Amphitriten in coniugium deputant, ἀμφὶ enim Græcè circumcirca dicimus: eo quòd omnibus tribus elementis aqua concluſa ſit, id eſt in cœlo, in aere, in nubibus, & in terra, vt ſunt fontes & putei.

*Pluton.*

QVartum etiam Plutonem dicunt terrarum præſulem: πλοῦτος enim Græcè, diuitiæ dicuntur, ſolis terris credentes diuitias deputari. hunc etiam tenebris addictum dixere, quòd ſola terræ materia ſit cunctis elementis obſcurior. Sceptrum quoque in manu geſtat, quòd regna ſolis competant terris.

*Tricerberus.*

TRicerberum verò canem eius ſubiiciunt pedibus, quòd mortalium iurgiorum inuidiæ ternario conſlentur ſtatu, id eſt naturali, cauſali, accidentali. Naturale eſt odium, vt canum, leporum, luporum, & pecudũ, hominum, & ſerpentum. Cauſale eſt, vt amoris Zelus atq; inuidiæ. Accidens eſt, quod aut verbis caſualiter oboritur, vt hominibus: aut comeſtiones propter, vt iumentis.

*Furiæ.*

HVic quoque etiam tres furias deſeruire dicũt, quarum prima eſt Alecto: ἀλήκτω enim Græcè impauſabilis dicitur. Alia Tiſiphone: τισιφώνη autem, quaſi τούτων φωνή, id eſt iſtarum vox. Tertia Megæra: megæra enim eſt, quaſi μεγάλη ἔρις, id eſt magna contentio. Primum eſt ergo, non pauſando furiam concipere. ſecundum eſt, in vocem erumpere, tertium, iurgium protelare.

*Fata.*

TRia etiam ipſi Plutoni deſtinant fata, quarum prima Clotho, ſecunda Lacheſis, tertia Atropos. κλώθω enim Græcè euocatio dicitur, λάχεσις verò ſors nuncu-

patur, ἄτροπος quoque ſine ordine dicitur: hoc videlicet ſentire volentes, quòd prima ſit natiuitatis euocatio: ſecunda vitæ ſors, quemadmodum quis viuere poſſit: tertia, mortis conditio, quæ ſine lege venit.

### *Harpyiæ.*

HArpyias etiam tres inferis Vergilius deputat, quarum prima ἀέλλω, ſecunda ὠκυπέτη, tertia, κελαινώ. Harpyia enim Grecè rapina dicitur. Ideo virgines, quòd omnis rapina arida ſit & ſterilis. Ideo plumis circumdatæ, quia quicquid rapina inuaſerat, celat. Ideo volatiles, quòd omnis rapina ad volandum ſit celerrima. ἀέλλω enim Græcè quaſi ἑλὼν ἄλλο, id eſt alienum tollens. Ocypete, id eſt citius auferens. Celænum verò Græcè nigrũ. vnde & Homerus prima Iliados rhapſodia, αἶψά τοι αἷμα κελαινὸν ἐρωήσει περὶ δουρί: id eſt, ſtatim niger tuus ſanguis emanabit per meam haſtam. Hoc igitur ſignare volentes, quòd primum ſit, alienum concupiſcere: ſecundum, cupita inuadere: tertium, celare quod inuadit.

### *Proſerpina.*

PLutoni quoque nuptam volunt Proſerpinam, Ceteris filiam. Ceres enim Græcè gaudium dicitur. & ideo illam frumenti deam eſſe voluerunt, quòd vbi plenitudo fructuum ſit, gaudia ſemper ſuperabundent neceſſe eſt. Proſerpinam verò quaſi ſegetem voluerunt, id eſt terram radicibus proſerpentem, quæ & ἑκάτη Græcè dicitur: ἑκατὸν enim Græcè centum ſunt. & ideo hoc illi nomen imponunt, quia centuplicatum Ceres proferat fructum.

### *Ceres.*

HAnc etiam mater cum lampadibus raptam quærere dicitur, vnde & lampadum dies Cereri dedicatus eſt: illa videlicet ratione, quòd hoc tempore cum lampadibus, id eſt cum ſolis feruore ſeges ad metendum cum gaudio requiratur.

### *Apollo.*

APollinem ſolem dici volunt: ἀπόλλων enim Græcè perdens dicitur, quòd feruore ſuo omnem ſuccum virentium decoquendo perdat herbarum. Hunc etiam diuinationis Deum voluerunt, ſiue quòd ſol omnia obſcura manifeſtat in lucem; ſeu quòd in ſuo proceſſu

& occaſu eius orbita multimodos ſignificationum monſtret effectus. Sol verò dicitur aut ex eo quòd ſolus ſit, aut quòd ſolitè per dies ſurgat & occidat. Huic quoque quadrigam adſcribunt illam ob cauſam, quòd aut quadripartitis temporum varietatibus anni circulum peragat: aut quòd quadrifido limite diei metiatur ſpacium. vnde & ipſius equis condigna ſic nomina poſuerunt, id eſt Erythreus, Actæon, Lampos, Philogeus. Erythreus Græcè rubens dicitur, quòd à matutino ſol lumine rubicundus exurgat: Actæon ſplendens dicitur, quod tertiæ horæ momentis vehemens inſiſtat: Lampos verò, quod lucidior fulgeat, dum ad vmbicilum diei centratum conſcenderit circulum. Philogeus Græcè terram amans dicitur, quòd hora nona procliuior, vergens occaſibus pronus incumbat.

*Coruus.*

IN huius etiam tutelam coruum ponunt, ſiue quòd ſolus contra rerum naturam in mediis ipſis æſtiuis feruorib. ouiparos pullulet fœtus. Vnde & Petron.

*Sic contra rerum naturæ munera notæ,*
*Coruus maturis frugibus oua refert.*

Siue quòd in horoſcopicis libris ſecundum Anaximandrum, ſiue etiam ſecundum Pindarum, ſolus inter omnes aues ſignificationes habet vocum.

*Laurus.*

IN huius etiam tutelam laurum aſcribunt. vnde etiam eum amaſſe Daphnen dicunt, Penei fluminis filiam: & vnde laurus naſci poſſet, niſi de fluuialibus aquis? Maxime quia & eiuſdem Penei fluminis ripę lauro abundare dicuntur. At verò amica Apollinis ob hanc rem vocitata eſt, quia illi qui de interpretatione ſomniorum ſcripſerunt, vt Antiphon Philocrus: & Artemon, & Serapion Aſcalonites, promittant in libris ſuis, laurum ſi dormiẽtibus ad caput poſueris, vera ſomnia eſſe viſuros.

*De nouem Muſis.*

HVic etiam Apollini nouẽ deputant Muſas, ipſúmque decimum Muſis adiiciunt: illa videlicet cauſa, quòd humanę vocis decem ſint modulamina. vnde cum decachorda Apollo pingitur cithara. Sed & lex diuina

decachordon dicit pſalterium. Fit ergo vox quatuor dentibus econtrà poſitis, quos lingua percutit: è quibus ſi vno minus fuerit, ſibilum potius quàm vocem reddat neceſſe eſt. Duo labia velut cymbala, verborum commoda modulantia: lingua, vt plectrum quę curuamine quodã vocalem formar ſpiritũ: palatũ, cuius profert ſonũ: gutturis fiſtula, quæ tereti mearum ſpiritalẽ præbet excurſũ: & pulmo, qui velut aceruus foliis concepta reddit ac reuocat. Habes ergo nouem Muſarum vel Apollinis ipſius redditam rationem, ſicut in libris ſuis Anaximãder Lampſacenus: & Leophantes Heracleopolites exponunt: & quod alij firmant, vt Piſander Phyſicus, & Euxemenes in libro θεολογουμένων. Nos verò nouem Muſas doctrinæ atque ſcientiæ dicimus modos: hoc eſt, prima Clio, quaſi prima cogitatio diſcendi. κλέος enim Græcè fama dicitur: vnde & Homer. ἡμεῖς δὲ κλέος οἶον ἀκούομεν, οὐδέ τι ἴδμεν: id eſt, Nos verò ſolam famam audiuimus, neque quid ſcimus, & in alio loco, τοῦ κλέος εὐρὺ καθ' ἑλλάδα καὶ μέσον ἄργος. Et quoniam nullus ſcientiam quærit, niſi in qua famæ ſuæ protelet dignitatem, ob hanc rem prima κλειὼ appellata eſt, id eſt cogitatio quærendæ ſcientiæ. ſecunda, εὐτέρπη, quod nos latinè bene delectans dicimus, quòd primùm ſit ſcientiam quærere, ſecundum ſit delectari quod quæras. Tertia μελπομένη, quaſi μελέτην ποιουμένη, id eſt medicationem faciens permanere: vt primum eſt velle, ſecundum deſiderare quod velis, tertium inſtare meditando ad id quod deſideras. quarta θάλεια, id eſt capacitas, velut ſi dicatur τιθεὶς θάλειαν, id eſt ponens germina: vnde & Epicharmus comicus in Deiphilo comœdia ait: θαλλὸν, ὡς οὐ βλέπει, βούλιμος ἐπέπεξεν, id eſt, germen dum non videt, fames conſumit. Quintam πολύμνειαν, quaſi πολυμνήμην id eſt multam memoria facientem dicimus, quia poſt capacitatem eſt neceſſaria. ſexta ἐρατὼ, id eſt, εὗρον ὅμοιον, quod nos latinè inueniens ſimile dicimus: quia poſt ſcientiam & memoriam iuſtum eſt, vt aliquid ſimile & de ſuo inueniat. ſeptima τερψιχόρη, id eſt, delectans inſtructione: vnde & Hermes in Pimandrę libro ait: ἀκκεσ τέρψις καὶ κούφου σώματος, id eſt, abſque inſtructione eſcæ & vacuo corpore. Ergo poſt inuentionem oportet te etiam diſcernere ac diiudicare quod inuenias;

octaua οὐρανία, id eſt cœleſtis: poſt diiudicationē enim eligis quid dicas, quid deſpuas: eligere .n. vtile, caducúmq; deſpuere, cœleſte ĩgeniũ eſt. nona καλλιόπη, id eſt optimæ vocis: vnde & Homerus ait, θεᾶς ὀπὶ φωνησάσης, id eſt deæ vocē clamantis. Ergo hic erit ordo: primum eſt, velle doctrinā. ſecundum eſt, delectari quod velis. tertiũ eſt, inſtare ad id quo delectatus es. quartum eſt, capere idquod inſtas. quintum eſt memorari quod capis. ſextum eſt, inuenire de tuo ſimile ad id quod memineris. ſeptimum eſt, iudicare quod inuenias. octauum eſt, eligere de quo iudicas. nonum, bene proferre quod elegeris.

*Phaeton.*

HIc etiam cum Clymene nympha coiens, Phaetonta dicitur genuiſſe, qui paternos currus affectans, ſibi atque mundo concremationis detrimenta conflauit. Semper ergo ſol cum aqua coiens, aliquos fructus gignat neceſſe eſt, qui eo quod terris exilientes appareāt, phanontes dicuntur: φαίνων enim græcè apparens dicitur. qui quidem fructus ad maturitatem ſui, ſolis ardorem quærant neceſſe eſt: quo accepto, omnia feruoris incendio conſumantur. Huius etiam ſorores Arethuſa, Lampetuſa, quæ gemmeis ac tranſlucentibus fraterna deplorant guttis incendia, ſuccináque diruptis iaciunt inaurata corticibus. Soror etiam totius germinis arbor eſt, quæ vna eadémque feruoris humoríſque iugalitate gignuntur. Itaque iſtæ arbores, quæ ſuccinum ſudant, dum maturis frugibus ſolis feruor torrentibus ipſis Iunio Iulióque menſib. incendioſior cancri atque leonis tetigerit metas, tũc iſtę arbores æſtu valido fiſſis corticibus ſuccũ ſui liquoris, in Eridano flumine aquis durādũ, emittunt.

*De Typho, Sagittis, & Pythone.*

HIs Typhum quoque Apollinis adiiciunt, quòd ſol & præterita nouerit, & præſentia cernat, & viſurus ſit futura. Arcum verò huic ſagittáſque conſcribunt, ſiue quòd de circulo eius radij in modũ ſagittarum exiliant, ſeu quòd ſuorum radiorum manifeſtatione omnē dubietatis ſcindat caliginem. vnde etiam Pythonē ſagittis interemiſſe fertur: πίθω .n. græcè credulitas dicitur. & quia omnis falſa credulitas (ſicut ſerpentes) luce manifeſtante deprimitur, Pythonem eum interemiſſe dicunt.

*Quare ſine barba dicatur, cum pater dicatur.*

QVia occidendo & renaſcendo ſemper eſt iuuenior, ſic vt quòd nunquam in ſua virtute deficiat, vt luna quæ creſcit & minuitur.

*Mercurius.*

SI furtis præfuere dij, nō erat opus criminibus iudice, ex quo culpæ habuere cœleſtem autorem. Mercurium dicunt præfuiſſe negociis, virgam ferentem ſerpētibus nexam, pennatis quoque talaribus prẹditum. Hūc etiam internuncium, furatrinúmque deum. Quid ſibi verò huius nominis atque imaginis ſignificatio diſſerat, edicamus. Mercurium dici voluêre quaſi mercium curam. Omnis ergo negociator dici poteſt Mercurius.

*Quare pennas.*

PEnnata verò talaria, quòd negociantium pedes vbique pergendo quaſi pennati ſint.

*Quare virgam.*

VIrgam verò ſerpentibus nexam ob hoc adiiciunt, quod mercatoribus det aliquando regnum, vt ſceptrum: & vulnus, vt ſerpentium.

*Quare galerum, & gallum.*

GAlero enim tooperto capite pingitur, quòd omne negocium ſit ſemper abſconſum. Gallum quoque in eius ponunt tutelam, ſiue quòd omnis negociator ſemper inuigilet, ſeu quod ab eius cantu ſurgant ad peragenda negocia.

*Quare Hermes.*

HErmes quoque dicitur gręcè, ab eo ꝙ eſt ἑρμηνεῦσαι, quod nos latinè diſſerere dicimus: illa videlicet cauſa, quòd negociatori linguarum ſit diſſertio neceſſaria. ytraque enim regna permeare dicitur, ſuperna atque inferna: quòd modo ventis in altum nauigans currat, modò demerſus inferna tempeſtatibus appetat.

*Quare fur, quare celer dicatur.*

HVnc etiam deum & furti præſulem volunt, quòd nihil interſit inter negociantis rapinam atque periurium, furantíſque deierationem ac raptum. Stellam verò, quæ ϛίλβων græcè nuncupatur, quam ei pagani aſcribunt, ex quo etiam diei nomen inuenere, tanto celerior planetis omnibus currit, vt ſeptima die ſuos per-

meet circulos, quòd Saturnus xxiiij. annis,& Iupiter xij. poſſunt. vnde etiam Lucanus ait, Motúque celer Cyllenius hæret.

*Quare Argum occidiſſe dicatur.*

DEnique etiam Argum luminum populoſitate conſeptum interemiſſe fertur, dum oculorum immenſam vnius corporis ſegetem vbique viua circumſpectione florentem, ſingularis vulneris recurſum falcifero meſſuiſſet curuamine. Quid ſibi ergo tam fabuloſum Græciæ commentum velit? niſi quod etiam centum cuſtodes, totidémque aſtutos ſine negotiatione vagos (vnde & ἀργὸς græcè vagus dicitur) & furantis aſtutia, & negociantis circumuenit aſtutia, falſatáque cautela. Solet igitur alludere his ſpeciebus & honeſtè mendax Grçcia, & poëtica garrulitas, ſemper de falſitate ornata phalerarior, vt & Danaë hymbre aurato corrupta eſt, non pluuia, ſed pecunia.

*Ganymedes.*

ET raptum Ganymedem aquila non verè volucris, ſed bellica præda. Iupiter enim, vt Anacreon antiquiſſimus autor ſcripſit, dum aduerſus Titanas, id eſt Titani filios (qui frater Saturni fuerat) bellum aſſumeret, & ſacrificium Cœlo feciſſet, in victoriæ auſpicium, aquilæ ſibi adeſſe proſperum vidit volatum. pro quo tã felici omine, præſertim quia & victoria conſecuta eſt, in ſignis bellicis ſibi aquilam auream fecit, tutelæque ſuæ virtuti dedicauit. vnde & apud Romanos huiuſcemodi ſigna tracta ſunt. Ganymedem verò bellando his ſignis prçeuntibus rapuit, ſicut Europam in tauro rapuiſſe fertur: id eſt, in naue tauri picturam habente. & is idem in vacca ſimiliter, in naui huiuſcemodi picturæ. Denique vt hoc certius eſſe cognoſcas, nauigium Iſidis Ægyptus colit.

*De Perſeo & Gorgone.*

PErſeum ferunt Meduſæ Gorgonis interfectorem. Gorgones voluêre dici tres: quarum prima Stheno, ſecunda Euryale, tertia Meduſa: quarum quia fabulam Lucanus & Liuius ſcrîpſerunt, poëtæ grammaticorum ſcholaribus rudimentis admodum celeberrimi, hanc

fabulam referre ſuperfluum duximus. Theocritus antiquitatum hiſtoriographus refert Phorcũ fuiſſe regem, qui tres filias locupletes dereliquit. Quarum Meduſa maior, quæ fuerat locuples, regnúmque incolendo fructificandóque ampliauerat: vnde & Gorgon dicta eſt, quaſi georgon. nam γεωργοὶ græcè agricultores dicuntur. Serpentino verò capite ideo dicta eſt, quòd aſtutior fuerit. Cuius regnum opimum Perſeus inuadens, ipſam quidem interemit. Ideo volaticus dicitur, quòd nauibus venerit. cuius capite, id eſt, ſubſtantia ablata, ditior factus, non parua regna obtinuit. Denique & Atlantis regnum inuadens, quaſi per Gorgonis caput, id eſt per ſubſtantiam eius, eum in montem fugere compulit. Vnde in montem conuerſus dicitur eſſe. Tamen quid hac ſibi tam ſubtili ſub imagine ornatrix Græcia ſentire voluerit, edicamus. Gorgonas dici voluerunt tres, id eſt tria terroris genera: primus quippe terror eſt, qui mentem debilitat: ſecundus, qui profundo quodam terrore mentem ſpargit: tertius, qui non ſolum mentis intentum, verùm etiam caliginem ingerit viſus. vnde & nomina tres Gorgones accepere: σθενὼ enim græcè debilitas dicitur, vnde & ἀσθένειαν infirmitatem dicimus. ſecunda Euryale, id eſt, lata profunditas, vnde & Homerus πόλιν εὐρυάγυιαν, id eſt, Troiam latas vias habentem. Itaque Meduſam, quaſi μὴ ἰδοῦσαν, quòd videri non poſſit. Hos ergo terrores Perſeus adiuuante ſapientia interfecit. Ideò auerſus volat, quod virtus terrorem nunquam aſpicit. ſpeculum ergo ferre dicitur, quod omnis terror non ſolum in corde, ſed etiam in figura tranſeat. De ſanguine eius naſci fertur Pegaſus, in figuram famæ conſtitutus. Virtus enim, dum terrorem amputauerit, famam generat: vnde volare dicitur, quia fama eſt volucris. vnde Tiberianus: Pegaſus hinniens tranſuolat æthram. Ideo & Muſis fontem vngula ſua rupiſſe fertur, quòd Muſæ ad deſcribendum famam heroum, aut ſequantur priorum, aut indicent antiquorum.

## *De Admeto & Alceſte.*

SIcut nihil benigna ſuperius coniuge, ita nihil infeſta crudelius muliere. Quanto enim ſapiens pro viri

ſalute ſuam opponit animam pignori: tanto maligna ad mariti mortem etiam ſuam reputat nihili. Ergo coniunx, quantum iure coniunctior, tantum eſt aut morum dulcedine mellea, aut felle malitiæ toxica: eſt quippe aut perpetuale refugium, aut perenne tormentum. Admetus rex Græciæ Alceſtem in coniugio petiit: cuius pater edictum propoſuerat, vt ſi quis duas feras ſibi diſpares ſuo currui iungeret, ipſe illam in coniugio accepiſſet. Is igitur Admetus Apollinem atque Herculem petiit, qui ei ad currum leonem & aprum iunxerunt. Itaque Alceſten in coniugio accepit. Cúmque in infirmitatem Admetus decidiſſet, & mori ſe comperiſſet, Apollinem deprecatus eſt. Ille verò dixit ſe ei aliquid nolle præſtare, niſi ſi quis ſe de eius propinquis ad mortem pro eo voluntariè obtuliſſet. quod vxor fecit. Itaque Hercules dum ad tricerberum canem abſtrahendum deſcenderet, etiam ipſam de inferis leuat. Admetum poſuere in modum mentis, ideo Admetus nuncupatus eſt, quaſi quem adire poterit metus. Hic itaque in coniugio Alceſten deſiderat: ἀλκὴ enim græcè præſumptio dicitur: vnde & Homerus ait, ἀλλὰ οὐκ ἐςὶ βίη φρέσιν, οὐδέ τις ἀλκή, non eſt aliqua virtus in montibus, neque aliqua præſumptio. Ergo mens præſumptionem ſperans, ſibi coniungi duas feras ſuo currui ſubiungat, id eſt ſuæ vitæ duas virtutes aſciſcat, animi & corporis. leonem, vt virtutem animi: aprum, vt virtutem corporis. Denique & Apollinem & Herculem ſibi propitiet, id eſt ſapientiam & virtutem. Ergo præſumptio ſemet ipſam ad mortem pro anima obiicit, vt Alceſte. quam præſumptionem quamuis in periculo mortis deficientem, virtus de inferis reuocat, vt Hercules fecit.

# FVRII PVBLII FVLGENTII MYTHOLOGIARVM

## LIBER II.

STVDENS, mi Domine,tuo reuerendo imperio, meam ſtultitiã velut naufrago commiſi iudicio. bifida ambiguitate ſuſpenſus, vtrúmne lector quilibet laudet conſtructa, aut deſtruat laborata. Sed quia nullatenus hæc noſtram aut nomen extollunt, aut crimen officiũt, illo videlicet pacto. quod ſi ab his lector melius ſapit, deũ præferat,qui meliora cõceſſit.ſin verò ab his minus aliquid deſipit,ipſum præferat qui iſta contribuit. ergo & hæc non noſtra ſunt,ſed eius donum:& quę ampliora eueniunt,non hominis, ſed diuinũ eſt largimentũ. Sicut enim liuoris nota eſt,ſilere quod nouerã:ita crimen non eſt,enarrare quod ſenſeram. ergo ſi his amplius ſapis,lauda mentem puriſſimam , quæ quod habuit, non negauit.ſed ſi hæc antè neſcieras, habes arenam noſtri ſtudij,vbi tui exerceas palæſtram ingenij.

### *De iudicio Paridis.*

PHiloſophi tripartitam humanitatis voluerunt eſſe vitam,ex quibus primam theoricam,ſecundam practicam , tertiam philargicam voluêre : quas nos latinè contemplatiuam , actiuam , voluptariam nuncupamus. vt etiam Propheta ait : Beatus vir qui non abiit in concilio impiorum,& in via peccatorum non ſtetit , & in cathedra peſtilentiæ non ſedit:id eſt non abiit , non ſtetit,non ſedit. Prima igitur contemplatiua eſt,quæ ad ſapientiam & veritatis inquiſitionem pertinet,quam apud nos epiſcopi,ſacerdotes,ac monachi,apud illos philoſophi geſſerunt. Quos nulla lucri cupiditas,nulla furoris inſania,nullum liuoris toxicum,nullus vapor libidinis : ſed tantum indagandæ veritatis contemplandæque iuſticiæ cura macerat,fama ornat,paſcit ſpes. Secũda actiua eſt,quæ tãtum vitæ commodis anxia, ornatus petax,habendi inſatiata,rapiendi cauta,ſeruãdi ſollicita

geritur. Plus enim quod habeat cupit,quàm quod ſapiat quærit:nec conſiderat quin expediat,vbi intercedit quod rapiat. Denique ideo non præſtat ſtabile,quia non venit honeſtè. hanc enim vitam penes antiquos aliqui tyranni,penes nos mundus omnis gerit. Voluptaria verò vita eſt,quæ libidini tantummodò obnoxia,nullum honeſtum reputat bonum : ſed ſolam vitæ appetẽs corruptelam,aut libidine mollitur, aut homicidiis cructatur,aut rapina ſuccenditur,aut liuoribus rancidatur. Sed hoc penes illos Epicurei ac voluptarij, penes verò nos huiuſmodi vita natura,non crimen eſt : & quia bonum nemo gerit,nec naſci bonum licet. Id itaque conſiderantes poëtæ,trium dearum ponũt certamina,id eſt Mineruam,Iunonem & Venerem, de formæ qualitate certantes. Ideo verò Iouem non poſſe de his iudicare dixere, ſiue quòd præfinitum mundi iudicium ignorabat, ſiue quia in libertate arbitrij conſtitutum hominem crederent. Quod itaque ſi velut deus Iupiter iudicaſſet damnando duas,vnam tantummodò terris vitam dimitteret. Sed ideo ad hominem iudicium transferunt, cui liberum deligendi debetur arbitrium. Sed bene paſtor,quia non vt ſagitta certus,& iaculo bonus,& vultu decorus,& ingenio ſagaciſſimus. Denique brutũ quiddam deſipuit,&(vt ferarum ac pecudum mos eſt) ad libidinem potius limaces viſus intorſit, quàm virtutem aut diuitias inquiſiuit. Sed quid ſibi tres deæ de tribus vitarum ordinibus vendicent,edicamus.

*Minerua.*

PRimam vitam theoreticam, quam nos in contemplandæ ſapientiæ honore dicimus. Ideo de Iouis vertice natam dicũt,quia ingenium in cerebro poſitum ſit:ideo armatam, quòd munita ſit. Gorgona etiam huic addunt in pectore,quaſi terroris imaginem, vt vir ſapiens terrorem contra aduerſarios geſtet in pectore. Criſtam cum galea ponunt,vt ſapientis cerebrum & armatum ſit,& decorum. Vnde & Plautus in Trinummo ait:Fungino genere eſt,capite ſe totum tegit. Triplici etiam veſte ſubnixa eſt, ſeu quòd omnis ſapientia ſit multiplex, ſeu etiam quod celata. Longam etiam haſtam fert,quòd ſapientia longè verbo percutiat. Tripli-

ci etiam veſte, quod omnis ſapientia tecta extrinſecus varius agnoſcatur. In huius etiam tutela noctuam volunt, quòd ſapientia etiam in tenebris proprium fulgorem poſſideat. Inde etiam & conditricem Athenarum eam volunt. Minerua denique & ἀθήνη græcè dicitur, quaſi ἀθάνατος παρθένος: id eſt, immortalis virgo, quia ſapientia nec mori poterit, nec corrumpi.

*Iuno.*

IVnonem verò actiuæ præpoſuerunt vitæ. Iuno enim quaſi à iuuando dicta eſt. Ideo & regnis præeſſe dicitur, quòd hæc vita diuitiis tantum ſtudeat: ideo etiam cum ſceptro pingitur, quòd diuitię regnis ſint proximę. Velato enim capite Iunonem ponunt, quòd omnes diuitiæ ſint ſemper abſconſæ, deam etiam partus volunt, quòd diuitiæ ſemper prægnaces ſint, & nonnunquam abortiant. huius quoque in tutelam ponunt pauum, quòd omnis vitæ potentia petax in aſpectum ſui ſemper quærat ornatus. Sicut enim pauus ſtellatum caudæ curuamen concauans, anterius faciem ornat, poſterioráque turpiter nudat: vnde & Theophraſtus ait in Moralibus, τὰ ἄλλα σκέψασθαι, id eſt, Reliqua conſidera: & Salomon, In obitu hominis nudatio operum eius. Huic etiam Irim quaſi arcum pacis adiungunt, quòd ſicut etiam ille ornatus varios pingẽs arcuato curuamine momentaliter refugit: ita etiam fortuna quãuis ad pręſens ornata, tamen eſt citius fugitiua.

*Venus.*

TErtiam Venerem voluptariæ vitæ in ſimilitudinẽ poſuerunt. Venerem dici voluêre, aut ſecundũ Epicureos bonam rem: aut ſecundum Stoicos, vanam rem. Epicurei enim voluptatem laudant, Stoici voluptatem damnant. Iſti libidinem colunt, illi libidinem nolunt. vnde & ἀφροδίτη dicta eſt, ἀφρὸς enim græcè ſpuma dicitur, ſiue ergo, quòd ſicut ſpuma libido momentaliter ſurgat, & in nihilum veniat: ſiue quòd concitatio ipſa ſeminis ſpumoſa ſit. Denique ferunt poëtæ, quòd excectis falce Saturni virilibus, atque in mare proiectis, exinde Venus nata ſit. Illud nihilominus reſpondere volens poëtica vanitas, quòd Saturnus græcè κρόνος dicitur, χρόνος enim græcè tempus vocatur. Abſciſæ ergo vires tem-

poris,id eſt fructus falce quàm maximè,atque in humoribus viſcerum velut in mare proiectæ,libidinẽ gignant neceſſe eſt. Saturitatis enim abundantia libidinem creat. Vnde & Terentius ait: Sine Cerere & Libero friget Venus. Hanc etiam nudam pingunt, ſiue quòd nudos ſibi affectatores dimittat , ſiue quòd libidinis crimen nunquam celatum ſit,ſiue quòd non vnquam niſi nudis conueniat. Huic etiam roſas in tutelam adiiciunt. Roſæ enim & rubent & pungunt, vt etiam libido. Rubet verecundiæ opprobrio,pungit etiam peccati aculeo. & ſicut roſa delectat quidem,ſed celeri motu temporis tollitur:ita & libido libet momentaliter,& fugit perenniter. In huius etiam tutelam columbas ponunt, illa videlicet cauſa,quòd huius generis aues ſint in coitu feruidæ. Huic etiam tres Charites adiiciunt,duas ad nos cõuerſas,vnam à nobis auerſam, quòd omnis gratia ſimplex eat,duplex redeat. Ideo ſunt Charites, quia omnis gratia neſcit ſubtilem,ſed ornatum. Hanc etiam in mari natantem pingunt, quòd omnis libido rerum patiatur naufragia. Vnde & Porphyrius in Epigram.ait: Nudus,egens,Veneris naufragus in pelago. Concha etiam marina pingitur portari,quòd huius generis animal toto corpore ſimul aperto in coitu miſceatur,ſicut Iuba in Phyſiologis refert.

### *De Hercule, & Omphale.*

PArcite quæſo iudices humanis ardoribus.quid enim puerilis aut muliebris ſẽſus in amore efficiat,ex quo in libidinis pugna Herculea deſudat virtus. Mulieris enim illecebra maior eſt mundo:quia quem mundi magnitudo vincere non potuit,libido compreſſit. Inuaſit ergo virtutem de crimine fœmina, quam mereri non potuit de natura. Hercules enim amauit Omphalen, quæ eum perſuaſit & coli † delicatos eneruare contractus,& laſciuienti pollice fuſi teretem rotare vertiginẽ. *delegatos*
Hercules enim ἡρακλῆς græcè dicitur:id eſt, ἀνδρῶν κλέος, quod nos latinè virorum fortium famam dicimus. Vnde & Homerus ait, κλέος οἶον ἀκούομεν, id eſt ſolam famam audiuimus. Ideo & Alcæi nepos dicitur. ἀλκὴ enim græcè, præſumptio interpretatur. Nam & Alcmenam matrem habet, quaſi ἀλμοδεστέραν, quòd † græcè *latinè.*

ſalſugo dicitur. Nam ex igne igneus, vt ex Ioue: & ex præſumptione, vt ex Alcæo auo: & ex ſalſedine ſapientię, vt ex Alcmena quid naſcitur, niſi fortitudinis gloria, & tamen à libidine ſuperatur. ὄμφαλος enim græce dicitur vmbilicus. Libido enim in vmbilico dominatur mulieribus, ſicut lex diuina dicit: Non eſt pręciſus vmbilic' tuus. quaſi diceret, non eſt peccatum tuum amputatum. Nam & matrix illic catenata conſtringitur, vnde & epinephridia eodem loco firmandis fœtibus opponuntur. Oſtenditur ergo, quod libido, quamuis etiam inuictam poſſit ſuperare virtutem.

*De Caco, & Hercule.*

SI fumum fures eructuant, quis inuolantem dum negat agnoſcat? ergo aut caliginem aut fumum obiicit, ne agnoſci poſſit: aut in fumum vāneſcit ſubſtantia, quæ furtiuè ſuccedit. Cacus enim Herculis boues furatus eſſe dicitur, quos cauda in ſpelunca tractos abſcōdit, quem Hercules preſſo gutture interfecit. κακὸν enim græcè, malum dicimus. Ergo omnis malitia fumum eructuat, id eſt, aut quòd contraria ſit veritati, id eſt luci: aut quòd acerba ſit videntib⁹, vt fumus oculis: aut quòd ſēper occultas obſcuráſque cauillationes obiiciat. Ideo autem & duplex, quòd multiformis malitia non ſimplex ſit. Triplici etiam modo nocet malitia: aut in euidenti, vt potentior: aut ſubtiliter, vt falſus amicus: aut occultè, vt † impoſſibilis latro. Ideo etiam ſubtractos boues tranſuerſis ducit veſtigiis, quòd omnis malignus aliena vt inuadat, tranſuerſa defenſionis vtitur via. Ideo & bona Herculis concupiſcit, quia omnis malignitas contraria eſt virtuti. Denique in ſpelunca abſcondit, quia nunquam malignitas aperta liberiore fronte ſit, ſed virtus & malos interficit & ſua vindicat.

impotēris

*De Antæo, & Hercule.*

ANtæus enim in modum libidinis ponitur: vnde & ἀντίον græcè, contrarium dicimus. Ideo & de terra natus, quòd ſola libido de carne concipitur. Denique tacta terra, validior exurgebat. Libido enim quanto carni conſenſerit, tanto ſurgit iniquior. Denique à virtute gloriæ, quaſi ab Hercule ſuperatur. Nam denegato ſibi terræ tactu moritur, altiúſque eleuatus materna nō po-

tuit

fuit mutuari ſuffragia, quo euidentem ſuæ rei fabulam demonſtraſſet. Omnem enim mentem dum virtus in altum ſuſtulerit, & carnalibus eam etiam denegauerit aſpectibus, victrix ſtatim exurgit. Ideo etiam & diu in certamine dicitur deſudaſſe. quia rara eſt pugna, quæ cum concupiſcentia vitiiſque congreditur, ſicut Plato in Moralib. ait: Sapientes viri maiorem cum vitiis quàm cum inimicis pugnam gerunt. Nam & Diogenes Cynicus cum dolore ramicum torqueretur, & vidiſſet homines ad Amphitheatrum concurrentes, dicebat: Qualis hominum ſtultitia, currunt ſpectare feris homines repugnantes, & me prætereunt cum naturali dolore certantem.

## *Tireſias.*

TIreſias duos ſerpentes concumbentes vidit, quos cùm virga percuſſiſſet in fœminam conuerſus eſt. Iterum poſt temporis ſeriem eos concumbentes vidit, ſimiliterque percuſſis, iterum eſt in priſtinam naturam conuerſus. Ideóque dum de amoris qualitate certamen Iuno & Iupiter habuiſſent, eum quæſierunt. Ille dixit, tres vncias habere virum amoris, & nouem fœminam. Iuno irata ei lumen ademit, Iupiter verò ei diuinitatem conceſſit. Græcia enim quantum ſtupenda mendacio, tantum eſt admiranda commento. Tireſiam enim in modum temporis poſuere, quaſi θερεναίων, id eſt æſtiua perennitas: θέρος enim dicitur æſtas. Ergo ex verno tempore, quòd maſculinum eſt (quia eodem tempore clauſura ſoliditaſque eſt germinum) dum coeuntia ſibi affectu animalia viderit, eáque virga, id eſt feruoris æſtu percuſſerit, in fœmineum ſexum conuertitur, id eſt æſtatis feruorem. Ideo verò æſtatem poſuere in modum fœminæ, quòd omnia patefacta eodem tempore ſuis emergant folliculis. Et quia concipiendi duo ſunt tempora, veris & autumni, iterum conceptu prohibito ad priſtinam redit imaginem: Autumnus enim ita maſculino corpora omnia conſtringit, quo conſtrictis arborum venis vitalis ſucci commerciales trãſennas interius ſtringens, foliorum marculentam detundat caluitatem. Denique duobus diis, id eſt duobus elementis arbiter quæritur igni atque aëri, de genuina amoris ratione certan-

tibus. Denique iuſtum profert iudicium. In fructificandis enim germinibus dupla aëri quàm igni materia ſuppetit. Aër enim & maritat in glebis, & producit in foliis, & grauidat in folliculis. Sol enim maturare tantum nouit in granis. Nam ( vt hoc certum ſit ) cæcatur à Iunone illa videlicet cauſa, quòd hyemis tempus aëris nubilo caligante nigreſcat. Iupiter verò occultis vaporibus conceptionem ſtatim ei futuri germinis ſubminiſtrat, id eſt quaſi præſcientiam. Nam ob hanc rem Ianus bifrons pingitur, quòd & præterita & futura reſpiciat.

*Prometheus.*

NVlla quærantur vltrà terris munimina, dum vſque in cœlum peruenerint furta: aut quæ ſecuritas erit argenti & auri, vbi flamma potuit inuolari? Prometheum aiunt hominem ex luto finxiſſe, quem quidem inanimatum atque inſenſibilem fecerat. Cuius opus Minerua mirata, ſpopondit ei, vt ſi quid vellet de cœleſtibus donis, ad ſuum opus adiuuandum inquireret. Ille nihil ſe ſcire ait, quæ bona in cœleſtibus haberentur: ſed ſi fieri poſſet, ſe vſque ad ſuperos eleuaret: atque exinde, ſi quid ſuæ figulinæ congruum cerneret, melius iniret, id eſt propter ſeptem liberales artes, vel propter ſeptem planetas, qui in aere currunt, oculatus arbiter præſumpſiſſet. Illa inter oras ſeptẽplicis clypei ſublatum, cœlo opificem detulit. Dúmque videret omnia cœleſtia flãmatis animata vegetare vaporibus, clam ferulam phœbeacis applicans rotis, ignem furatus eſt: quem pectuſculo hominis applicans, animatum reddit corpus. Itaque ligatum eum vulturi feræ iecur perenne præbẽtem, vt Nicagoras in Diſthemithea libro, quem ſcripſit, primùm illum formaſſe idolum refert, ex eo quòd vulturi iecur præbeat, liuoris quaſi pingat imaginem. vnde & Petronius arbiter ait: Cui vultur iecur vltimũ pererrat, Et pectus trahit, intimáſque fibras, Non eſt quem tepidi vocant poëtæ, Sed cordis mala, liuor atque luxus. Nam & Ariſtoxenus in Epimetheiorum libro, quem ſcripſit, ſimilia profert. Enimuerò Prometheum quaſi πρoμήθειαν, quod nos latinè prouidentiam dicimus, ex dei prouidentia, & Minerua, quaſi cœleſti ſapientia ho-

minem factum. Diuinum verò ignem, quem voluêre, animam monſtrant diuinitus inſpiratam, quæ apud paganos dicitur de cœlis tracta. Iecur verò Prometheum vulturi præbentem; quòd nos cor dicimus, quia in corde aliquanti Philoſophorum dixerunt eſſe ſapientiam. Vnde & Iuuenalis ait: Si læua in parte papillæ Nil ſalit Arcadico iuueni. Denique vulturem in modum mundi poſuere, quòd mundus celeri quadam volucritate verſetur: & cadauerum naſcentium, occidentiúmque perennitate depaſcitur. Itaque alitur ac ſuſtẽtatur diuinę prouidentia ſapientiæ, quæ nec ipſa finiri nouit; nec mundus ceſſare ab eius elementis aliquatenus poſſit. Deniq; Pandoram dicitur formaſſe: pandora enim græcè omnium munus dicitur, quòd anima munus ſit omnium generale. πάνδωρον.

### *Adulterium Veneris.*

IVſtè vel Sol Veneris depalat adulterium, quatenus luna ſolet eius celare ſecretum. Venus enim cum Marte concubuit: quam ſol inueniens, Vulcano prodidit. Ille adamante catenas effecit, ambóſque religans diis turpiter iacentes oſtendit. Illa dolens quinque filias Solis amore ſuccendit: id eſt enim, Paſiphaen, Medeam, Phædram, Circen, Dircen. Quid ſibi de hoc poëtica alludat garrulitas, inquiramus: perſtant nunc in noſtra de hac fabula vita, certa admodum teſtimonia. Nam virtus corrupta libidine, ſole teſte apparet. vnde Ouidius in Metamorphoſeon ait: Videt hic deus omnia primus. Quæ quidem virtus corrupta libidine, turpiter catenata feruoris conſtructione tenetur. Hæc itaque quinque Solis filias, id eſt quinque humanos ſenſus luci ac veritati deditos, quaſi ſolis fœtus hac corruptela fuſcat. ob hanc rem etiam huiuſcemodi nomina quinque ipſis Solis filiabus voluere. Primam Paſiphaen, vt viſum; quaſi πασιφαιν, quòd nos latinè omnibus apparentem dicimus. Viſus enim reliquos quatuor ſenſus inſpicit; quia & eum qui clamat videt, & palpando notat, & deguſtando aſpicit, & odorando intendit.

Secundam Medeam, quaſi auditum, hoc ẽſt μηδὲ ἰδίαν, quòd nos latinè nullam viſionem dicimus. Quarta Phædra, quaſi odoratus, velut ſi dicatur,

φέρων ἡδὺν, quaſi afferens ſuauitatem. Quinta Dirce, ſaporis index, quaſi δεικνύων, quòd nos latinè acre iudicans dicimus.

*De Vlyxi, & Sirenibus.*

SIrenes græcè tractatoriæ dicuntur. Tribus enim modis illecebra amoris trahitur, aut cantu, aut viſu, aut conſuetudine. Amantur enim quædam ſpeciei venuſtate, quædam etiam lenocinante conſuetudine. Quas Vlyxis ſocij obturatis auribus tranſeunt. Ipſe vero religatus tranſit. Vlyxes enim græcè quaſi ὅλων ξένος, id eſt omnium peregrinus dicitur. Et quia ſapientia ab omnibus mundi rebus peregrina eſt, ideo aſtutior Vlyxes dictus eſt. Denique Sirenas, id eſt delectationum illecebras & audiuit & vidit, id eſt agnouit, & iudicauit, & tamen tranſit nihilominus. Ideo quia auditæ ſunt, mortuæ ſunt. In ſenſu enim ſapientis omnis voluptatis affectus emoritur. Ideo volatiles, quia mentes amantium permeant celeriter. Inde gallinaceos pedes quia libidinis affectus omnia quę habet, ſpargit. Denique & Sirenes dictę ſunt: σύρω enim græcè traho dicitur.

*Scylla.*

SCyllam ferunt virginem pulcherrimam, quam Glaucus Antedonis filius amauit, quem Circe Solis filia diligebat: iratáque Scyllæ fontem, in quo lauari ſolita erat, venenis infecit. Vbi illa deſcendens ab inguine, lupis canibúſque marinis inſerta eſt. Scylla enim grǽcè quaſi σκύλμων dicta eſt, quod nos latinè confuſionem dicimus. & quid confuſio niſi libido eſt? quam libidinem amat: Glaucus, γλαυκὸς enim græcè luſcioſus dicitur, vnde & glaucomata dicimus cæcitatem. Ergo omnis qui luxuriam amat, cæcus eſt. Nam & Antedonis filius dictus eſt. Antedon enim græcè, quaſi antidon, quod latinè contraria videns dicimus. ergo lippitudo ex contraria viſione naſcitur. Scylla enim in modum ponitur meretricis: quia omnis libidinoſa, canibus lupiſque inguina ſua neceſſe eſt miſceat. Iuſtè ergo lupis & canibus mixta, quia neſcit ſua alienigenis deuorationibus ſaturare ſecreta. Sed hanc Circe odiſſe dicitur. Circe, vt antè dictum eſt, manus diiudicatio, vel operatio nuncupatur, quaſi χειρῶν κρίσις. La-

borem enim manuum & operationem, libidinoſa mulier non diligit, ſicut Terentius ait: A labore procliue ad libidinem: accipit conditionem, dehinc quæſtum occipit. Hanc etiam Vlyxes innocuus tranſit, quia libidinẽ ſapientia contemnit.

*De Mida rege, & Pactolo fluuio.*

MIda rex Apollinem petiit, vt quicquid tetigiſſet, aurum fieret. Cúmque promeruiſſet, munus in vltionem conuerſum eſt, cœpítque ſui voti effectu torqueri. Nam quicquid tetigerat, aurum ſtatim efficiebatur. Erat ergo neceſſitas aurea, locupléſque penuria. nã & cibus & potus rigens auri materia, marmorabat. Itaque Apollinem petiit, vt mala deſiderata conuerteret. Reſponſóque accepto, tertio caput ſub Pactoli fluminis vndas ſubderet. Quo facto, Pactolus deinceps arenas aureas trahere dicitur. Sed euidenter poëtæ alluſerunt argutiam, illa videlicet cauſa, quòd omnis appetitor auaritiæ, cum omnia pretio deſtinat, fame moritur: quod & Mida rex erat. Sed collecta pecuniarum ſumma, vt Soſicrates Cigizenus in libris hiſtoriæ ſcribit, quòd omni cenſu ſuo Mida rex Pactoli fluuium (qui in mare currere ſolitus erat) per innumerabiles meatus ad irrigandam prouinciam deriuauit, ſuáque expenſa auaritia fluuium fertilem reddidit. Mida enim græcè quaſi μηδὲν εἰδὼν, id eſt, nihil ſciens. Auarus enim tantum ſtultus eſt, vt ſibi prodeſſe non norit.

*De Vulcano, & Mineruа.*

VVlcanus cum Ioui fulmen efficeret, ab Ioue promiſſum accepit, vt quicquid vellet præſumeret. Ille Mineruam in coniugium petiit. Iupiter impetrauit, vt Minerua armis virginitatem defendiſſet. Dúmque cubiculum introirent, certando Vulcanus ſemẽ in pauimentum eiecit, vnde natus eſt Erichthonius. ἔρις enim græcè certamen dicitur, χθὼν χθονὸς verò terra nuncupatur: quem Minerua in ciſta abſcondit, draconéque cuſtode appoſito, Aglauro & Pandoræ commendauit, qui primus currum reperit. Vulcanum dici voluêre, quaſi furiæ ignem: vnde & Vulcanus dicitur, veluti voluntatis calor, quaſi βουλίκαυτος. Denique Ioui fulgura facit, id eſt, furorem concitat. Ideo verò eum Mineruæ con-

iungi voluerũt, quòd furor etiam ſapientibus ſubrepat. Illa verò armis virginitatem defendit: hoc eſt, omnis ſapientia integritatem morum contra furiam virtute animi vindicat, vnde quidem Erichthonius naſcitur: ἔρις enim græcè certamen dicitur, χθὼν verò non ſolum terra, quantum etiam inuida dici poteſt. vnde & Thales Mileſius ait, ὦ χθὼν δόξης κοσμικῆς ὑφροῦσα, id eſt inuidia mundanæ gloriæ conſumptio. & quid nã aliud ſurripiẽs ſapientiæ furor generare poterat, niſi certamen inuidię? Quod quidem ſapientia, id eſt, Minerua, abſcondit in ciſta, id eſt in corde celat. ergo Minerua draconem cuſtodem apponit, id eſt perniciem: quem quidem duabus commendat virginibus, id eſt Aglauro & Pandoræ. Pandora enim vniuerſale dicitur munus. Aglauro verò quaſi ἀχόληθον, id eſt triſtitiæ obliuio. Sapiens enim dolorem ſuum aut benignitati commendat, quæ omnium munus eſt: aut obliuioni, ſicut de Cæſare dictum eſt: Qui obliuiſci nihil amplius ſoles quàm iniurias. Denique cum Erichthonius adoleſceret, quid inueniſſe dicitur? nihilominus currum, vbi inuidiæ ſemper certamen eſt. vnde Vergilius: Primus Erichthonius currus, & quatuor auſus Iungere equos. Inſpicite, quantum valeat cum ſapientia iuncta caſtitas, cui flammarum non præualuit deus.

*Dyoniſius.*

IVpiter cum Semele concubuit, de qua natus eſt Liber pater. ad quam cum fulmine veniens, crepuit. Vnde pater puerum tollens, in femore ſuo miſit, Maroni poſtea nutriendum dedit. Hic Indiam debellauit, & inter deos deputatus eſt. Itaque cum Semele quatuor ſorores appellatæ ſunt, Ino, Autonoe, Semele & Agaue. Quid ſibi hæc fabula ſentiat, exquiramus. Quatuor ſunt ebrietatis genera, id eſt prima vinolentia, ſecunda rerum obliuio, tertia libido, quarta inſania. Vnde & nomina hæc quatuor Bacchæ acceperunt. Bacchæ dictæ ſunt, quaſi vino vacantes. prima Ino, οἶνος græcè, latinè vinum dicimus. ſecunda Autonoe, quaſi αὐτονοῦ, id eſt ſeipſam non cognoſcens. tertia Semele, quaſi σωμαλύειν, quòd nos latinè corpus ſolutum dicimus: vnde & ipſa

genuiſſe Liberum patrem dicitur, id eſt de libidine nata ebrietas. quarta Agaue, quæ ideò inſaniæ comparatur, quòd caput filij violenter abſcidit. Liber verò pater dictus eſt, quia vini paſſio liberas mentes faciat. Indos verò viciſſe, quòd hæc gens valde ſit vino dedita, duobus ſcilicet modis: ſiue quia feruor ſolis eos faciat potare, ſiue quia ibi ſit Seraptenum vinum, vel Meroitanum: cuius vini tanta virtus eſt, quo vix quilibet ebrioſus ſextarium toto menſe bibat. Vnde & Lucanus ait: Indomitum Meroe cogens ſpumare falernum. aqua enim omnino domari non poteſt. Maroni etiam Dionyſius nutriendus datur, quaſi Meroni. Mero enim omnis nutritur vinolentia. Hic etiam tigribus dicitur inſidere, quòd omnes vinolentia feritati ſemper inſiſtat. Siue etiam, quia vino efferatæ mentes mulceantur. vnde & Lyæus dicitur, quaſi lenitatem præſtans. Iuuenis verò ideo pingitur Dionyſius, quia nunquam ebrietas matura eſt. Ideo etiam nudus, quia omnis ebrioſus interuertendo nudus remaneat, aut mentis ſuæ ſecreta ebrioſus nudet.

### *De Cygno, & Leda.*

QVamuis in omnibus libidinis amor turpior ſit, nunquam tamen deterior erit, quàm ſe honorato miſcuerit. Libido enim honeſtatis nouerca, dum quid expediat neſcit, ſemper eſt maieſtati contraria. Qualis enim diuinitas eius qui ſit, quod eſſe velit, ne quidem quod fuerat eſſet, conuerſus in cygnum, cum Leda concubuit, quæ peperit ouum, vnde nati ſunt tres, Caſtor, Pollux, & Helena. Sed hæc fabula myſtici ſaporem cerebri concipit. Iupiter enim in modum potentiæ ponitur. Leda verò dicta eſt, quaſi λοίδη, quòd nos latinè aut iniuriam, aut conuicium dicimus. ergo omnis potentia iniuriæ mixta, ſpeciem ſuæ generoſitatis mutat. Ideo verò in cygnum conuerſus dicitur, quòd ferunt phyſiologi: quàm maximè Meliſſus Euboicus, qui omniū phyſiologorum ſentētias diſputauit, huius generis auem cōuiciis ita eſſe plenā, vt ipſa aue clamāte, reliquæ aues taceāt, quæ preſto fuerint: vnde & olor dictus

eſt,quaſi ab oligora tractum, quod nos latinè iniuriam dicimus.ergo quotieſcunque nobilitas in iniuriam vergit,conuiciis miſceatur neceſſe eſt. Sed quid ex hac re concipitur,videamus. Nihilominus ouum,quia ſicut in ouo omnis ſordities,quæ purgari poteſt in igne, continetur intrinſecus : ita etiam in effectu iniuriæ omnis eſt immunditia. ſed ex hoc ouo generantur tres, Caſtor, Pollux,& Helena. Nihilominus ſeminarium ſcandali & diſcordiæ, ſicut antea diximus, & geminum luctum concuſſit adultera mundo. Caſtorem verò & Pollucem, quaſi in modum perditionis ponunt, vnde & in mari Caſtorum ſigna dixerunt,quæ periculum creant. Nam ob hanc rem etiam ambos alternatim reſurgere atque occidere dicunt, quod ſuperbia nonnunquam viuat, nonnunquam occidat.Vnde & ὑπερηφανία græcè, ſuperbia dicitur. ſed ὑπερφανεία propriè ſuperapparitio dicitur, quia in iſtis duobus ſignis quę eorum vocabulo fratrum nuncupauere,vnus ſuperappareat,alter vergat : ſicut lucifer,& antifer.nam græcè Pollux, ἀπὸ τοῦ ἀπολλύειν, id eſt à perdendo,& Caſtor quaſi κακὸν ὕστερον, id eſt, malum extremum.

*Ixion.*

QVi plus quærit quàm liceat eſſe, minus erit quàm eſt.Ixion igitur coniugium Iunonis affectans, illa nubem ornauit in ſpeciem ſuam,cum qua Ixion coiens, centauros genuit.Sicut nihil latina gratioſius veritate, ita nihil græca falſitate ornatius.Denique Ixionem dici voluêre,quaſi axionem. ἀξιώσις enim græcè dignitas dicitur. Dea verò regnorum Iuno eſt,vt pridem diximus. ergo dignitas regnum affectans nubem meretur, id eſt ſimilitudinem regni. Regnum enim illud eſt, quod perenniter duraturum eſt. At verò cui temporis fugitiua vis inuidet, pinnatíſque celerrima raptibus momentaneæ felicitatis figuras potius quàm veritatem oſtendens,ventoſitatis inanem ſpeciem præſumit. Denique Beatinius augur dicere ſolitus erat, diuerſarum vrbium honores † ſomnialiter peragi † vrbicario mimologo : & quamuis vtraque nihil agere dixerit, tamen hoc Romæ præſtare viſus eſt,quòd ex parte quidem veros honores,ſed riſorios,ſed citius fugitiuos.

*ſimiliter rubricario.*

Credo enim quòd de Theophili philoſophi ſententia legerat, dicentis, μίμος ὁ βίος: id eſt, mimus vita. Nunc ergo fabulam repetamus. Dromocrides in Theogonia ſcripſit. Ixionem in Græcia primùm regni gloriam affectaſſe, qui ſibi centum equites primus omnium acquiſiuit. Vnde & Centauri dicti ſunt, quaſi centum armati. Denique Centhippi dici debuere, ex quo etiam equis mixti pinguntur, ſed ideo centum armati: qui quidem Ixion paruo tempore celere regnum adeptus, dehinc regno expulſus eſt. Vnde & eum ad rotam damnatum dicunt, quòd omnis rotæ vertigo, quæ ſuperiora habet, modò deiiciat. Ergo oſtendere hic voluerunt, quòd omnes qui per arma atque violentiam regnum affectāt, ſubitò erectiones, ſubitò eliſiones ſuſtineant, ſicut rota, quæ ſtabile non habet aliquando cacumen.

*Tantalus.*

TAntalum dicunt in lacum inferni depoſitum, cui fallax aqua guloſis labia titillamentis attingit: poma quoque fugitiuis cinereſcentia tactibus deſuper facietenus apparent pendula. Ergo hic locuples viſus & pauper effectus, ita ſe illa vnda fallax præbet, vt ſitiat: ita ſe poma ingerunt, vt eſuriat. Hanc fabulam Petronius breuiter exponit, dicens:

*Nec bibit inter aquas, nec poma patentia carpit*
*Tantalus infelix, quem ſua vota premunt.*
*Diuitis hæc magni facies erit, omnia latè*
*Qui tenet, & ſicco concoquit ore famem.*

*De Proſerpina & Endymione.*

LVnam ideo ipſam voluerunt etiam apud inferos Proſerpinam dici, ſeu quòd nocte luceat, ſeu quòd humilior currat, & terris præſit, illo videlicet pacto, quòd detrimenta eius & augmenta non ſolùm terra, ſed & lapides, vel cerebra animantium, & (quod magis incredibile fit) etiam lætamina ſentiant, quæ in lunæ crementis eiecta vermiculos parturiunt. ortis ipſam etiam Dianam nemoribus volunt ſimili modo, quòd arborum & fruticum ſucco augmenta inculcet. Denique crementis lunæ abſciſa ligna furfuraceis tinearũ terebraminibus fiſtuleſcunt. Nemoribus quoque adeſſe dicitur, quia

omnis venatio plus nocte paſcatur. diéque dormiat. Endymionem verò paſtorem amaſſe dicitur, duplo ſcilicet modo: ſeu quod primus hominum Endymion curſum lunæ inuenerit, vnde & 30. annis dormiſſe dicitur, qui nihil aliud in vita ſua, niſi huic repertioni ſtuduit, ſicut Mnaſeas in primo libro de Europa ſcribens tradidit. ſiue paſtorem Endymionem amaſſe fertur, quia nocturni roris humor, quem †aporria ſiderum atque ipſius lunæ animandis herbarum ſuccis inſudat, paſtoralibus proſit ſucceſſibus.

ἀπόῤῥοια

# FVRII PVBLII FVLGENTII MYTHOLOGIARVM

## *LIBER III.*

INSCIENTIAE formidoloſa ſuſpectio ſemper excuſandi quęrit ſuffragia. Quo quicquid ignorantia incurſionum marter peccauerit, id veniæ abſoluat petitio, quæ culpas veſtire conſueuit. Sed quia nunquam de ſe malè æſtimat ſermo, qui ad amantem iudicem mittitur, idcirco meæ ſimplicitatis negocium tuo Domine puriſſimo commiſi iudicio, fretus, quicquid abſurdè digeſtum eſt, non vt inuidus detrahis, ſed vt doctiſſimus corrigis.

*Bellerophon.*

PRœtus rex vxorem habuit Antiam nomine, quæ amauit Bellerophontem. cui dum ob ſtupri cauſam mandaſſet, ille noluit, quem marito criminata eſt. Ille eum ad chimæram interficiendam miſit per ſocerum ſuum. Quam Bellerophon equo Pegaſo reſidens interfecit, qui de Gorgonis ſanguine natus fuerat. Bellerophonta poſuerunt, quasi βουληφόροντα, quod nos latinè ſapientiæ conſiliatorem dicimus. ſicut Homerus ait: οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα: id eſt, nec decet tota nocte dormire conſiliatorem virum.

Nam & Menander ſimiliter in diſexapoto comœdia ita ait, βουληφόρε ἡμῶν δὲ μοὶ προσύλαβες ὕδατον: id eſt,

conſiliare noſtram de mea præoccupauiſti viſionem. Nam vt hoc certum ſit, Homerus in fabula eiuſdē Bellerophontis ita ait, πῶδ' ἀγαθὰ φρονέοντα δαΐφρονα βελλεροφόντην: id eſt, bona cogitantum ſapientiſſimum conſilium. Spernit libidinem, id eſt Antiam. ἀντὶ enim Græcè contrarium dicitur: ſicut antichriſtum dicimus, quaſi ἀντίον τῶ χριστῶ, id eſt contrarium Chriſto. Vide itaque cuius vxor Antias dicatur, nihilominus Prœti. Prœtos Pamphila lingua ſordidus dicitur, ſicut Heſiodus in Bucolico ſcribit dicens.* id eſt, ſordibus vuarum bene calcatarum ſanguineo rore. & cuius vxor eſt libido niſi ſordidi? At verò Bellerophon, id eſt bona conſultatio, qualem equum ſedet niſi Pegaſum? quaſi pegaſeon, id eſt fontem æternum. Sapientia enim bonæ conſultationis æternus fons eſt. Ideo pennatus, quia vniuerſam mūdi naturam celeri cogitationum theoria colluſtrat. Ideo & Muſarum fontem vngula ſua rupiſſe fertur. Sapientia enim dat Muſis fontem. ob hanc rem etiam ſanguine Gorgoneo naſcitur. Gorgō enim pro terrore ponitur. Ideo & Mineruæ pectore fixa eſt, ſicut Hom. in 13. ait.* Ergo hic duplex aſſertatio eſt. Aut enim terrore finito ſapientia naſcitur, ſicut de ſanguine, id eſt de morte Gorgonis pegaſus, quia ſtultitia ſemper eſt timida: aut initium ſapientiæ timor eſt, quia & magiſtri timore ſapientia creſcit. & dum quis famam timuerit, ſapiēs erit, vnde & chimæram occidit. Chimæra enim quaſi κῦμα ἔρωτος, id eſt fluctuatio amoris. Ideo etiam triceps Chimæra pingitur, quia amoris tres modi ſunt, hoc eſt incipere, perficere, & finire. Dum enim amor nouiter venit, vt leo feraliter inuadit: vnde & Epicharmus comicus ait, δαμάστης ἔρως λεοντείᾳ δυνάμει θρασύτερος. id eſt, domitor cupido leontea virtute præſumptior. Nam & Vergilius in Georgicis tetigit, dicens: Catulorum oblita leæna Sæuior errauit campis. At verò capra quæ in medio pingitur, perfectio libidinis eſt, illa videlicet cauſa, quòd huius generis animal ſit in libidine valde procliuū. Vnde Vergilius in Bucolis ait, Hœdíq; petulci. Ideo & ſatyri cum caprinis cornibus depinguntur, quia nunquā nouere ſaturari libidine. At verò quod dicitur, Poſtremū draco: illa ratione ponitur, quia poſt perfectionē vulnus det

pœnitentiæ, venenúmque peccati. erit enim hic ordo dicendi, quòd primum ſit in amore inchoare, ſecundũ perficere, tertium verò pœnitere de perfecto vulnere.

*Perdix.*

SEmper delicata conſuetudo laborioſo fert præiudicium operi, & mollitur educatu, dúmque quòd non optat euenerit, pœnitentiam creat. Melius eſt enim laborare partiliter, ſecurius edoceri, quã ex neceſſitate veniente repentaliterperterreri. Perdicem ferunt venatorẽ eſſe. qui quidem matris amore correptus, dum vtrinque & immodeſta libido ferueret, & verecundia noui facinoris reluctaretur, conſumptus, atque ad extremam labẽ deductus eſſe dicitur. Primus etiam ſerram inuenit, ſicut Vergilius ait: Nam primi cuneis ſcindebant fiſſile lignum. Sed vt Feneſtella Martialis ſcribit, hic primùm venato r fuit. Cui cum ferinæ cædis cruenta vaſtatio, & ſolitudinem vagabunda errando curſilitas diſpliceret, plúſque etiam videns contheroletas ſuos, id eſt Actæonem, Adonin, Hippolytum, miſerandæ necis functos interitu, artis priſtinæ affectui mittens repudiũm, agriculturam affectatus eſt. ob quam rem matrem quaſi terram omnium genitricem amaſſe dicitur. Quo labore conſumptus etiam ad maciem perueniſſe fertur. & quia cunctis venatoribusde priſtinę artis opprobrio detrahebat, ſerram quaſi maliloquium dicitur reperiſſe. Matrem etiam Polycaſten habuit, quaſi polycarpen, quod nos latinè multifructam dicimus, id eſt terram.

*Actæon.*

CVrioſitas ſemper periculorum germana, detrimenta ſuis amatoribus nouit magis parturire quã gaudia. Actæon denique venator Dianam lauantem vidiſſe dicitur: qui in ceruum conuerſus, à canibus ſuis non agnitus, eorum morſibus deuoratus eſt. Anaſimenes (qui de picturis antiquis diſſeruit) in lib. 2. ait, venationem Actæonem dilexiſſe; qui cum ad maturam perueniſſet ætatem, conſideratis venationum periculis, id eſt, quaſi nudam artis ſuæ rationem videns, timidus factus eſt: vnde & cor cerui habere dicitur. vnde & Homerus ait: οἰνοβαρὲς, κυνὸς ὄμματ᾽ ἔχων, κραδίην δ᾽ ἐλάφοιο, id eſt, ebrioſe, oculos canis habens, & cor cerui. Sed dum peri-

culum venandi fugeret, affectum tamen canũ nõ dimiſit:quos inaniter paſcendo penè omnem ſubſtantiã perdidit.ob hanc rem à canibus ſuis deuoratus dicitur eſſe.

*De Hero & Leandro.*

AMor cum periculo ſæpe concordat: & dum ad illud ſolum natat quod diligit:nũquam videt,quod expedit.ἔρως enim Græcè amor dicitur. Leandron verò dici voluerunt,quaſi λύσιν ἀνδρῶν, id eſt virorum ſolutionem.Solutio enim viri amorem parturit. Sed natat nocte, id eſt obſcuro tempore tentat pericula. Herò quoque in amoris ſimilitudine fingitur lucernam ferre. & quid aliud amor,niſi flammam fert,& deſideranti periculoſam viam oſtendit:citò tamen extinguitur, quia iuuenilis amor non diu perdurat. denique nudus natat, illa videlicet cauſa,quòd ſuos affectatores amor & nudare nouerit,& periculis ſicut in mari iactare.Nam extinctá lucerna, vtriuſque mors eſt procurata maritima: hoc in euidenti ſignificans,quòd in vtroq; ſexu vapore ætatis extincto, libido commoritur.In mari verò mortui feruntur,velut in humore frigidæ ſenectutis.omnis enim calorate iuuentutis igniculus tepidæ veternoſitatis algeſcit in ſenio.

*De Berecynthia,& Atti.*

DEcepta Græcia credulitate dęmonum potius quàm deorum, nunquam deterius ſuis diis reponeret, quàm vt eorum matrem veternoſam anum, non ſolum puerilem amatu,quantum etiam fingerent Zelotypam. Tantum enim Zeli ſuccenſa anus inuidioſa flagrauit, quæ nec ſuis vtilitatibus furioſa pepercit,vt vnde fructũ ſperabat libidinis,illud veterana ſuccideret meretrix.Et quamuis apud muliebres animos libido obtineat regnũ, tamen etiam inuicta libidine Zelus obtinet dominatũ. Berecynthia enim mater deorum Attin puerum formoſiſſimum amaſſe dicitur, quem zelo ſuccenſa caſtrando ſemimaſculum fecit.Quid ergo ſibi in his Græcia ſentire voluerit,edicamus.Berecynthiam dici voluêre,quaſi mortuam dominam. Ideo matrem deorum,quod Deos nuncupari per ſuperbiam voluêre. Ideo eos in Olympo habitantes, quaſi excelſos & ſuperbos. ideo & dæmonas nuncupant ſecundum Homerũ qui dicit, μετὰ δαίμονα-

νας ἄλλους, id eſt poſt deos alios. δῆμος enim Græcè populus dicitur. is dicitur vnus: & quia populos ſubdere cupiebant, & ſoli ſuper populos eſſe, dæmones dicti ſunt. Ideo & apud Romanos Indigetes. Ergo Berecynthiam mõtibus præeſſe dixerunt Bernicynthos. Cynthos enim Attica lingua flos nuncupatur: vnde hiacynthus dicitur, quaſi ἰάκινθος. quod nos Latinè ſolus flos dicimus, quaſi omnibus perfectior. Nam & Epicharmus ita ait: πυγκάρπος στέφανος, καὶ παρὰ ἀκτῶν προβαίνει ὁ χρυσάλος. id eſt, florigera corona, atque è litoribus procedit chryſalus. Itaque florem quamuis quilibet amet, tamen abſcindit, vt Berecynthia in Attin fecit, † athis enim Græcè flos dicitur, vt Soſides Atticus in libro Theologumenon, quem appellauit, ſcribit matrem Deûm, in modum potentiæ voluiſſe poni: vnde Cybele dicitur quaſi cydos baleon, id eſt gloriæ firmitas. vnde & Homer. ait: Cui Iupiter gloriã donauerat. Ergo ideo turrita pingitur, quòd omnis potentiæ elatio ſit in capite. Ideo leonum currui præſidens, quia omnis potentia regno ornata ſit. Sceptrum etiam fert, quòd omnis potentia vicina regno ſit. Ob hanc rem etiam mater Deûm dicta eſt. illud nihilominus oſtendere volentes, quòd ſiue Indigetes, ſiue dij, ſiue dæmones apud antiquos à diuitiis dicti ſunt. ergo potẽtia diuitum mater eſt. vnde & Homerus Agamemnõnem conſiderans, ait, ἀτρεΐδη τὸν δ' αὖτ' ἐπιμέμφεαι ἠδὲ χατίζεις. Nec non etiam Euripides conſimilans Tantalum Ioui in tragœdia Electræ ait: Beatus ille, nec inuideo fortunas eius Iouis æqualis, vt dicitur Tantalus. Ergo potentiæ gloria ſemper & amore torretur, & liuore torquetur: citóque abſcindit quod diligit, dum tamen amputet illud, quod odit. Denique omnis nunc vſque potẽtia neſcit circa ſuos diuturnũ ſeruare affectum: & quod amauerit citò, aut celando amputat, aut faſtidiẽdo horreſcit. & Attin dici voluerunt quaſi ἔθος. ἔθος enim Græcè conſuetudo dicitur. Ergo quantuſcunque amor ſit, potentibus ſtabilis eſſe non nouit.

*Anthos*

### *De Pſychi, & Cupidine.*

APuleius in libris Metamorphoſeon hanc fabulam planiſſimè deſignauit, dicens eſſe in quadam ciuitate regem & reginam. habere tres filias, duas natu ma-

iores,eſſe temperata ſpecie:iuniorem tam magnificæ eſſe figuræ,vt crederetur Venus eſſe terreſtris. Denique duabus maioribus quæ erant temperata ſpecie, connubio Venere.illam verò veluti deam,non quiſquam amare auſus,quàm venerari pronus,atque hoſtiis ſibimet deprecari. Contaminata ergo honoris maieſtate, Venus ſuccenſa inuidia, Cupidinem petit, vt in contumacem formam ſæuiter vindicaret. Ille ad matris vltionem adueniens, viſam puellam adamauit: pœna enim in affectum conuerſa eſt, & vt magnificus iaculator ipſe ſe ſuo telo percuſſit.Itaque Apollinis denunciatione iubetur puella in montis cacumine ſola dimitti,velut feralibus deducta exequiis,pennato ſerpenti ſponſo deſtinari.perfecto nãque choragio puella per montis decliuia Zephyri flantis leni vectura delapſa,in quandam domũ auream rapitur, quæ precioſa ſine precio, ſola conſideratione laude deficiente poterat exiſtimari. Ibique vocibus tantummodo ſeruientibus,ignota atque manſionario vtebatur coniugio. Nocte enim adueniens maritus, Veneris prælijs obſcurè peractis, vt inuiſè veſpertinus aduenerat, ita crepuſculo incognitus etiam diſcedebat. Habuit ergo vocale ſeruitium, ventoſum dominium, nocturnum commercium, ignotum coniugium. Sed ad huius mortem deflendam ſorores adueniunt: montiſque conſcenſo cacumine, germanum lugubri voce flagitabant vocabulum. & quamuis ille coniunx lucifuga ſororios ei comminando vetaret aſpectus, tamen conſanguineæ charitatis inuincibilis ardor maritale obumbrauit imperium. Zephyri ergo flagrantis auræ anhelante vectura ad ſemet ſororios perducit affectus: earúmque venenoſis conſiliis de mariti forma quærenda conſentiens, curioſitatem ſuæ ſalutis nouercam arripuit:& facillimam credulitatem, quæ ſemper deceptionum mater eſt, poſtpoſito cautelæ ſuffragio arripuit. denique credens ſororibus ſe marito ſerpenti coniunctam, velut beſtiam interfectura nouaculam ſub puluinari abſcondit, lucernámque modio contegit.Cúmque altum ſaporem maritus extenderet,illa ferto armata,lucernáque modio cuſtodita eruta,Cupidine cognito,dum immodeſto amoris torretur

affectu, ſcintillantis olei deſputamento maritum ſucceſſit. Fugienſque Cupido, multa ſuper curioſitate puellæ increpitans, domo extorrem ac profugam dereliquit. Tandem multis iactata venenis, perſecutionibus, poſtea Ioue petente, in coniugio Cupidinem accepit. Poteram quidem totius fabulæ ordinem hoc libello percurrere, qualiter & ad infernum deſcenderit, & ex Stigiis aquis vndam delibauerit. & ſolis armenta vellere ſpoliauerit, & ſeminum germina confuſa diſcreuerit, & de Proſerpinæ pulchritudine particulam moritura præſumpſerit. Sed quia hæc Saturantius & Apuleius pene duorum continentia librorum tantam falſitatum congeriem enarrauerit, & Ariſtophantes Athenæus in libris, qui Dyſereſtia nuncupantur, hanc fabulam enormi verborum circuitu diſcere cupientibus prodit: ob hanc rem ſuperuacuum duximus ab aliis digeſta noſtris inſerere libris, ne noſtra opera aut propriis exultemus officiis, aut alienis adiiceremus negociis. Sed dum his, qui fabulam legent, in noſtra hæc tranſeat, ſciturus quòd ſibi illorum falſitas ſentire voluerit. Ciuitatem poſuerunt quaſi in modum mundi, in qua regem & reginam velut Deum & materiam poſuerunt. quibus tres addunt, carnem vltrò metãtem, quam libertatem arbitrij dicimus, & animam: ψυχη enim Græcè anima dicitur, quam ideo iuniorem voluerunt, quòd corpori iam facto poſtea inclytam eſſe dicebant. Hanc igitur ideo pulchriorem, quòd & libertate ſuperior, & carne nobilior. huic inuidet Venus, quaſi libido, ad quam perdendam Cupidinem mittit. Sed quia cupiditas eſt boni & mali, cupiditas animam diligit, & ei velut in coniunctionem miſcetur: quam perſuadet, ne ſuam faciem videat, id eſt cupiditatis delectamenta diſcat. vnde & Adam, quamuis videat nudum ſe, non videt, donec de concupiſcentiæ arbore comedat. Néve ſuis ſororibus, id eſt carni & libertati, de ſuæ formæ curioſitate perdiſcenda conſentiat: ſed illarum compulſamento perciſcenda, lucernam de ſubmodio eiecit, id eſt deſiderij flammam in pectore abſconſam depellit, viſam taliter dulcem amat, ac diligit. quam ideo lucernæ ebullitione dicitur incendiſſe, quia omnis cupiditas quantum diligitur,

diligitur,tantum ardeſcit,& peccatricem ſuæ carni confingit maculam.ergo quaſi cupiditate nudata, ex potenti fortuna eruitur,& periculis iactatur,& regia domo expellitur.Sed nos,quia longum eſt,vt dixi, omnia perſequi,tenorem dedimus ſentiendi. Si quis verò in Apuleio ipſam fabulam legerit,noſtra expoſitionis materia, quæ non diximus,ipſe reliqua cognoſcat.

*De Peleo, & Thetide.*

THetidem dici voluerũt aquam.Iupiter, quaſi deus, coniungit Peleo: πηλὸς enim græcè lutum dicitur. ergo terram cum aqua commixtam volunt homines genuiſſe:vnde & Iouem cum Thetide voluiſſe concumbere dicunt; & prohibitum eſſe, ne maiorem ſe genuiſſet,qui eum de regno expelleret. Ignis enim, id eſt Iupiter,ſi cum aqua coeat,aquæ virtute extinguitur. Ergo in coniunctione aquæ & terræ, id eſt Thetidis & Pelei diſcordia,ſola non petitur:illa videlicet cauſa,aut quòd concordia vtrorumque elementorum homo gignatur. Nam & in competentia illa indicat,quod Peleus,vt terra,id eſt caro,Thetis vt aqua,id eſt humor, Iupiter qui vtraque gignit, vt ignis, id eſt anima. ergo in conceptione hominis & elementorum,iugalitates tres (vt ſuprà diximus) vitæ certantur. Nam & diſcordia malum aureum iecisse dicitur,id eſt cupiditatem: illa videlicet cauſa,quòd in malo aureo eſt quod videas,non eſt quod comedas.Sicut cupiditas nouit habere, non nouit frui. Omnes etiam deos Iupiter ad nuptias dicitur conuocaſſe,illa de cauſa,quòd putarent ethnici ſingulas partes in homine deos ſingulos obtinere, vt Iouem caput, Mineruam oculos, Iunonem brachia, pectus Neptunum,cinctum Martem,renes & inguina Venerem, pedes Mercurium. Sicut Democrites in Phyſiologumenon ſcripſit. vnde & Homerus ait: ὄμματα καὶ κεφαλὴν ἴκελος Διὶ τερπικεραύνῳ Ἄρεϊ δὲ ζώνην, στέρνον δὲ ποσειδάωνι, id eſt: Caput & oculos ſimiles Ioui fulmine delectanti, Marti cingulum, & pectus Neptuno. Nam & Tyberianus in Prometheo ait, deos ſingula ſua homini tribuiſſe. Denique, natum Achillem velut hominem perfectum, mater in aquas intingit Stygias, id eſt durum contra omnes labores munit: ſolum ei ta-

lum non tetigit. nihilominus illud phyſicum ſignificare volentes,quòd venæ quæ in talo ſunt, ad renum , femorum,atque virilium rationem pertineant.vnde & aliquæ venæ vſque ad pollicem tendunt.quod tractantes & phyſici,& mulieres ad obtinendos partus , & iſchiacos eodem phlebotomant loco.& emplaſtromẽtaticum, quem ſtiſiden Aphricanus in Aſtroſophiſtes vocauit, pollici & talo imponendum præcepit.Nam & Orpheus illum eſſe principalem libidinis indicat locũ. Nam denique in entherocilicis & iiſdem locis cauteria ponenda præcipiunt.Ergo monſtrat quòd humana virtus,quamuis ad omnia munita , tamen libidinis ictibus ſubiacet patula.vnde & ad Lycomedis regiam datur vt nutriretur,quaſi ad luxuriæ regnum. Lycomeden enim græcè quaſi γλυκὺ μηδὲν,id eſt dulce nihilum. Omnis enim libido & dulcis & nihil eſt. Denique & amore Polyxenæ periit,& pro libidine per talũ occiditur.Polyxene enim græcè multorum peregrina dicitur:ſeu quòd amor peregrinari faciat mentes ab ingenio ſuo , ſeu quòd apud multos libido vt peregrinabunda vagetur.

*De Myrrha,& Adoni.*

MYrrha patrem ſuum amaſſe dicitur , cum quo ebriato concubuit.cúmque eam pater vtero plená reſciſſet,cognito crimine , euaginato eam perſequi cœpit gladio. Illa in arborem myrrham cõuerſa eſt.quam arborem pater gladio percutiẽs,Adon exinde natus eſt. Quid verò ſibi hæc fabula ſentiat , edicamus. Myrrha genus eſt arboris,de qua ſuccus ipſe exudat,hæc patrem amaſſe dicitur.Iſtæ arbores in India ſunt , quæ ſolis caloribus cremantur. & quia patrem omnium rerum ſolem eſſe dicebant , cuius opitulatu cuncta & germinum adoleſcit natiuitas,ideo & patrem amaſſe dicitur:dumque grandioris fuerit roboris , ſolis ardoribus crepans, rhagades efficit,per quas ſuccum deſudat,quod myrrha dicitur:& redolentibus lachrymoſa guttulis,fletus ſuaues ſciſſuris hiantibus iaculatur.vnde Adonem genuiſſe fertur. Adon græcè ſuauitas dicitur.& quia hæc ſpecies odore ſuauis eſt,Adonem dicitur genuiſſe. Ideo autem Venerem amaſſe dicunt , quòd hoc genus pigmenti ſit valde feruidum. Vnde Petronius Arbiter ad libidinis

concitamentum, myrrhinum ſe poculum bibiſſe refert. Nam & Sutrius comœdiarum ſcriptor introducit Glyceram meretricem dicentem: Myrrhinum mihi adfers, quo virilibus armis occurſem fortiuſcula.

*De Apolline, & Marſya.*

MInerua tibias ex oſſe inuenit. quibus cum in conuiuio deorum cecinisset, cúmque eius tumentes buccas di omnes irriſiſſent, illa ad Tritonem paludem pergẽs, in aqua faciem ſuam ſpeculatur. dum turpia adiudicaſſet buccarũ, in flumina tibias eiecit. quibus Marſya repertis, doctior factus, prouocauit Apollinem concertaturum de cantibus, ſibíque Midam regem iudicem deligunt: quem Apollo, cùm non rectè iudicaſſet, aſininis auribus deprauauit. Ille criminis ſui notam tõſori tamẽ oſtendit, pręcipiens ei, vt ſi crimen eius celaret, eum participem regni efficere. Ille ſecretum domini ſui in terram fodit, & in defoſſo terræ duxit & operuit. In eodem loco calamus natus eſt, vnde ſibi paſtor tibiam faciens, quæ cum percutiebatur, dicebat, Mida rex aures aſinales habet, nihilominus quàm quòd ex terra conceperat. Vnde & Petronius Arbiter:

*Sic commiſſa ferens auidus reſerare miniſter,*
*Fodit humum, regiſque latentes prodidit aures,*
*Concepit nam terra ſonum, calamique loquentes:*
*Inuenère Midam qualem conceperat index.*

Nunc ergo huius myſticæ fabulæ interius cerebrum inquiramus. A muſicis hæc reperta fabula, vt Orpheus in Theogonia ſcribit. Muſici enim duos artis ſuæ poſuerunt ordines, tertium verò quaſi ex neceſſitate adiicientes, vt Hermes Trimegiſtus ait, ἢ ᾀδόντων, ἢ ψαλλομένων, ἢ αὐλουμένων, hoc eſt, aut cantantium, aut citharizantium, aut tibicinantium. Prima eſt ergo viua vox, quæ ſibi in omnibus muſicis neceſſitatibus celerrima ſubuenit. poteſt etiam lemmata ſubrigere, & parallelos concordare, & diſtonias mollire, phthongos iuuare, & ornare chromata. Sequitur ſecunda cithara: quamuis enim de his rebus diſexaphexis dicunt; ſicut Mariandes ſcribit, multa de his faciat, tamen aliqua non implet, quæ viua vox poteſt. Limmata enim facta non erigit, qui † liſmata in ſe cathenata non implet. At verò *ſeniſcia*;

tibias artis muſicæ partem extremam poterit adimplere. Cithara enim ſymphoniarum gradus habet quinque, ſecundum quod Pythagoras ait, dum numerorum rhythmicos modulos ad ſymphoniarum adduxiſſet cõcordiam. Prima enim ſymphonia eſt diapaſon, quod eſt in arithmeticis diplaſion, quod nos in latinis vnum ad ſecundum dicimus. ſecunda ſymphonia diapente, quod eſt in arithmeticis hemiolius, quod nos in latinis duo ad ternum nuncupamus. tertia ſymphonia diateſſaron, quod eſt in arithmeticis epitritos, id eſt tertius ad quartum. quarta ſymphonia dicitur tonus, quod apud arithmeticos epogdous vocatur, apud nos quintum ad quartum. & quoniam vltrà arithmeticus ordo progredi non patitur, propter nouenarium limitem, quia decimus alterius ordinis primus gradus eſt: contigit ergo vt habeat quintam ſymphoniam, quæ harmonia nuncupatur, id eſt octo ad nouem. Nullam enim vltra numerum coniunctionem inuenies. habet igitur muſica partes ſeptem, id eſt genera, diaſtemata, ſyſtemata, phthongos, tonos, metabolas, & † melumpæas. vnde & Vergilius in 6. ait:

*Nec non Threiicius longa cum veſte ſacerdos,*
*Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum.*

In arithmeticis enim plenitudo formulæ eſt, vt eſt in geometricis tonus. Vox verò habet gradus ſymphoniarum in numeris, quantum natura dotauerit ipſam vocem, vt habeat arſis & theſis, quas nos latinè elationes & eiectiones dicimus. Tibia verò vix vnam & dimidiam perficit ſymphoniam. Vna enim ſymphonia quinque ſymphonias habet. ergo poſt artem muſicam Minerua reperit tibias, quas omnis doctus in muſicis ſonet. hac propter ſonorum deſpuit paupertatem. Inflatas verò buccas ideo riſiſſe dicuntur, quòd tibia ventoſè in muſicis ſonet: & idiomatum proprietate amiſſa, ſibilet potius rem, quàm enunciet. Ideo illam iniuſtè ſufflantem omnis quicunque eſt doctor ridet. vnde eas & Minerua, id eſt ſapientia exprobrans proiicit, quas Marſya aſſumit. Marſya enim græcè, quaſi μωρὸς, id eſt ſtultus, ſolus qui in arte muſica tibiam prçponere voluit citharæ: vnde & cũ porcina pingitur cauda. Sed his

duobus certantibus Mida rex reſidet. Mida enim Grçcè quaſi μηδὲν εἰδὼν dicitur: quod nos Latinè, nihil ſciens dicimus. ideo etiā aſininis auribus dicitur, quia omnis diſcernendi ignarus, nihil differt ab aſino. ob hanc etiam rem & ſeruum eius auriculas referunt prodidiſſe. Ingenium enim noſtrum ſeruum habere debemus, ad omnia quæ volumus obſequentem, & noſtra ſecreta celantem. Quod autem per cannam perdidit, per fiſtulam gutturis loquendo ſignificat. Quod vero paſtor audit: paſtores ſunt illi, qui aliena ſulcando ſubtilius paſcunt.

*Orpheus.*

ORpheus Eurydicen nympham amauit, quam ſono citharæ mulcens vxorem duxit. Hanc Ariſtæus paſtor dum amans ſequitur, illa fugiens in ſerpentem incidit, & mortua eſt. poſtquam maritus ad inferos deſcendit, & legem accepit, ne eam conuerſus aſpiceret. Quam conuerſus aſpiciens, iterum perdidit. Hæc igitur fabula artis eſt muſicæ deſignatio. Orpheus dicitur ὡραία φωνή, id eſt optima vox. Eurydice verò, profunda diiudicatio. In omnibus igitur artibus ſunt primæ artes, ſunt ſecundæ vt in puerilibus literis, prima abecedaria, ſecunda nota. In grammaticis prima lectio, ſecunda articulatio. In rhethoricis prima rethorica, ſecunda dialectica. In geometricis, prima geometria, ſecunda arithmetica. In aſtrologicis prima matheſis, ſecūda aſtronomia. In medicinis prima gnoſtice, ſecunda verò mantice. In aruſpicinis prima aruſpicina, ſecunda paralyſis. In muſicis prima muſica, ſecunda apoteleſmatica. de quibus omnibus breuiter rationem perſtringam neceſſe eſt. Aliud eſt enim apud grammaticos aliena agnoſcere, aliud eſt ſua efficere. Apud rhetores verò aliud profuſo & libero curſu effrenata loquacitas, aliud conſtricta virtutis indagandæ curioſa nexilitas. Apud aſtrologos aliud eſt aſtrorum ac ſiderum curſus effectúſque cognoſcere, aliud ſignificata traducere. In medicinis aliud eſt morborum agnoſcere meritum, aliud infirmitatis venientem concurſum mederi. In geometricis aliud formulas lineáſque depingere, aliud numeros formulis coaptare. In aruſpicinis aliud eſt fibrarum particularúmque inſpectio, aliud ſecundum Battiadem euē

tuum immutatio. In muſicis aliud verò eſt harmonia phthongorum,ſyſtematū,&diaſtematum:aliud effectus tonorū virtúſq; verborum. Vocis ergo pulchritudo interna artis ſecrata,virtutem etiam myſticam verborū attingit. Sed hæc quantum ab optimis amatur, ſicut ab Ariſtæo,(ἄριστον enim Græcè optimum dicitur) tantum ipſa ars coniunctionem hominum vitat,quæ quidē ſerpentis ictu moritur,quaſi aſtutiæ interceptu ſecretis velut inferis tranſmigratur.Sed poſt hanc artem exquirendam atque eleuandā vox canora deſcendit, & quæ apoteleſmatica,phantaſtica omnia præbet,& modulis tantum in ſecreta latentibus,voluptatum reddit effectus.Dicere enim poſſumus,quòd Dorius tonus aut coiēs Phrygius torrens,Saturno feras mulcēs,ſi Ioui aues oblectet. At verò ſi rei expoſitio quæritur,cur hoc veſtigandæ rationis caput immoritur. Ideo ergo & ne eam reſpiciat, prohibetur:& dum videt,amittit. Nam perfectiſſimus Pythagoras dum modulos numeris coaptaret, ſymphoniarúmque pondera terminis Arithmeticis per melos & rhythmos & modulos ſequeretur, effectus verò rationem reddere non potuit.

*Phineus.*

PHineus enim in modum auaritiæ ponitur: & à fœnerādo Phineus dictus eſt. Ideo cæcus, quòd omnis auaritia cęca ſit,quę ſua non videt:ideo ei harpyię cibos arripiunt.At verò quòd eius prandia ſtercoribus fœdāt, oſtendit fœnerātium vitam,rapinæ ingluuiem eſſe ſordidam,ſed has à conſpectu eius Zethus& Calais fugant, quia rapina ei aliquid de ſuo comeſſe nō permittit:gręcè enim ζητῶν καλὸν inquirens bonum dicitur. Ideo volatici, quia omnis inquiſitio boni nunquam terrenis rebus miſcetur.Ideo Aquilonis venti filij, quia bona inquiſitio ſpiritalis eſt,non carnalis: ergo veniente bonitate,omnis rapina fugatur.

*De Alpheo,& Arethuſa.*

ALpheus fluuius Arethuſam nympham amauit: quā cum ſequeretur,in fontem cōuerſa eſt. Ille in mediis vndis ambulans,nō immixtus,in ſinum eius immergitur:vnde & apud inferos obliuionem animarum trahere dicitur ἀληθείας φῶς, id eſt,veritatis lux. Arethuſa

verò, quas ἀξιτίσια, id eſt nobilitas æquitatis. ergo quid amare poterat veritas, niſi æquitatem? quid lux, niſi nobilitatem? & ideo in mari ambulans nec miſcetur, quia lucidi veritas omni malorum falſitudine morum circũdata, pollui aliqua commiſtione non nouit. Sed tamen in ſinum æquiſſimæ poteſtatis omnis lux veritatis dilabitur. Nam & deſcendens in infernum, id eſt in ſecreta conſcientiæ veritatis lux, malarum rerum ſemper obliuionem importat.

# FABII FVLGENTII PLACIADIS VOCVM ANTIQVARVM INTERpretatio, cum teſtimonio ad Calcidium.

NE de tuorum præceptorum, Domine, ſerie, noſtra quicquam euitaſſe inobedientia putaretur, libellum etiam, quẽ de abſtruſis ſermonibus parare iuſſiſti in quantum memoriæ entheca ſubrogare potuit, abſolutum retribui: non phaleratis ſermonum ſtudentes ſomniis, quam rerum manifeſtationibus dantes operam lucidandis.

Sandapilam antiqui dici voluerũt feretrum mortuorũ, id eſt loculũ: non in quo nobiliũ corpora, ſed in quo plebeiorum atque damnatorum cadauera portabãtur. ſicut Steſimbrotus Thaſius de morte Polycratis regis Samiorum deſcripſit, dicens: Poſteaquam de cruce depoſitus, ſandapila etiã deportatus eſt.

Veſpillones dicti ſunt baiulatores, quamuis Antidamus Heracleopolites veſpillones dixerit cadauerũ nudatores: ſicut in hiſtoria Alexandri Macedonis ſcripſit, dicens: plus quàm trecentos cadauerum veſpillones rex Perſes crucibus affixit. tamen Mnaſeas ſcripſit in Cecrope libro, Apollinem, poſteaquam à Ioue vinctus atque interfectus eſt, à veſpillonibus ad ſepulturam elatũ eſſe. Pollinctores dicti sũt, qui funera moriẽtia accurãt. vnde

& Plautus in Menæhmis comœdia ait: Vt pollinctor dixit, qui eum pollinxerat. Pollinctores dicti ſunt, quaſi pollutorum vnctores, id eſt cadauerum curatores. vnde & Apuleius in Hermagora ait: Pollincto eius funere domuitionem paramus.

Labeo qui diſciplinas Hetruſcas Tagetis & Bacchetidis 15. voluminibus explanauit, ita ait: Fibrę iecoris ſandaracei coloris dum fuant, manales tunc vereri opus eſt petras. id eſt, quas antiqui ſolebant in modum cylindrorum per limites trahere pro pluuiæ commutãda inopia.

Diophantus Lacedæmonius, qui de ſacris deorũ ſcripſit, ait apud Athenas Marti ſolere ſacrificari ſacrum, quod ἑκατομφόνια appellatur (ſi quis enim centum hoſtes interfeciſſet, Marti de homine ſacrificabat apud inſulam Lemnon) quod ſacrificatum eſt à duobus Cretẽſibus, vno Locro, id eſt Tunine Cortynienſi, Proculo Locro: ſicut Soſicrates ſcribit. Sed poſteaquam hoc Athenienſibus diſplicuit, cœperunt efferre porcum caſtratum, quem nefrendem vocabant, id eſt quaſi ſine renibus. Et apud Romanos Varro ſcribit Sicinium Dentatum centies & vicies pugnaſſe ſingulari certamine: cicatrices habuiſſe contrà quadragintaquinque, poſt tergum nullam: coronas accepiſſe 26. armillas centum quadraginta: & iſtum primum ſacrum feciſſe Marti.

Bebius Macer, qui faſtalia dierum ſcripſit, ait Iunoni eas quæ geminas parerent oues ſacrificare cum duobus agnis altrinſecus alligatis, quas oues ambiguas vocari, quaſi ex vtraque parte agnos habentes.

Priori tempore ſuggrundaria antiqui dicebant ſepulchra infantium, qui nec dum xl. dies impleſſent; qui nec iam buſta dici poterant: quia oſſa quæ comburerentur, non erant: nec tãta immanitas cadaueris, quia locus tumeſceret. vnde & Rutilius Geminus in Aſtyanactis tragœdia ait: Melius ſuggrũdarium miſer quæreres, quàm ſepulchrum.

Silicernios dici voluerunt ſenes iam incuruos, quaſi iam ſepulchrorũ ſuorũ ſilices aſpiciẽtes. Vnde & Cintius Alimetus in hiſtoria de Gorgia Leontino ſcribit dicẽs: Qui dum iam ſilicernius ſui finem temporis expectaret, ſi mori non potuit, tamen infirmitatibus exultat,

Acca Laurentia, Romuli nutrix, cõſueuerat pro agris ſemel in anno ſacrificare, duodecim † filiis ſuis ſacrificium pręcedentibus. vnde cum vnus mortuus eſſet, propter nutricis gratiam Romulus in vicem defuncti ſe ſuccedere pollicetur: vnde & ritus proceſſit, dum duodecim iam deinceps ſacrificare, & aruales dici fratres: ſicut Rutilius Geminus in libris Pontificalibus memorat.

Manilius Cræſtus in libro quem de Deorum hymnis ſcribit, ait Mineruæ iniuges boues ſacrificari, id eſt iugum nunquam ferentes: illa videlicet cauſa, quòd & virginitas iugum neſciat maritale, & virtus nunquam ſit iugo prementi ſubiecta.

Semones dici voluerunt deos, quos cœlo nec dignos aſcriberent, ob meriti paupertatem: ſicut Priapus, Hippo, Vertumnus. nec terrenos eos deputare vellent, per Gratiæ venerationem: ſicut Varro in Myſtagorum libro ait: Semonéque inferius derelicto, Deum depinnato attollam orationis eloquio.

Pacuuius in Pſeudo comœdia inducit Scoparium ſeruum ancillæ dicentem, Ni ego te blaterare aſpicerem, his nuncium iudicaſſem. Blaterare enim, quaſi verba trepidantia metu balbutire dixerunt.

Luſcitioſos dici voluere interdiu parum videntes, quos Græci myopes vocant. vnde & Plautus in Mercat. comœdia ait: Mirum lolio victitare te tam vili tritico, quia luſcitioſus eſt. Dicunt enim, quòd lolium comedentibus oculi obſcurentur.

Varro in Pontificalibus ait, Tutulos ſacerdotes dici breuium deorum. Numa verò Pompilius & ipſe de Pontificalibus ſcribens: Tutulum dici ait pallium, quo ſacerdotes caput tectabant, cum ad ſacrificium acceſſiſſent. ſicut & Vergilius ait: Et capite ante aras Phrygio velatus amictu.

Oriam dicunt nauicellam modicam piſcatoriam, vnde & Plaut. in Caciſto ait: Malo huc alligari ad oriam, vt ſemper piſcetur, etſi ſit tempeſtas maxima.

Problema, eſt propoſitio in capite libri quæſtionaliter poſita. vnde & Demoſthenes pro Philippo ait. Sed ne quid Græcum te turbet exemplum, ego pro hoc tibi latinum faciam. ait enim, Problematis autenticum gra-

dum tradamus aſtanti, cui noſtra ſubſequens occurſet oratio. Nam & Tertullianus in lib. quē de Fato ſcripſit, ita ait: Redde huic fati primū problematis mācipatum.

Apuleius in Aſino aureo introducit ſorores Pſyches maritis detrahentes, dicitque, Quouis puero pumilione & cucurbita glabriorem. Pumilos enim dicunt, molles atque enermes. Glabrum verò, leuem & imberbem.

Sutelam dici voluerunt aſtutiam, quaſi ſubtilis telam. vnde & Plautus in Caſina ait: Poſcis clam me ſutelis tuis eripere Caſinam vxorem proinde vt poſtulas.

Frigutire dicitur, ſubtiliter adgarrire. vnde & Plaut. in Caſina ait, Quid nam frigutis? Et Ennius in Alceſtide comœdia ſic ait: Hæc anus admodum frigutit, nimirum ſauciauit ſe flore Liberi.

Titiuillitium dici voluerunt fila putrida, quæ de telis cadunt. vt Plautus in Caſina ait: Non ego hoc verbum empſitem titiuillitio. id eſt, re admodum viliſſima. Nam & Marcus Cornutus in Satyra ait, Titiuillitij ſal cedo tibi.

Scolponeas dici voluerunt cœſtus plumbo ligatos. vnde & Neuius in Philempoto comœdia ait: Scolponeis batuenda ſunt huic latera probè. Et Plaut. in Caſ. ſimili modo ait: Melius ſcolponeis, quibus batuetur tibi os ſenex nequiſſime.

Catillare dicitur per alienas domos inſtanter gyrare: à catulis tractum, quòd per omnes domos circumeant. Vnde & Propertius: Catillata geris vadimonia publicum proſtibulum. & Plaut. ſimiliter ait: Quin meam vxorem mittam catillatum.

Capularem dici voluerunt ſenem, iam morti conriguum. ſed & reos capulares dicebant, qui capulo digni fuerunt. vnde & Lucilius ait: Pergit capulare cadauer. Et Flaccus Tibullus in Helenæ comœdia ait: Túne amare audes edentule, & capularis ſenex? Edentulum, quaſi iam ſine dentibus dici voluerunt.

Promos & Condos dici voluerunt cellaritas, eo quod deintus promant, & intus condant. vnde & Plautus in Aſinaria ait: Ego ſum promus, condus, procurator peni. Penus enim cellarium dicimus.

Suppetias dicimus auxilium. vnde & Memor in trago-

dia Herculis ait, Ferte ſuppetias, optimi comites.

Auctionem dici voluerunt venditionem, quaſi quòd & ementem augeat, & vendentem. vnde & Plautus in Curculione comœdia ait : Auctionem facio paraſiticam.

Naſiternam dici voluerunt aquæ vrnam, id eſt vrceũ. vnde & Calphurnius in Phroneſi comœdia ait : Vbi tu naſiternatus aquam petas. & Plautus in Bacchide ait: Affer naſiternam cum aqua foras.

Antiſtare dicimus præcellere. vnde & Criſpinius in Heraclea ait: Diuinis virtutibus antiſtas Alcides.

Stega eſt nauis proſcenium, id eſt tabulatum ſuper quod nautæ ambulant: ſicut Plautus ait, Fortè ego vt in ſtega conſideram.

Lembus eſt genus nauiculæ velociſſimæ, quas dromedas dicimus. ſicut Verg. ait: Quam qui aduerſo vix flumine lembum Remigiis ſubigit. Limbus verò, ora veſtimenti cuiuſque ex auro.

Ramentum dici voluerunt, quaſi quoddam proiectitium purgamentum. vnde & Quintus Fabius Lucullus in Epico carmine ait: Viliſſimum ramentum, proluuioſa peſtis.

Diobolares dicuntur viliſſimæ meretrices, quæ ſub paruo ſtipendio proſtant, ſicut Paminatius ait : Diobolare proſtibulum, quem ego vt actutum ductem partitam reddam. Nam & Pacuuius ſimiliter ait: Non ego ita fui, vt nunc ſunt meretrices diobolares, quæ ſuam nũmi cauſa, paruipendunt gratiam.

Veruina eſt genus iaculi longum, quod aliqui vertutum vocant, ſicuti Galbius Baſſus ait in Satyr. Veruina cõfodiende non te nauci facio. nauci enim pro nihilo dici voluerunt. nam Plautus in Bacchide ait : Si tibi machæra eſt foris, mihi veruina eſt domi : qua quidem te faciam, ſi me irritaueris, confoſſiorem foricina nænia.

Diuidias dixerunt triſtitias. ſicut Propertius ait: Diuidias mentis conficit omnis amor.

Iuſtitium dicitur luctus publicus. vnde & Fonteius in oratione pro Nucerinis ait, Denique iuſtitium plebi indicitur.

Choragiũ dicitur virginale funus. ſicut Apul. in meta-

morphoſeon ait:Choragio itaque perfecto omnes domuitionem parant.

Deſiduò dicitur diurnè:vnde & Varro in Correlariis ait:Diuidiæ mihi fuerunt te abfuiſſe deſiduò.

Flocci dixerunt quaſi nihili.vnde & Plautus ait: Flocci eſt quid rerum geras.

Ientaculum dicitur deguſtatio: ſicut Callimachus in Cæcia,Ientaculum proferre Ioui.

Edulium dicitur ab edendo,id eſt prægustatiua comeſtio.vnde Apuleius in Aſino aureo ait: Eduliis opiparè excepta.Opiparè eſt lucidè,delicioſè.

Tuceta dicuntur eſcæ regiæ:ſicut Callimachus in Piſçis: Ambroſio redolent tuceta ſapore.

Ferculum, miſſum carnium. vnde & Petronius Arbiter ait,Poſtquam ferculum allatum.

Myropolæ dicuntur,qui vnguenta vendunt, & ſunt pigmentarij.vnde & Næuius in Diobolaria ait: Myropola affatim mihi vnguentum largitus eſt,quo me venuſtarem.Adfatim,abundanter dicitur. Venuſtare,exhilarare eſt.

Celocem dicunt genus nauiculę modiciſſimum,quod blannam dicimus.vnde Apuleius in lib.de Repub.ait: Qui celocem regere nequit,onerariam petit.

Cœlibatum dici voluerunt virginitatis abſtinentiam. vnde & Felix Capella in lib.de Nuptiis Mercurij & Philol.ait:Placuit Mineruæ petere cœlibatum.

Exercitus dicitur contemptus. vnde & Plautus in Milite glorioſo ait:Itaque nos noſtrámque familiam habes exercitam.& vbi ſuprà ait:Plus videas valgiis ſauiis omnes nictantes.Nictare enim,cinnum facere. Valgia enim ſunt labellorum obtortiones in ſupinatione, vel ſublatione peractæ,ſicut & Petronius ait,Abroſo valgiter labello.

Summates,dicuntur viri potentes.

Symplones dicuntur conuiuæ.Nam & amicus ſponſi, qui cum eo per conuiuia ambulat,ſymplator dicitur.Ganeum verò taberna eſt.vnde & Succius in comœdia Piſcatoria ait: Summates viri ſymphones fratri ſunt ganei.

Præſegmina ſunt partes corporis inciſæ. vt Tages in

Aruſpicinis ait, Præſegminibus amputatis.

Congerrones ſunt, qui aliena ad ſe congregant. vnde & apud Romanos Gerones Brutiani dicti ſunt.

Ciſtellam dicunt capſellam, vt Plautus: Ciſtellam eſſe cum crepundiis: id eſt, cum puerilibus ornamentis.

Antidamas in Moralibus libris ait: Fabrè compactum animal hominem quis ferat, ſic ex re pecuatum, & auerruncaſſit tam eretinas hominum mentes.

Fabrè perfectè dicitur. Auerruncare, eradicare dicitur. Eretinas, teſteas, vel argillaceas. Pecuatum, ſtultum.

Allucinare, dicitur vana ſomniare. Tractum eſt ab allucitis, quos nos conopas dicimus. ſicut Petronius Arbiter ait, Nam centum vernali me allucitæ moleſtabant.

Culeus dicitur ſaccus, in quo rei concluſi in mare mittuntur: ſicut Plautus ait in Vidularia: Iube hũc inſui culeo, atque in altum deportari, ſi vis annonam bonam.

Elogium eſt hæreditas in malo. ſicut Cornelius Tacitus ait in libro Facetiarum: Cæſis itaque motum elogio in filiis derelicto.

Lyxa dicitur mercenarius. vnde Lucanus ait, Stat, dum lyxa bibat.

Sudum dicitur ſerenum. vnde Tyberianus ait: Dureos ſubducit ignes, ſudus oritur lucifer.

Luteum, ſplendidum. Pacuuius in tragœdia Thyeſtis: Non illic luteis aurora bigis.

Abſtemius dicitur obſeruans. ſicut Rubrius in Satyra ait: Abſtemium merulentia fugit Metenia nomen.

Vadatus dicitur obſtrictus, vel ſub fide, vel ſub fidei iuſſione ambulans, ſicut Feneſtella ait: Apud quem Vadatus amicitiæ nodulo tenebatur.

Manubiæ dicuntur ornamenta regum. vnde & Petronius Arbiter ait: Tot regum manubiæ penes fugitiuum reſtiterant.

Aumarium dicitur locus ſecretus publicus, ſicut in theatris, aut circo. vnde & Petronius Arbiter ait: In aumarium me metipſum conieci.

Deleneficus dicitur blandiloquus. vnde & Lucretius comicus in Nummularia ait: Neſcio quorſum mihi eueniant tua verba tam delenefica.

FINIS.

# PHORNVTI SPECV-LATIO DE DEORVM NATVRA, IODOCO Velareo interprete.

CŒLVM ô fili terram & mare in cir-
cum ambit, & quæ in terra ac mari
ſunt omnia & ob hanc cauſam, hæc il-
li ceſſit appellatio, quum ſupernè o-
mnium ſit terminus, naturámque fi-
niat. Sunt qui dicant ἀπὸ τοῦ ὁρᾷν, hoc eſt
à videndo, οὐρανόν, id eſt cœlum vocari. aut ἀπὸ τοῦ ὀρέγειν, eo
quòd ſuppeditet ac ſeruet omnia. à quo & ianitor ap-
pellatur, & exacta cuſtodia. At alij ab eo quod ſuperius
videatur, ei etymologiam contexunt. Vocatur autem cũ
omnibus quæ circumambit mundus, à perfecta abſolu-
táq; elegantia. Porrò inter poëtas ſunt, qui cœlum incu-
dis filiũ eſſe dixerint, indefeſſum circumferentiæ cur-
ſum hoc inuolucro obtexentes: aut per hãc etymologiá
innuere cupientes, cœlũ corruptioni non ſubiacere. Ná
hos qui morte perierunt, laboraſſe dicimus. Cæterùm
eius eſſentia eſt ignea, vt conſtat ex ſole atque aliis a-
ſtris. Vnde etiam æther appellatur extrema mundi pars,
ab ardendo. Sunt tamen qui ἀπὸ τοῦ ἀνωθεῖν, hoc eſt ab eo
quod ſuprà currat, nomen tuliſſe dicant: hoc eſt, quod cũ
ſtrepitu atque impetu feratur, quum & aſtra quaſi inſta-
bilia, nec vnquam ſtantia, ſed ſemper commota. Imò
etiam conſentaneum eſt, & deos ἀπὸ τῆς θέσεως, id eſt à po-
ſitione ſortitos eſſe appellationem. primum enim ve-
teres deos exiſtimarunt eſſe, quos conſtanter ac fixè fer-
ri deprehenderunt: his ſiderum mutationis cauſam, at-
que adeò ſalutis omnium rerum tribuentes: & ſic eſſent
dij θετῆρες, id eſt conſtitutores & conditores omnium
rerum.

## *De Ioue.*

QVemadmodum nos anima gubernamur, ſic & mũ-
dus animam habet, quę vindicet illum ab interitu:
& hæc vocatur Iupiter. Sed dictus eſt Iupiter imperarę

omnibus,aut quia ſeruet,ac vitæ cauſa ſit animantibus: aut quia in nos,tanquã anima & natura, imperium obtineat.Porrò Iouem ipſum appellamus, quòd per illam ſtent ſeruentúrque omnia. Nec deſunt apud quos δεὺς appelletur, fortaſſis ἀπὸ τοῦ δεύειν, id eſt rigando terram, quódq; vitali humore animantia impertiat. Cæterùm in cœlo habitare dicitur, quando hic præcipua eſt pars animæ mundi.etenim noſtræ etiam animæ ſunt ignis.

*De Iunone.*

DEinde ſoror pariter & coniunx huic tribuitur Iuno quæ aër eſt.Coniungitur enim ſtatim ipſi,& cohæret,à terra ſublata. illo enim cum ea coeunte & eodem momento fiunt. nam ipſa eſſentia in tenuiſſimum diffluens, ignémq; & aëra conſtituit. Et hanc ob cauſam Rheam horum eſſe matrem fabulati ſunt, patrem autẽ Saturnũ:ſiue quòd intenſis temporis menſuris hæc fiãt: aut quia ob materiæ commiſtionem,ac ebullitionẽ,elementorum diſcrimen reddatur.aut quia (quod rationi eſt magis conſentaneũ)tunc aër generetur,quando ex igni mota eſt natura ad res implendas, atq; conficiẽdas.

*De Neptuno.*

CÆterùm ob hanc cauſam & Neptunum dicebant veteres Saturni & Rheæ eſſe filium.Etenim & aqua ex dicta commutatione generatur. nam ποσειδῶν, id eſt Neptunus,eſt efficiens vis humidi in terra,ac circum terram.Siue à potu ſic appellata,& ab eo quòd potum ſuppeditet.Aut iuxta aliam rationem ποσειδῶν Neptunus dicitur,ob commotam atque conturbatam eius proprietatem.

*De Plutone.*

DEinde & horũ frater eſſe dicitur Pluto. hic omniũ eſt craſſiſſimus,ac maximè vicinus terræ aër. nam ſtatim atque naſcitur, incipit res ipſas diffundere atque implere,ſecundum naturæ ſuæ rationem. Vocatur autẽ ᾅδης, infernus,vel quòd per ſe videri nequeat: vnde etiã diuidentes, ἀΐδη vocamus ipſum. Aut per antiphraſin, quaſi nobis morte placens. Porrò & Pluto nominatus eſt,quòd quum omnia ſint interitura,nihil ſit quod non poſtremò ad ipſum deducatur,atque eius poſſeſſio fiat.

## De Rhea.

AT Rheæ iuxta datum fluxum confictæ, non iniuria imbrium cauſam aſſignant, quòd vt plurimum cum tonitru atque fulmine fieri conſueuit. Et hanc inducunt tympanis & cymbalis,& fulmine aut lampadibus gaudentem. Quum verò ab æthere funduntur imbres, conſpiciuntur ſæpius è montibus deſcẽdere. nam primò Idam cognomin̄arunt altum eius montem, & quem procul datur cernere, mõtanam videlicet eam appellantes. Et generoſiſſima quæ in montibus degant animalia; leones illi ſubigunt: fortaſſis, vel quòd aura tempeſtuoſa agreſte quid repræſentet, deinde ignea circum poſita eſt corona: aut quòd ab initio in montibus conditæ ſint ciuitates, munitionis gratia: aut quod princeps eſt primæ præcipuæque mundi eſſentiæ. Porrò ei cor ſuſpendunt: innuentes ipſam vitalis exortus cauſam extitiſſe. Ob quod etiam alias quaſdam figuras ei ante pectus propenderunt, vt quæ ipſa rerum ſit varietas, ac coloribus omnifariis diſtinguatur. Porrò videtur eadem eſſe hæc quæ apud Syros Artaga dicitur, quam per columbarum ac piſcium abſtinentiam colunt,& declarantes ignem & aquam eſſe, quæ maximè eſſentiæ electionem dant in propatulum. At hæc propriè dicitur Phrygia, quòd præ cæteris apud Phryges colatur, apud quos etiam Gallorum frequens eſt conſeſſus: tale quid fortaſſis innuens, quale apud Græcos de Cœli exectione eſt in fabulis. Si quidem primò dicitur Saturnus deuoraſſe, quoſcunque ex Rhea ſuſtulerat filios: quod certè hunc in modum admodum probabiliter eſt confictum. quandoquidem quæcunque naſcuntur per dictam motus rationem, verſa vice per eadem in periodo pereunt. & tempus huiuſmodi quiddam eſt. Conſumuntur etiam ab ipſo, quæcunque à natura rerum producuntur. Deinde Rheam dicunt nato ſibi Ioue, pro ipſo lapidem faſciis inuolutum obtuliſſe Saturno, hunc ſe peperiſſe addens: illúmque ab eo deuoratum eſſe, ac Ioue enutrito mundi Imperium ceſſiſſe. Cæterùm alio etiam modo hæc eſt ſumpta deuoratio. nam compoſita eſt fabula de mundi generatione, in quorum enutriebatur quæ eum gubernaret natura: & rerum ſummam obtinuit

tinuit tum, quando in medium eius lapis iſte, quem appellamus terram, nõ ſecus atque ſi deuoratus eſſet, fixus eſt. nullo enim alio pacto ſubſtitiſſent res, niſi hoc eſſent fundamento ſtabilitę, quum oriantur ac nutriantur hinc omnia.

*De Saturno.*

INter hæc etiam Saturnus fingitur continuò deſcendiſſe, vt Terræ commiſceretur. Iouem autem hunc execuiſſe, eiúſque violentiam refrenaſſe. ſiquidem Iupiter ipſum regno eiectum, ad tartara tetruſit. Atque hoc fabulatum obtentu prætexerunt vniuerſæ generationis ordinem (quem ab implendo diximus Saturnum appellatum eſſe) abundantem aëris fluxum, hactenus factum in terra, contraxiſſe, quum exhalationes conficiat tenuiores. At mundi natura influxus infundens (quam & Iouẽ appellatam diximus) abundantem impetum mutatione cohibuit, & reſtrinxit longius deducens, & ipſi mundo præbens. Neque præter rationem eſt, quòd flexuoſo conſilio Saturnum appellent, his flexuoſis exiſtentibus atque ægrè conſequentibus: quum ille tantos numeros euoluat, ne ad effectum veniant.

*De Oceano.*

CÆterùm alia ratione Oceanum dixerũt omniũ eſſe principẽ. nec enim vna de hoc nata eſt fabula. eſt enim Oceanus, velox nauium circulus, & deinde commutans. At Tethys pinguium rerum ſedes eſt, ac collectio: ſiquidem horum temperatura ac commiſtione res conſiſtunt. nihil enim eſſet, ſi alterum non temperatum ſuperabundaret.

*De Ioue.*

POſt hęc alio etiam modo Iupiter pater eſſe dicitur & deorum & hominum, eo quod mundi natura horũ ſubſtantiæ ſit cauſa, non ſecus atque patres gignunt ſuos filios. Deinde eum nubicogum ac grandiſtrepum appellant, quod ſupernè nubes cogat & tonitrua, & illinc etiam fulmina & tempeſtates immittat. Alio etiam modo quod cœlum ſortito deo omnia ſuper terram loco tributa ſint. Ad hæc Ægiochus, à concutiendo ægida, vocatus eſt. & ob alias ſimiles ac manifeſtas cauſas, pluuius, & fructifer, & deſcenſor, & fulminator, & alio ſæpius

modo ſecundum diuerſam ſententiam appellatur. Seruatorem, & herceum, & multipluuium, & paternum, & hoſpitalem, & poſſeſſorium, & conſultorem, & triumphatorem, & liberum eum appellant, quum quæcunque ei ſunt nomina comprehendi nequeant, quia in omnem potentiam & habitum diffuſus eſt, & omnium autor & ſpeculator habetur. Hunc etiam in modum & iuſtitiæ pater eſſe memoratur. nam ipſe hominum communionẽ inter res deducit, & leges irrogat, ne ſibi mutuò iniuriã inferãt. Deinde & Gratiarũ pater eſt. hinc enim ſunt, mutuãdi atque benefaciendi initia: & temporum, quæ in aëre ſalutares mutationes conficiunt: & aliorum quæ in terra naſcuntur, & à natura nomen habent, moderator ac largitor eſt. Porrò inducunt eum perfecti viri ætate, vbi nec quicquam abundare neque deficere apparet, ſed id quod maturum eſt adeſſe. & hanc ob cauſam perfecta immolant. Cæterùm ſceptrum potentiæ eſt ſignũ. Quin & ſæpius vincere fingitur: eminet enim omnibus, nec eſt quod eum ſuperare queat. Deinde ei aquila ſacra eſt, eo quod pennarum velocitate aliis præemineat. Et coronatur olea, quod ſemper vireat ac mollis ſit. & pinguis, aut ob ſimilitudinem glaucoris ad cœlum. Deinde ſunt etiã quibus Alaſtor dicitur. & Palamneus, eo quod de nefariis & infeſtis hominibus ſupplicium ſumat. quorum his quidem nomen inditum eſt, quòd huiuſmodi ſceleribus ſe contaminent, quibus cruciatus ac gemitus imminet: iſtis verò quod manus ſordibus non diluendas reddant.

## *De Furiis.*

HAc etiam ratione natæ ſunt, quæ Erinnes vocantur peccatorum examinatrices, Megæra, Tiſiphone, & Alecto: dictæ, quod hos deæ odio ac punitione perſequantur, nempe ab ipſis commiſſas cædes ſupplicio plectentes, idque factitantes ſine vlla intermiſſione. porrò reuera ſunt hæ deæ venerandæ, & Eumenides, eo quòd naturæ benignitatem ad homines dirigant, vindicando ſcelera. Ad hæc horrendo ſunt aſpectu, & igni & flagellis perſequuntur impios. Et ſerpẽtes loco comæ habent, vt hanc iniiciant imaginationem meleficis: fu-

turum eſſe, vt pro delictis pœnas pendant. Apud inferos ſedes finguntur habere, quòd minimè in propatulo ſint harum cauſæ, quódque dignos harum aduentus inexpectatus opprimat.

*Amplius de Ioue.*

NEc his abſonum eſt quod dicitur, Iouis oculum videre omnia, atque omnia audire. quo enim pacto fieri potis eſt, vt quicquam horum quæ in mundo gerantur, lateat omnia gubernantem potentiam? Porrò etiam mitem appellant Iouem, nempe placabilem eſſe his, qui è vita ſcelerata pedem retrahant: non enim ita erga eos eſt affectus, vt reconciliari nequiret: quam ob cauſam & placabiles Iouis aræ ſunt.

*De Supplicationibus.*

ETiam Preces Iouis eſſe filias dicit Poëta, & quidem claudicantes: quòd ſe in genua deiiciant, qui preces faciunt. Deinde etiam eorum imbecillitati & rugas addit. Ad hæc debili & obliquo eſſe viſu, quòd ad quædam ſemper conniueant. Poſtremò ſupplicandi neceſſitate deuinctas eſſe. Amplius deliniat Poëta Preces tanquam deas quaſdam. Claudas quidem vocat, quod tardè & vix progrediantur, & his ſupplices eſſe quos primò iniuria læſerint: rugoſas certè, & viſu obliquo, quòd affectos iniuria ægrè & fronte neutiquam læta intueri poſſent, quos veniam petunt. Ad hæc Iouis eſſe filias, quod venerandæ ſint.

*De Parcis.*

IVpiter certè etiam fatum eſt, eo quòd diſtributio ſit inuiſibilis eorum quæ vnicuique adiiciuntur. hinc iam & aliæ partes, Μοῖραι, id eſt Parcæ appellatæ ſunt. αἶσα, eſt eorum quæ fiunt latens & incognita cauſa. iam enim manifeſta eſt, quæ in ſingulis deliteſcit obſcuritas: aut, vt veteres opinati ſunt, ea quæ ſemper eſt. at εἱμαρμένη eſt, ſecundum quam fatatum comprehenſúmque eſt quicquid in elementi ordine, terminum haudquaquam habentis fit: quæ & prima comprehenſio, non ſecus atque ſi in cathena continet. Porrò neceſſitas eſt, quam agere aut ſuperare

non datur:ſiquidem omnia quæ ſunt,ad hanc recipiunt reductionem.Cæterùm alio modo tres inducuntur Parcæ,ſecundum tres temporis partes:& vna eſt Clotho appellata, quòd circumuolutioni rerum primordia non ſunt diſſimilia,quum alia contingant aliis.quamobrem & nere eam fingunt vetuſtiſſimi quique. Aliam autem Lacheſim,eo quòd ſortis caſui quæ cuique contingunt, non ſunt diſſimilia.at tertia Atropos, quòd ἄτρεπτα, id eſt ineuitabilia ſint, quæ ab illa ſtatuuntur. ſic harum potentiæ propriæ videntur tres ſortitas eſſe appellationes.Eadem autem eſt & Adraſtia,ſiue quòd vitari ac deflecti nequeat,ſic nominata:ſiue quòd ſemper quæ ad ſe ſpectant, faciat, tanquam ſemper agens: aut particula priuatiua vehementiam declarante, vt ἄξυλος ὕλη, id eſt ſylua lignis abundans:nam eſt multa agens. Nemeſis ἀπὸ τῆς νεμέσεως,id eſt ab vlciſcendo nomen traxit.Opis autem ἀπὸ τοῦ λανθάνειν ὄπισθεν:quia à tergo lateat,& obſeruet quæ à nobis geruntur, puniatque quæ punitione ſunt digna.

*De Muſis.*

CÆterùm ex Mnemoſyne Muſas ſuſtuliſſe dicitur Iupiter, quando & literarum politiorum dux eſt: quas certè non niſi exacta cura atque detentione ſuſcipere datur,& ſunt ad vitam bene tranſigendam maximè neceſſariæ.At Muſæ vocantur ἀπὸ τῆς μώσεως, ab inquiſitione:quemadmodum dictum eſt: Ne mollia inquiras, vt ne dura habeas.Sed nouem numero ſunt, quòd quos in ſuorum numerum cooptarint, triangulares (vt dicit quidam)reddant.talis enim eſt nonarius numerus. generationem quandam ſua natura innuens : ac videtur à perfectione primi numeri particeps eſſe. Etiam quibuſdam duæ ſolum eſſe dicuntur,aliis iterum tres, at aliis quatuor,ſed aliis iterum quinque.Tres quidem ob prædictam ternionis perfectionem :aut quod tria ſpeculationum genera ſunt,quibus tota philoſophiæ ratio impletur. duo quidem in ſpeculando & faciendo ea quibus opus eſt conſiſtunt : & duobus his comprehenditur eruditio.Quartum & quintum genus fortaſſis quòd vetuſta muſicorum inſtrumenta tantos habuerunt ſonos. Deinde inducuntur mulieres,quia virtutes & diſciplina

forte fortuna muliebres nomenclaturas habebant. eſtque illud euidentiſſimum argumentum, multarum rerum cognitionem vbertim adeſſe. & iam dices licebit, id ob fertilitatem factitatum eſſe, quæ animi cognitione conficitur. Ad hæc, conſtant & incedunt vnà ad innuendum virtutes inſeparabiles atque indiuulſas eſſe. deinde ſemper deorum hymnis atque miniſterio ſunt maximè intentæ: ſi quidem principium atque adeò elementum totius eruditionis eſt, ad diuina oculos perpetuò defixos tenere, atque id vitæ factum exemplar habere in ore. Cæterùm alio modo: Clio quidem vna eſt Muſarum, quòd κλέος, id eſt gloriam adipiſcantur literati, quódque alios laude celebrent. Euterpia autem, quòd dictorum conuerſatio delectabilis ſit ac ſuauis. Deinde Thalia, ſiue quòd horum vita vigeat ac floreat, aut quòd menſæ virtutem habeant, ſcitè & doctè in conuiuiis verſantes. Melpomene à cantu & ſuaui, quæ carmini adeſt, voce. nam ab omnibus celebrantur boni, atque ipſi deos celebrant, & priſcos viros. Terpſichore, quod meliorem vitæ partem delectatione ac gaudio tranſmittant: aut quòd delectationem adferre videantur conuerſantibus, vna voculæ litera ſuperflua: aut fortaſſis, quia compoſitis à literatis viris carminibus, choreas diis compoſuerunt veteres. Erato vel ab amore nomen tulerit, quòd vniuerſæ philoſophiæ generi adeſt: vel ab interrogandi atque reſpondendi potentia. nam manifeſtum eſt, ratiocinandi quoque artis peritos eſſe ſtudioſos.
Polymnia, aut eſt celebrata virtus, aut potius quæ multos celebret: ac quæcunque à maioribus cantata ſunt, reſumat, quæque in poëmatis atque aliis commentariis eſt, hiſtoriæ curam gerat. Vrania eſt circa cœleſtia, atque adeò vniuerſam rerum naturam ſcientia. nam vniuerſum mundum cœlum vocabant veteres. Calliope eſt rhetorica, ſuaui voce ac dictione venuſta præcellens, per quam rempubl. adminiſtrant, & populum hortationibus euibrant, perſuaſione & non vi ad id quod cupiũt ducentes: quam ob cauſam, hanc maximè reges ſimulac probos viros comitari dicunt. Certè huic tribuuntur varia, quòd cuiuſque declaret opera, nempe concinna eſſe, ac concinentem & conſentientem ſibi eſſe bonorum

vitam. Deinde his ſe ſocium adiungit Apollo,ob muſices communionem. nam & hic memoratur, citharã ſcire,cauſam paulò poſt cognoſces. Ac in montibus venationi vacare traduntur:quandoquidem ſolitariam agere vitam, & crebrò ad loca à promiſcua cõſuetudine ſemota,ac arbitris libera ſecedere conſueuerunt hi,qui philoſophiæ nomen dederunt: qua ſine,iuxta Comicũ, nihil honeſti in ſolitaria vita inueneris. At huius rei gratia, etiam has numero nouem dicitur Iupiter cum Mnemoſyne congreſſus ſuſtuliſſe. etenim nocturna his opus eſt meditatione, quæ ad eruditionem ſpectent. ſiquidem nullam ob aliam cauſam poëtæ noctem vocarunt Euphronen,quàm διὰ τὸ εὐφρονεῖν, quòd noctu accuratius preſſiúſque res meditemur. quemadmodum etiam Epicharmus: Si quid, inquit, ſapientius mediteris, nocturna opus eſt conſideratione: & omnia quæ ad literas pertinent, noctu potius excogitantur. Nec defuerunt qui Cœlo ac Terra has dixerint eſſe prognatas: vt neceſſe ſit hanc vetuſtiſſimam fuiſſe de hac re orationem. Coronantur autem(quarundam ſententia) palma, ob agnominationem, quòd nimirum à Phœnicibus videantur inuentæ literæ. ſed quod magis eſt conſentaneum rationi, quia delicioſa, ac pulchra,& ſemper virens, & aſcenſu difficilis,ac dulci fructu ſit hæc planta.

### *De gratiis.*

VT nobis ordine res dicatur, etiam beneficas eſſe Iouis filias Gratias tradiderunt plurimi. quorum hi quidem ex Eurydomene eas natas eſſe aſſeruerunt, quòd maximè ex bene ſtabilitis atque celebratis domibus dona conſueuerunt dare: hi verò ex Eurymene etiam id addentes, beneficentiores quodammodo eſſe,aut debere eſſe, quibus magnæ tributæ ſunt ſortes. At quidam ex Eurymeduſa, in idem hanc etymologiæ partem contendentes: nam propriis dominari ſolent homines. Verùm Iunonem alij dederunt eis matrem,quòd generis nobilitate longè cæteris deabus anteſtent. Et ad alium mouendum affectum introducuntur nudæ,vt quum nullam habeant poſſeſſionem, ſub-

miniſtrare quædam poſſint, & prorſus vtiliter largiri, quo quis pacto beneficus rectè fuerit: quemadmodum dictum eſt illud, Munerum animus optimus. Sunt qui exiſtiment per nuditatem innui, promptè & ſine impedimento ad bene merendum properandum eſſe. Deinde his quidem duæ numero dicuntur, his autem tres: duę quidem, quum hos auſpicari beneficium eſt neceſſe, hos verò vices reponere: tres autem, quandoquidem non rectè fuerit, illum cui remuneratum eſt, benemeritum gradum ſiſtere, ſed iterum eſt beneficium parandum, vt ſine intermiſſione id fiat. quódque id fieri debeat, etiam earum color oſtendit. Cæterùm alij dixerunt vnam quidem eſſe Gratiam, quæ illi qui aliquid rectè largitur, adeſt: aliam autem circa illum cui id miniſterij confertur, verſari: tertium certè, quæ illum qui meritum reponit, comitetur. Deinde quum hilari vultu beneficium conferant Gratiæ, atque eos quoque reddunt hilares in quos beneficium collocent, primùm quidem vulgariter ἀπὸ τῆς χαρᾶς, id eſt à gaudio appellatæ ſunt Charites. Et formoſæ dicuntur eſſe, quòd formam & rei probabilitatem largiantur, deinde ſingulatim hæc quidem appellata eſt Aglaja, illa verò Thalia, at tertia Euphrone. atque ob id quidam Euanthen dicebant harum eſſe ma[illegible]n, atque alij Aglaiã. at Homerus vnam Gratiarũ Vulcano cohabitare aſſerit: fortaſſis quod gratioſa ſint mechanica opera.

*De Mercurio.*

CÆterùm tradiderunt Mercurium Gratiarum eſſe ducem, innuentes haudquaquam temerè, ſed cum delectu conferendum eſſe beneficium, idque dignis: nam ingratus ad beneficium eſt tardior. Eſt autem Mercurius, oratio quam ad nos dij miſerunt, quum ex omnibus quæ terra habebat animantibus ſolum hominem oratione donarunt, quod præ cæteris omnibus præſtantiſſimum habebant ipſi. Porrò à conſiderando ac loquendo nomen habet: aut ab eo quòd munitio quædam atque adeò propugnaculum ſit nobis. Hinc primò Diactorus, id eſt internuncius eſt appellatus, vel ab eo quòd ſit manifeſtus ac verus, vel quòd noſtras cogitationes in proximorum animas referat: quare & linguæ

ei ſacræ ſunt. hinc & Eriunius appellatur, quòd magnā commoditatem adferat, & hos ſupra modum iuuet qui eo vtuntur. Et Socus vocatus eſt, tanquam ſeruator familiæ exiſtens: aut vt quidam cenſent, fortis. Et cuſpis huius dicitur ſignum eſſe. haud certè ad nocendum, ſed ad ſeruandum magis eſt hæc excogitata ratio: vnde & ſanitatem ei fecere domeſticam. Deinde Argiphontes eſt, tanquam argephantes, ab eo quòd euidenter omnia oſtendat, ac in propatulum agat. nam candidum, argennon vocarunt veteres Græci. aut à frequentandi velocitate: etenim id quod velox eſt, per antiphraſin dicitur ἀργόν. Chryſorapis autem, quòd maximo habeantur honore ipſe ac eius vellicatio: ſiquidem non parui eſt momenti tempeſtiua admonitio, & eorum qui huic mentem adhibent cura. Traditur etiam præco deorum eſſe, & eorum mandata ad homines deferre: præco quidem, quum facta voce, ea quæ innuit oratio repræſentantur auribus: nuncius autem, quia deorum voluntatem ex euidentiis per orationem nobis datis cognoſcimus. Talaria habet pedibus annexa, & per aera fertur: idque congruenter Homero, quemadmodum vocauit verba alata. etenim Irim ventoſis ac procellofis pedibus nunciam vocant, eam à nomine inducentes. Ad hæc animarum ducem eſſe Mercurium fabulantur: innuentes, illi eſſe proprium, homines voluptate delinire. ôbque id ei virgam dant in manus, qua virorum demulceat oculos, mentis nimirum. Deinde iterum dormitantes excitat. & illi in manu eſt, facile impetum addere remiſſis ac flacceſcẽtibus, atque hos retrahere ac ſiſtere qui nimio ferebantur impetu. Hinc iam obſides immittere viſus eſt, & vates eſſe ob hanc cauſam, quum pro ſuo arbitratu vertat imaginationes: nam deorum nuncij ſunt inſomnia. At anguium circa virgam complexus, caduceatoris typum gerens, innuit efferatorum ab ipſo concordiam fieri, ac illum inter eos ortum diſſidium indiſſolubili modo coniungere: ſiquidem per id etiam pacificum apparet eſſe præconium. Ferunt autem præ cæteris, qui pacem ambiunt, florentes manu ramos ad colendorum agrorum memoriam reducendam: iámque fore, vt manſuetis ac fructiferis plantis

parcatur. Deinde ex Maia Ioui natum eſſe ferunt Mercurium : ſignificantes iterum, ſpeculationis atque inquiſitionis germen eſſe hoc animal. nam hinc Μαῖαι dictæ ſunt obſtetrices, quòd ea quæ ad partum ſpectent, inquirant, ac quodammodo inueſtigent in lucem promere infantes. Ad hæc etiam ſine manibus ac pedibus fingitur, & figura quadrangulari : quadrangularis quidem, quòd ſolidus ac minimè lubricus ſit, ita vt & eius caſus ſit greſſus. verùm ſine pedibus ac manibus, quando nec pedum nec manuum officio habet opus, ad id quod ſibi incumbat agendum. Cæterùm veteres ætate prouectiores ac generantes, Mercurium erectis genitalibus deliniabant. ſed minores atque ætate nondum adulta, remiſſioribus : innuentes, ad ſenium vergentis ætatis hominibus fœcundam atque perfectam adeſſe orationem: quæ etſi vulgaris ſit, tamen ipſa quæ proponit adſequitur : at ætate immaturis, ſterilem, imperfectámque. Deinde in viis collocatur, ac Triuius dicitur, & Dux, vt omnibus in rebus eo vterentur duce, quum ipſe ſit qui in conſiliis nos in viam reducat. fortaſſis etiam ob ſolitudinem, quando quidem & illis eius apparatu & cultu eſt opus, eo quòd inter deos atque homines communis ſit. Vbi quis quippiam inuenerit in itinere, moris eſt præfari, Commune Mercurio, qui certè rei inuentæ conſcius eſt, vt qui in viis verſetur: innuentes, quòd ei inuentum quoque commune velint eſſe, hinc nimirum rebus inuentis dictis Mercurialibus. Deinde lapides accumulant Mercuriis, quiſque ex prætereuntibus vnum adiiciens: ſiue id tanquam vtile quiddam ac commune ob ipſum faciẽs, vt via purgetur: ſiue teſtans Mercurium, aut vt ei honorem ſignificet, ſi nihil habeat aliud quod ei offerat : ſiue vt Mercurij collocationem prætereuntibus faciat manifeſtiorem : aut innuat, ex paruis partibus proferendam orationem conſtitui. Ad hæc primus dicitur Forenſis, ídque meritò, quum ſpeculator ſit eorum qui vendunt aut emunt aliquid, vt qui oratione omnia rectè præſtare poterit. hinc & mercaturæ præeſſe viſus eſt : vnde & ἐμπορχῖος & κερδῷος eſt nominatus. Deinde lyræ inuentor eſt, tanquam ſymphoniæ atque concordiæ, qua viuentes fœli-

ter agunt.nam congruentem habet addere diſpoſitioné. Poſt hæc etiam illi arcanorum ſcientiam tribuere cupiẽtes,furem tradiderunt eſſe, & vafri Mercurij erexerunt ſtatuam.nam illum qui proditus erat, ſublatum occultat,ſuffuratus aliquatenus ſua perſuaſione rei veritatem, vnde nonnullos etiam ἐπικλόπως vafra ac fraudulenta oratione vti dicunt.etenim fraudem componere his qui ſermone vti norunt,eſt proprium.Deinde legalis eſſe dicitur,quòd ob correctionem eorum ſit poſita lex, quæ in communi viuendi ratione facienda ſunt. itaque ob concordiam, ad accuratè loquendi rationem transfertur.Ad hæc, & in palæſtris eum colunt cum Hercule,eo quòd robur rationi comes eſſe debeat.nam qui ſolis corporis viribus fretus,rationem:quæ artes in vitam induxit,neglectui habuerit,huic admodum cõcinnè dixeris: Infelix,tuum te robur perditum ibit.

*De fabulis,quæ antiquorum literis celebrantur.*

MVltas variáſque veteribus Græcis de diis conditas eſſe fabulas(vt aliæ quidem apud Magos fuerunt, aliæ apud Ægyptios & Africanos, atque alios Græcos) teſtimonium ceperis id quòd Homero dictum eſt de Ioue ad Iunonem hunc in modum : An non in mentem veniat,quòd ex alto ſuſpenſa eras, & pedibus duas demiſerim incudes:apparet id Poëta ad veterem fabulam referre, qua fictum eſt Iouem cathenis aureis ſuſpendiſſe Iunonem , eo quòd ſplendorem auro haud diſſimilem habeant aſtra: atque ex pedibus eius duas dependiſſe incudes, nempe terram & mare, quæ ad ſe aera trahunt : quando ad alterutram partem abſtrahi nequeat.Ad hæc alterius meminit fabulæ de Thetide, nempe Iouem ab illa ſeruatum eſſe,quum illum dij alij vinculis conſtringere voluerunt, Iunóque, ſiue Neptunus,& Attica Minerua:Apparet autem, vnumquemque horum pro virili continuò Ioui ſtruxiſſe inſidias, quum futurum eſſet,vt hunc ornatum remorarentur.ſed quod natum erat,humore ſuperabundauit,& in aquam erant redacta omnia : aut igni, & aer quoque in ignem tranſiit. Verùm cum decoro omnia diſponens Thetis, hoc eſt prouidentia,Centimanum Briareũ, nempe diuinam

potentiam diis obmolita eſt, quæ diſponuntur euaporationes vndecunq; è terra prodeuntes,nõ ſecus ac ſi multis manibus per omnes numeros impleretur hæc diſtributio.Hic mihi fixius perſpice,an ab eo quòd mũdi partibus illam ademerit voraginem,nũcupatus ſit Briareus. Ægeon dictus eſt,quia ſemper floreat ac vigeat.Deinde non eſt quod fabulas reiiciamus, nec aliarum ad alias transferamus nomina:nec,ſi quid adfictum ſit,genealogiis ab his datis proportionẽ faciamus.Proinde fabulati ſunt,Chaos eſſe genitum, quemadmodum deſcribit Heſiodus.Poſt hoc Terram,& Tartarum & amorem, at ex Chao,Erebum & noctem prodiiſſe, vel ex nocte Æthera & Diem. itaque opus eſt ſcitu, quòd Heſiodus poſt Chaos dixit natam eſſe terrã,dicẽs:Certè primus qui inter cœlum & terram fuit locus, chaos erat. & deinde: Terráque lata omnium immortalium tutum ſolum. Qui niuoſi Olympi detinent vertices, ac amplis dentibus Tartara, receſſum latæ terræ. Deinde amor, qui pulcherrimus eſt inter immortales deos, Emolliens deos,ac omnes homines,Domat in pectore mentem, & prudens conſilium. Deinde è Nocte Æther & Dies prognati ſunt. Ex Chao autem, Erebúſque ac nox atra prodierunt. Nam terra per contractionem facta eſt, at Aer per retributionem. Deinde quod in aere eſt tenuiſſimum, in ignis naturam abiit: verùm mare per exuctionem, porrò montes per terræ ſecretionem. At è nocte æther,quòd noctu æthera cernamus in aſtris: & iterum, niſi nox ſecedat, non fiat dies. Porrò chaos eſt humidum, quod ante mundi expoſitionem fuit, à fundendo ſic appellatum: aut ignis,quaſi chaos: ἀπὸ τῦ καίειν, id eſt ab vrendo: & hic ob tenuitatem diffuſus eſt. Erat enim aliquando ô fili, quicquid eſt in rerum natura,ignis: & annis voluentibus,iterum fiet. at igni in aere extincto, craſſa fit mutatio in aquam: quæ quidem mutatæ ſubſtantiæ partes per denſitatem arripit,ac extenuatæ per raritatem.Nec temerè dixerũt poſt chaos terram eſſe factam,&tenebricoſa tartara quę terræ receſſum nominat prædictus poëta,quòdpræſumpſerit hunc abſtruſum eſſe.At erebrus cum ipſis dicitur natus,qui ad generãdũ impetus eſt, quũ aliud ſimul ex alio naſcitur.

Nec putandum eſt, pulcherrima ad ſpectandam hanc vim deficere. Cæterùm erebus ex chao prodiit, quandoquidem regi & occultari aliud ab alio ſignificat ſermo: quemadmodum & cum hoc congreſſa terra, ilicò conformem ſibi terram protulit, vt per vniuerſam terram eſſet beatis diis tutum ſolum, ſemper currentibus in hoc beatis aſtris. Peperit autem terra è vaporationib. cœlũ, dicto vulgariter cœlo, quicquid circa ipſum eſt tenuis ac raræ naturæ. nam & terra quoque è chao genita eſt. Cæterùm primò ſeparatus à primogenito liquore aer, tenebricoſus & caliginoſus erat. Deinde attenuatus, in æthera & lumen tranſiit. Scitè igitur & hunc è Terra natum eſſe dictum eſt. At terra montes & mare peperit, ídque certè nemini in amore commixta, & ſe ſanè continuit mare in concauis horum partibus, mutationẽ expectans: ac quæ ob inęqualitatem contractionis fuerint, eminentias cepit. Poſt hæc prognati ſunt Titanes, hi certè nihil aliud ſunt quàm rerum differẽtiæ, quemadmodum enumerat Empedocles, Phyſo, & Phthimenen, Cnio, & Aſtemphea, Polyſtephanon, & Megiſto, ac alias multas prædictam rerum varietatem obſcurioribus vocculis inuoluens. at à veteribus hæc ratio Iapetus eſt appellata, ſecundum quam etiam & animalia aſtuta nata ſunt. & in vniuerſum ſonus iſte eſt perfectus, quum Iacetus, id eſt medicus quiſpiam exiſtat, vt vox ſonat. nam ſæpius Iones litera κ loco literæ π vtuntur. Ad hæc κριὸς, id eſt aries nominatur, quòd eo imperium ac dominiũ rerum quæ ſubiectæ ſunt obtineat. hinc fortaſſis & in grege κριὸς, id eſt aries, nomen traxit. Hyperion, quòd ſupra alia eat. Oceanus, quod breui tẽporis ſpacio perficitur: qui acalarretas, id eſt leniter & quietè fluẽs appellatur, quòd lenis ac quietus eius fluxus ad ſolis motũ appareat. & βαθυδίνης, id eſt habẽs vortices profundos, quòd continuò moueatur. Porrò Tethys dicitur, quia omnia pura ac ſplendida reddat efficiátque, vt contrariorum habituum cauſæ decenter his ſuccedant. Mnemoſyne cauſa eſt, vt quæ facta ſunt, animo conſeruemus. Themis eſt, quæ efficiat vt inter nos coeant fœdera, ac ſeruentur. At Saturnus omnium quæ fiunt prædicta ratio filiis exiſtens potentior. Poſtremum autem eum dicunt

natum, quòd poſt dictorum generationem ipſe permaneat, tanquam in ipſa generatione fuerit. Tum certè perfectior Heſiodi narratio, qui hæc quidem (vt exiſtimo) à vetuſtiſſimis mutatus ſit: hæc autem fabuloſius ſuo Marte addiderit, quo modo etiam plurimam theologiæ partem corrupit. Sed nunc ea quæ à plurimis celebrata ſunt, oportet perpendere.

*De Prometheo.*

QVum antiquitus promulgatum ſit, Prometheum è terra humanum genus finxiſſe, conſiderandum Prometheum eſſe dominium animæ vniuerſarũ rerum inditum: cui recentiores nomen indidere prouidentiæ. nam per hanc cùm alia omnia, tum è terra, idoneè ad id diſpoſita, conficti ſunt ab orbe condito homines. Dicitur & aliquando Ioui conuerſatus eſſe Prometheus. nam quum omni imperio multa prouidentia ac multorum præſidentia ſit opus, maximè certè Iouis, ac ignem dicitur pro hominibus ſuffuratus eſſe, quòd ignis vſus noſtri ingenij ac prouidentiæ ſit inuentum. Deinde hunc illum è cœlo detuliſſe ferunt, eò quòd magna illic ignis ſit copia: aut quòd hinc oriātur tonitrua, ictu hæc noſtra accēdentes, & fortaſſis tale quippiam per ferulam adumbrat. Deinde ob id ligatus Prometheus puniebatur, aquila iecur eius rodente: ſiquidē noſtra ſolicitudo prædictum lucrum cum aliis poſſidens, ſua ipſius culpa quandam experitur moleſtiam triſtibus vitę curis alligata, & quodammodo ob vigilantiam ad viſcera vſque exeſa. Ad hæc Promethei dicebant eſſe fratrem natu minorem Epimetheum, moribus quodammodo incultioribus, quòd proſpectione præuerterit illam (quæ ex contingentibus prodit) ſcientiam. Nam reuera factum ſtultus cognouit patiens: ob id enim primæ mulieri dicunt conuerſatum fuiſſe. nam conuenit vecordiorem eſſe fœmineum ſexum: & ſuapte natura magis poſt rem factam vtitur conſilio, quàm antea. Dicitur etiam à quibuſdam & artium inuentor eſſe Prometheus, idque nullam ob aliam cauſam, quam quòd ad earum inuentionem intellectu ac prouidentia ſit opus.

## De Vulcano.

AT bona hominum pars artes Mineruæ ac Vulcano tribuêre. Mineruæ quidem,quando hæc prudentia ac induſtria eſſe videtur: Vulcano autem, quòd ex artibus plurimæ per ignem ſua opera exhibeant. Deinde certè æther ac ſplendor & purus ignis eſt Iupiter. At ille qui in vſu eſt,ac aeri miſcetur, ἥφαςος, id eſt Vulcanus dictus eſt,ab incendendo, ducto nomine: hinc eum Ioue & Iunone prognatum eſſe dixerunt. & aliqui Iunone ſola:nam craſſiores ac pinguiores flammæ quodammodo ex ſolo incenſo aere materiam ſumunt. Verùm traditur claudus eſſe, quòd ob materiæ craſſitudinem curſum claudicantibus haud diſſimilem faciat:aut fortaſſis, quòd ſine ligneo tanquam baculo progredi nequeat. Verùm nonnulli, quia ſuperiorem motum ob nutrimentum inferiori diſſimilem atque inæqualem faciat, illo tardiore exiſtente, eum claudicare dicebant: Ferunt autem, Iouem illum è cœlo in terram dediſſe præcipitem:quòd fortaſſis,qui primi cœperint igne vti, ex ardenti fulminis iactu hunc adepti ſunt,quum antea nullis ingenij machinis ad ignita peruenire potuiſſent. Cæterùm ei Venerem connubio iunctam fuiſſe dicunt, & eadem ratione vnam Gratiarum. nam quemadmodum diximus,mechanica opera gratiam habere, ſic & venerem quandam illis adeſſe cenſemus, niſi id ſic,ad innuendum,magnam caloris vim adeſſe, in ipſo coitus impetu,iſtud eſt confictum. nam fabulantur eum metuiſſe Martem ſuam vxorem adulterio conſpurcantem, eſt ênim apud poëtam fabula, quum tamen vetuſtiſſima ſit,ſiquidem ignis robore & æs & ferrum domatur: At illud de adulterio figmentum innuit,non admodum conuenire pugnæ ac violentiæ cum hilaritate ac manſuetudine:nec iterum præter naturæ legem ea connecti, quum alterum alterius commixtionem ſibi vendicet. nam præſtantius ac generoſius germen harmoniam ex ambobus conſiſtentem reddere ſolet. Deinde Ioui obſtetricis officium præſtitiſſe dicitur, quando Mineruam parturierit.nam defecto eius capite, effecit vt illa exiliret: ſiquidem hic igni quo vtuntur artes cooperariò ad oſtentationem naturalis hominum ſcientiæ, ipſam in-

duſtriam tanquam occultatam in lucem produxit. nam qui aliquid quærunt, ſi inueniant, id parturire ac parere dicuntur.

### *De Minerua.*

CÆterum Minerua eſt Iouis intellectus, haudquaquam diuerſa exiſtens, quæ Ioui ineſt, prudentiæ: quemadmodum etiam prouidẽtiæ Mineruæ erecta ſunt templa. Prognata autẽ è capite Iouis dicitur, fortaſſis exiſtimantibus veteribus hinc eſſe præcipuam animę partẽ quẽadmodũ & aliis his ætatę minores cenſebant: aut fortè quia homini ſuprema corporis pars ſit caput, mundi autem æther, vbi præſtantiſſima eius pars ſiet atque ſapientiæ cauſa, deorum vertex (vt ait Euripides) terrã ambiens lucidus æther. Deinde matre caret Minerua, quòd peregrina ſit virtutis generatio, nec horum ſimilis quæ ex congreſſu naſcuntur. Proinde μήτη, id eſt conſilio abſorpto, eã peperit Iupiter: ſi quidem ipſe prudens, ac conſilio pollens, nulla alia ex re quã ex prompto conſilio ſapientiæ ſumpſit primordia. Ad hæc, nominis Mineruæ etymologia inuentu eſt multò difficillima, idque ob vetuſtatem: his quidem ἀπὸ τοῦ ἀθρεῖν, id eſt ab eo quòd omnia perſpiciat, appellantibus eam Athrenam: aliis autem, quòd fœmina licet ſiet, minimè tamen muliebribus deliciis eneruetur. Deinde iterum alij, quia hac ſit natura virtus, vt nemini ſubigatur, ac nullius iugum ferat, hinc nomen tuliſſe dixerunt. Aut fortaſſis ab æthere, quemadmodum & veteres eam vocarunt Ætheroniam: eius enim virginitas puri atque incorrupti eſt ſymbolum. tale quiddam eſt & virtus. nam fingitur quoque armata, & ſic eã fuiſſe natam narrãt: innuẽtes, ſapiẽtiam ſuis ipſius præſidiis ſatis eſſe inſtructam ad maximas atq; difficillimas res obeundas: ſiquidẽ armati maximũ rebus præſidiũ adferre vidẽtur. & hanc ob cauſam illi quoq; maſculũ illud atq; gorgoniũ tribuére: tale etiã quiddã glaucore eius repręſentante, etenim inter animãtia robuſtiſſima quęq;, vt ſunt pardi & leones, quiddam viſu obtinẽtibus intolerabile glauciſcunt oculis. Verũ quidã hęc illi tribuerũt, quia aer eſt cæſius. Deinde id maximè rationi concinit, quòd in Ægidis cõmunionem cũ Ioue venerit, quũ illa ſola ſit qua excellat Iupiter atq;

omnibus anteſtet. At in ipſa Ægide caput eſt Gorgonis in medio deæ pectore linguam exerens: quòd nimirum in omni rerum adminiſtratione præcipuum atque præſtantiſſimum ſit ratio. Deinde dracones & vlula ob oculorum ſimilitudinem offeruntur huic, cæſiis nimirum oculis exiſtenti. nam acutiſſimo viſu eſt draco, & quandam excubandi vigilandique vim habet, nec venatione capi poſſe videtur. non enim decet conſiliarium virum totam noctem ſomno tranſigere. Dicitur & Atrytone, quòd nullo poſſit labore conteri, aut quia de tertio eſt æthere. Deinde Tritogenia, quoniam malis tremorem & metum ingenerat: non enim, niſi ad malum bellum exſuſcitant. Verùm alij dicunt tria philoſophię ſpeculationis genera ſecundum aſtutiorem correctionem, aut veterum plenitudinem id habere. Ad hæc eam populi ſeruatricem vocarunt, quòd in pugnis populum ſeruet. Deinde prędatrix eſt appellata, à præda: aut quòd rerum hominúmque ſit tutela. etenim ciuitati & familiæ omníque vitæ generi præſidem fecere ſapientiam poëtæ: hinc & ipſa Eryſipolis & Polias eſt nominata, quemadmodum ipſe Iupiter: nam vterque vrbium eſt proſpector. Cæterùm Pallas dicitur, ob fabulatam circa ipſam iuuentutem, vnde & Pellicibus ductum eſt nomen, quòd excutiant atque euibrent iuuenes. Deinde præcipuè collocant in arcibus, expugnandi atque capiendi difficultatem ſignificantes, aut vt deſuper fugiẽtes illam conſpiciant: deinde pro naturæ portione editiſſimo loco ſitas eſſe oſtendentes. Ad hæc auxiliatricem & Ageleida, id eſt prędatricem vocant, id quidem ab auxiliando deducentes: nam ad depellendam iniuriam atque opem ferendam ſatis eſt inſtructa: vnde & Victoria eſt appellata. ſed alterum ab eo, quòd populum agat, ac ſtimulet: aut quòd indomita ſit boum armentis ſimilis, quas ei maximè immolant. Deinde tibias inueniſſe dicunt, quẽadmodum & alia inter artes politiora: vnde etiam lanificio præeſſe fertur. At poſtmodum illam aiunt tibias abieciſſe, quòd animos emolliat atque emaſculet ab his prodiens carmen, & minimè virile & bellicum videatur eſſe. Deinde huic donum eſt olea, quòd floreat, ac quid habeat cæſij coloris: & oleum germanam habet vim,

aliis

aliis liquoribus diuerſam. nam tempeſtiuum [...] ſincerũ ſemper manet, ita vt virgini bene conuenire [v]ideatur. Martia autem vocata eſt, quòd dux ſit & gub[er]natrix præliorũ, & rebus bellicis ſupra modum pręſtãs, ac capitudo omnium: eſt autem totius virtutis caput. Deinde equeſtrem, & equorum domitricem, & haſtis ſtimulantem, & ſæpius alio eam appellant nomine. & ei trophæa ex oleaceis lignis erigunt. maximè autẽ victoriam iuxta eam recubitum habere fecerunt, quæ ſuperiores vincenti concedit. Deinde alata quoque inducitur, ob acrẽ miniméque retrahendum ad res impetum. Et traditur etiam, in illa aduerſus gigantes pugna optimè ſe geſſiſſe. & Giganticida cognominatur: id hac ratione conſentaneum eſt, primos e terra natos homines violentes fuiſſe ac furibundos, atque ob id nondum potuiſſe hærere, ac radices agere inditam illis communicationis ſcintillam. At dij illos quaſi extimulaturi ac ad ſuam mentem conaturi reducere, adierunt. & præſertim quæ circa orationem verſatur ſpeculatio, iſtos debellauit: & ita ſubegit, vt expulerit atque ſuſtulerit, hoc eſt ad melius viuendi inſtitutum immutauerit: & ex hac immutatione alij facti & præpediti ſunt à Minerua Attica, nempe ab ipſa cognitione.

### *De Marte, & Bellona.*

ADhæc alij dij in reipublicæ muneribus verſantur, haudquaquam pari modo ad conſtantem illam, ac cum ratione coniunctam vitam contendentes. nam turbulentiores ſunt Mars & Bellona, atque per hos Iupiter in ſe commiſit animantia. neque id præter rem, ne hominibus quidem: aliquandò enim bellum iniecit, vt animi generoſitatem atque fortitudinem ipſi ſibiipſis, aut ſibi mutuò (quod virtuti eſt proprium) commẽdent & ob hanc cauſam Iouis filius eſt Mars dictus. At bellonam hi quidem nutricem, hi autem matrem, & alij iterũ ſororem eſſe Martis tradiderunt. At nullo hæc diſta[nt] diſcrimine. nam Ennyo, id eſt Bellona, eſt, quæ a[ni]mos & robur in aciem profecturis addit. aut Bene [...]inandi forma, quòd minimè concors & æqua ſit. [...] ἄρης, id eſt Mars, appellationem habet ἀπὸ τοῦ ἀ[ί]ρειν καὶ ἀναιρεῖν, id eſt à ſuſtollendo; aut ἀπὸ τοῦ ἀρῆς, quod damnum ſigni-

ficat:aut iterum per contrarium,quaſi eum hac appellatione demulcere niterentur, ἀπὸ τοῦ ἄρσαι. ab aptando. nam vis actiua res ipſas coaptat:& fortaſſis tale quid habet harmonia,quàm ex ipſo fieri fabulati ſunt. Deinde rectè dicitur homicida,& hominum pernicies,& clamoſus,& œſtro percitus , quòd maximus feruenti negocio à pugnantibus ſuſtollatur clamor. ob quam etiam cauſam nõnulli aſinos quoque ei mactant,ob turbulentum ac acutum rugitum:ſed plurimi canes , ob ruditatem & moleſtiam animantis. Coli autem maximè à Thracibus & Scythis,& huiuſmodi farinæ gentibus,dicitur : quando apud illos rerum bellicarum exercitium honore floreat,ac iuſtitia habeatur neglectui. Deinde vulturem ei ſacram faciunt , quòd hic maximè ſit huiuſmodi auium copia:vbi multa ſũt cadauera,quæ Martis ſunt indiciũ.

*De Neptuno.*

POſt hæc autem de Neptuno , ô puer , dicendum eſt. Suprà dictum eſt , hunc eſſe illam circa liquidas res verſantem potentiam:at nũc id altius explicandum. Primùm quidem eum Phytalmium vocarunt , idque ab eo , quòd omnibus quæ è terra oriuntur , prorſus naſcendi cauſa eſt terræ indita humiditas. Deinde Enoſichthona , & Ennoſigæum , & Siſichthona , & Tinactoragæen,id eſt terræ motorem ac tenſorem:quia nulla alia cauſa terrę motus generatur.quàm quòd terrę fiſtulæ ac venæ maris ac aliarum aquarum inũdationem ſuſcipiant. nam coanguſtati in ipſa ſpiritus, & exire ad libertatem nitentes,turbare & rumpere eam ſolent:aliquando & iam redditis quibuſdã mugitibus in hac eruptione. Hinc quoque à nonnullis Mugitor dicitur. Deinde mare & iam talem ſonum edit : à quo & ſonorum & clamoſum & turbulentum dicitur. Hinc etiam illi cõueniunt tauri & hos immolant ei prorſus nigros, idque ob maris colorem:quum maximè aquam cæruleam eſſe narrent. Proinde rectè eum cæruleis crinibus decorum en ferunt:& huiuſmodi etiam veſtitu inducunt. At huius re gratia fluuios cornigeros &taurino eſſe vultu fingunt , qu d violentiam & mugitum quendam eorum curſus habeat. enim Scamander apud poëtam , tauri in morem barbatus ſſe dicitur. Cæterum alio modo,à

nonnullis Gæuchus, id eſt terræ rector, dicitur Neptunus. & Temeliuchus, id eſt fundamentorum concuſſor. & ei ſæpius aſphalacos immolant: quòd in ipſo ſitum eſt, vt terræ ædificia ἀσφαλῶς, id eſt tutè & ſine periculo ſtent. Ad hæc geſtat tridentem, aut quia hoc vtuntur in captura piſcium: aut quia id inſtrumentum ad terram mouendam eſt aptum. nam ſic dicitur: Et ipſe Neptunus habens manibus tridentem, Prodiit. omnia enim fundamenta ſedibus ſuis mouit. Suſcipitur ab occulto quodam, vtputo, Tritone. hinc Amphitrite. At Triton dictus eſt, ſiue à fluxu ac impetu τ literæ ſuperfluæ: aut ἀπὸ τοῦ τρεῖν, à tremendo, per Antiphraſin. Eſt autem triformis Triton, & hac quidem parte hominem, illa verò cete repræſentat: quia dicta humiditas vim habet partim vtilem, partim nociuam. Deinde lato pectore vocatur Neptunus, ob maris latitudinem. quemadmodum dictum eſt. Per lata terga maris. Dicitur quoque eandem ob cauſam latè imperans ac latiſonans. Sed equeſtris fortaſſis, quia concitatius per mare fit iter, quódq; nauibus tanquam equis vtantur. Hinc & equorum curatorem eſſe his ætate poſteriores cenſuerunt. Deinde νυμφαγέτης & κρηνοῦχος eſſe perhibetur, ob prædictas cauſſas: ſiquidem Nymphæ ſunt dulcium aquarum fontes, eo quòd ſemper vernanti ætate videantur eſſe: aut à ſplendore ſic dictæ. Deinde nubentes nymphas eas vocant, quòd nunc primùm appareant, hactenus occultatæ. Eò quoque pertinet, Neptuni filium eſſe Pegaſum, ἀπὸ τῶν πηγῶν, id eſt à fontibus ſic nominatum. nam ob violentiā in mari conſpectam omnes quoque violentos & magni conſilij homines, vt Cyclopem, & Læſtrygonas, & Aloidas, Neptuno prognatos eſſe fabulantur.

## *De Nereo.*

AT Nereus mare eſt: hunc in modum vocatus, quòd natitet per mare. Deinde ſenem illum vocant, quia cana quodammodo ſpuma ebulliat fluctibus: etenim Leucothea tale etiam quid innuit, quæ Nerei filia perhibetur eſſe, nempe ob ſpumæ candorem.

## De Venere.

CÆterùm conſentaneum quoque eſt, Venerem nullam ob aliam cauſam è mari natam perhiberi, quã quòd ad omnium generationis cauſam motu & humiditate opus ſit: quæ vtraque in mari abundant. Deinde & eò tendebant, qui eam Diones dixerunt eſſe filiam. nam διερὸν humidum ſignificat: ſicut ἀφροδίτη, id eſt Venus. Venus autem eſt, maſculum atque fœmellam induens, potentia. Et fortè quòd ſpumoſa ſint animantium ſemina, talem eſt ſortita appellationem. Aut, vt Euripides commentus eſt, eo quòd à Venere ſuperati, ἄφρονες, id eſt parum ſanæ mentis ſint. Deinde pulcherrima inducitur, quòd maximè detineat hos, qui parum mente conſtant, quæ ex congreſſu eſt voluptas, tanquam alias omnes longè à ſe relinquens. Dicitur autem amans riſus, quando huiuſmodi notæ hominibus peculiares maximè ſunt, riſus & hilaritas. Deinde aſſidentes ſibi habet Gratias, & Suadelam, & Mercurium, quòd ſuadelà & oratione & gratiis ſuos pellecter amantes: aut ob blandam ac facilem conſuetudinem. Porrò Cytherea eſt dicta, διὰ τὰς ἐκ τῆς μίξεων γινομένας κυήσεις, quod è congreſſu in vtero concipiant mulieres: aut διὰ τὸ καθῆσθαι. id eſt, quòd vt plurimum ſedeant, ac fixæ ſint amantium cupiditates. Hinc vtique Cythera inſula Veneri eſſe ſacra videtur: aut fortè Cyprus, nomine quodammodo concinnens κρύψει id eſt occultationi. At Paphus eius eſt domicilium, quæ Paphia dicta fortaſſe per defectum, ἀπὸ τοῦ ἀποφίσκειν, id eſt à decipiendo: habet enim, ſecundum Heſiodum, riſúſque & fraudes: & ſecundum Homerum, impoſturam, qua mentem eripit etiam admodum ſapienti. Cæterùm eius ceſtus, eſt Zona ornata, vt cum maximè: aut quòd ſtimulandi vim variámque habeat efficaciam, aut etiam ſtringere debeat. Vocatur quoque Venus cœleſtis, & vniuerſalis, atque omnium cauſa, quòd & in terra & in mari eius potentia conſpicitur. Adhæc, minimè rata, nec punitione plectenda dicebant venerea iuſiuranda, quòd quatenus ad rem obtinendam ſint accommoda, his in adducendo vti conueniat amantes. Et ex auibus maximè gaudet columba, quod purum ſit id animal. ac à ſue, ob ſordes animantis,

abhorret. Deinde plantarum myrtus quidem, ob arboris amicabilitatem, Veneri ſacra eſſe præſumitur: atque hæc maximè quæ φιλύτεγα vocatur, ob nomen, quòd hoc pacto amor aptè effertur. & ad flectendas coronas ea magis vti ſolent: ac cauent, ne πήξον deæ offerant, his quodammodo ceſtum maximè conſecrantes.

*De Amore.*

NEc eſt quòd admireris, ſi quum huiuſmodi ſit, ſimul cum ea colatur atque conuerſetur Cupido, quum bona eruditorum pars hunc Venere prognatum eſſe tradiderit. Qui certè puer eſt, quòd amantes animo ſint imperfecto, ac facile fraudibus conuellendo. Alatus autem, quod etiam cædes edat: aut quia non ſecus ac auis frequenter mortalium aduolet animum. & Sagittarius, quoniā amore capti, perinde ac ſi telo icti eſſent, afficiuntur: neque ſe, poſtquam vulnerati fuerint, bonis adiungunt, ſed procul illos intuentur. Deinde tribuitur ei fax, quoniam igni ſuo animos incendere videtur. Ad hæc conſentaneum eſt, eum appellatum eſſe ἔρωτα id eſt cupidinem, ab amatorum inquiſitione: ſiquidem ab inquirendo dicitur. ἐρᾶν, vt dictum eſt ἴθ' αὐτοῦ θ' ἵππους ἐρέων: Abi eius quæſiturus equos. Hinc, vt puto, dicta eſt ἐρεύνη inquiſitio. Ac traditum eſt, plures eſſe Cupidines, ob amorum varietatem, quódque huiuſmodi frequenti ſatellitio obſtipetur Venus. Vocatur etiam ἵμερος ſiue quòd eat aut feratur ad fruendum his quæ formoſa habentur: aut per imitationem mentis ἐκτάσεως ὡς ἀναμαρμαίρεσθαι περὶ τούτων. Deinde πόθος, ob oſculorum imitationem, vnde & dictio παππᾶς appellationem habuit: aut quòd frequenter amantes ſciſcitantur de amatis, πόθεν ἔρχονται, id eſt vnde veniant, & vbi fuerint. Adhæc, non deſunt qui vniuerſum mundum nihil aliud quàm amorem eſſe putarint, quum pulcher ſit & venuſtus, ac forma florida: ætate tamen antecedens omnia, qúmque multo vtatur igni, & motum velocem veluti ab arcu ac aliis faciat.

*De Atlante.*

HVnc autem alio pacto & Atlantem eſſe, & citra negocium explentem ea opere, quæ ſermone de illo feruntur: & ſic cœlum geſtare perhibent. Longas autē

habere columnas, nempe elementorum potentias: ſecundum quas hæc quidem ſuprà, hæc autem infrà tendunt. nam his prorſus ſtabilita eſt terra. Ab his ὀλοόφρων eſt dictus, quod περὶ ὅλων φροντίζει, id eſt vniuerſarum rerum curam gerat, ac omnium ſuarum partiũ ſaluti proſpiciat. Deinde ex ipſo Pleiadas ortas eſſe fabulantur: innuentes, illum aſtra omnia numero plura exiſtentia, generaſſe Aſtreo & Athamanti: quia vnus quum ſit ac ſolus, rerum vniuerſitatem haudquaquam potuit conſtituere, etſi maximè ei vſu veniſſe videatur: vt ipſe ſolus quum ſit, maximam tamen admirationem concitarit his qui eius euentioni inſiſtant.

*De Pane.*

TAlem quoque Pana eſſe perhibent, ſiquidem idem eſt omnibus. Et inferior eius pars hiſpida eſt & hirta, idque ob terræ aſperitatem: at ſuperior humana eſt figura, eo quòd mundi imperium, quod ratione prorſus conſtat, æther obtineat. Porrò laſciuum ac in Venerem prouectum inducunt, quòd illi naturalis ſeminis adſit copia, atque eorum quæ per congreſſum ex iis naſcuntur. Ad hęc, in deſertis locis illum degere, per id maximè eius ſolitudinem ſignificantes: vnus enim ac ſoligenitus eſt mundus. At nymphas aſſectatur, quandoquidem euaporationibus humiditate redditis gaudet, extra quas nihil eſſe in rerũ vniuerſitate videtur.. Deinde nebride & pardali indutus eſſe fertur, ob aliorũm atque aliorum colorum variegationem quæ in eo conſpicitur. Deinde tripudiator eſſe: aut fortaſſis quod omne genus ventis differatur, aut quòd auſtero & agreſti ſit exercitio, miniméque ad oſtentationem compoſito. ideóque in montibus ac antris vitam exigere dicitur. Et additur ei corona, pinea fronde contexta, quando montanum quiddam ac magnificum hæc habeat planta. Deinde mos obtinuit, vt tumultus repentinos ac prorſus ratione carentes, appellemus Panicos: ſic enim quodammodo armenta ac greges caprarum redduntur attoniti, ſtrepitu aliquo è ſyluis antríſque ac præruptis locis audito. Nec temerè illum pecudum ac armenti ſpeculatorem fecerunt: hanc fortè ob cauſam ei cornua quoque ac fiſſas vngulas tribuentes, aut fortè id per

duas illas prominentes auriculas adumbrantes. Et eſt fortaſſis hic etiam Priapus, quòd omnia in lucem producat: & ſunt etiam è veterib. heroibus, qui illum ἀσφον, ob ea quæ de mundi natura ſpeculati ſunt, deſignarint. At verendorum magnitudo, vim ſeminis in genitalibus abundantem ſignificat. Sed quam ſinu geſtat omniũ fructuum miſcellaneam, ſignificat copiam fructuum in ſinu terræ ſub tempore naſcentium ac prodeuntium. Inducitur quoque cuſtos & hortorum & vitium: quandoquidem ad generãtẽ ſpectat eadem tueri quæ generauit: quũ hinc quoque ſeruator dicatur Iupiter. Porrò vites, linguæ diuerſitatem ac puritatem innuunt: At maximè horti variegationem & delectationem facilémque fieri generationem, quum huiuſmodi veſte (vt plurimum) ſit indutus. At dextra manu protendit falcem: aut quia hac ad purgandas vites vtantur: aut quia ad cuſtodem ſpectat ad ſui tuitionem armatum eſſe: vel quia hęc potẽtia, vbi res in naturam produxerit, eaſdem execat & corrumpit. Deinde bonum numen appellatur, quia mundus ſingulis annis nouis iterum fructibus eſt onuſtus: aut quæ illi præfecta eſt ratio, quatenus oportet, diuidit obiectum, boni diuiſoris munus exequens. Ad hæc artifex eſt, ac propriarum rerum ſeruator, eo quod ſuam domũ adeo pulchrè ſeruet, ſéque aliis exemplar exhibeat. Deinde Amalthæ cornu propria eſt illius prudentia, qua ſimul omnia impellit quæ ſuo tempore naſcuntur. Verùm haudquaquam vna in re id quod à rerum natura producitur, ſed confertim & variè, in periodo ditat, aut iterum demolitur, ac ad nihilum redigit omnia, ob eam quæ ex ipſo fit ad laborem exhortationem, tanquam is qui non emolliant bona prouenirent.

*De Cerere & Veſta.*

REliquum eſt ô fili, vt de Cerere & Veſta verba faciamus: quarum altera nihil aliud quàm ipſa terra videtur eſſe. ſiquidem hinc illi ob id quod ſemper ſtet ac fixa ſit ἑστίαν, id eſt Veſtæ nomen indiderunt veteres: aut quia ſuper ipſam tanquam fundamentum ſtabilitus eſt vniuerſus mundus. Deinde quod in morem matris educat ac nutriat omnia, δημήτρα, id eſt Cereri, tanquam terræ matri, nomen fecere: aut Iouis matri, ꝙ ipſe

hominibus quæ edant, affatim ſuppeditarit: aut ἀπὸ τοῦ δήειν, id eſt quòd inuenerit quæ illi maximè exquirant. Cæterùm inducitur nobis Veſta virgo, quòd perpetuus motus rerum generādarum cauſa nequeat eſſe: obq́ue hanc cauſam illi à virgine adminiſtratur. At nō itidem Ceres, ſed κόρην, id eſt puellam, tanquam κόρον, id eſt ſatietatem peperit: quum ſit materia ad ſatietatem vſque alimenta ſubminiſtrare idonea. Cæterum tribuitur Veſtæ inextinguibilis ignis: fortaſſis quòd vis ignea quę in mundo eſt, hinc nutriatur, ac per hāc ſubſiſtat: aut quòd fœcunda terra etiam animalium ſit mater, quibus vis ignea vitæ eſt cauſa. Fingitur autem rotunda, & per medios humeros fixa eſſe, eo quòd huiuſmodi ſit terra, & ſic coagulata ſedeat. Hinc per ſimilitudinem γῆ & χθὼν, id eſt terra appellata eſt. fortè γῆ ἀπὸ τοῦ χάδειν, id eſt à capiendo: nempe quod omnia capiat, ſic appellata. Ad hæc primò & poſtremò nata perhibetur, quòd in hanc reſoluantur quæ ab ea producuntur, & ab eadem conſtituuntur. Quare & Græci ab illa ſacrificiorum principium ſumpſerunt, & in illam poſtremò deſinebant. Serta autem ei candida circumpoſita ſunt, quod coronetur & occultetur vndecunque à candidiſſimo elemento. Cæterùm Δημήτηρ Ceres, eo quòd ſemina largiatur, conficta eſt. Non inconcinnè inducitur ſpicis coronata: id eſt enim omnium quæ data ſunt homini maximè neceſſarium victus nimirum māſuetior. Hūc fabulatur per vniuerſum terrarum orbem ſeminaſſe Eleuſinus ille Triptolemus, à Cerere in alatorum draconum vehiculum impoſitus: ſi quidem è veteribus primus intellectu dicitur ſecutus, deo nimirum quopiam illum ad ſublimiorem mentem erigente, quo pacto hordeum tractari debeat, & quomodo euētilatione à paleis diſcernatur. hinc & κριὸς ad ſationem eſt accommodus. inde etiam appellationem traxit ille qui hordeum cōterit: nam οὐλαὶ hordeum dicitur. Deinde Eleuſis locus eſt vbi primùm inuētū eſt. & Ceres Eleuſinia dicitur à prima illic inuētione, hominibus reuera ad cœleſtem ac diuinam vitam facta. Ad hæc perhibetur Pluto Cereris filiam rapuiſſe, ob frumenti penuriam qua id temporis tenebātur omnia: hinc enim eſt conficta deæ mœſtities, & illa per totum

terrarum orbem inquiſitio. Deinde & tale quiddã apud Ægyptios ſignificat perditus Oſiris,& diu quæſitus, & inuentus ab Iſide.qui viciſſim ſex menſium ſpacio ſuper terram,& ſub terra moratus Adonis dicitur, quòd Cereris inuentum hominibus placeat,ſic appellatus,quem ſus dicitur ſuſtuliſſe,eo quòd ſemper ſegeti ſus noceat: aut per ſuis dentem,his perplexius ac tectius deſignantibus tẽpus quod ſub terra occultetur ſeges. Sic à Venere ordinatum eſſe,vt pari tempore apud Proſerpinam maneret Adonis:& qua id cauſa factitatum eſt,addam. Vocarunt Perſephonem Cereris filiam, eo quòd hæc operatio moleſtiæ plena ac laborum patiens ſit,aut quod omnium abſtinentia colatur.nam ieiunabant in honorem Cereris,idque ſiue vt venerarentur illum peculiari quodam ab ea tradito modo, ſeu vt abſtinerent ab his quæ ab illa data ſunt,aut prouidentia quadam id factitantes:nam quum aliquando rei frumentariæ penuriam immitteret dea,poſt ſementum propriis vſibus detraxerunt quidam, vt ſeminandi tempore deæ feſtum celebrarent.At verno tempore, deæ virentem herbam cum luſu ac gaudio ſacrificant, videntes illam vigorem immittere ſegeti,ae abundantiæ ſpem protendere. Hinc quoque Plutus diuitiarum deus nõ inconcinnè dicitur, & Cereris eſſe filius,iuxta illud: Præ tritico atque hordeo ô fatue diuitię ſunt potiores. Et affluere opibus, contrarium quodammodo eſt penuriæ aç fami.in quod etiam reſpiciens Heſiodus,inquit,

*Ergo incumbe operi generoſo è ſanguine Perſe,*
*Te vt fugiat maleſuada fames,ac voueat alma*
*Tum frugum genitrix.*

Deinde ſues grauidas immolant,idque appoſitiſſimè, fertilitatem aç concipiendi facilitatem innuentes.Offerunt quoque illi papauera: neç id quoque temerè.nam horum rotunditas,ac turbinatum illud, terræ figuram, ſpheræ in morem, rotundam eſſe ſignificat.At inæqualitas illa, valles & humeros montium declarat: verùm interna hominibus & ſubditis aſſimulantur.Porrò quũ innumera ſemina terra produxerit ob frumenti copiam, à moleſto illo ac ſemper in contentionem vocato victu deſiſtebant.vnde quoque leges quaſdam ſibi mutuò de-

his quæ ad terminos aliena diſcernentes ſpectabant, condiderunt: ac inter ſe diuiſis operis, non iniuriâ dictitabant, ſibi Cererem legum atque æquitatis cauſam extitiſſe: Hinc quoque illam & Legiſlatricem appellant. Nec horum ſententiæ accedo, qui eo quod deponantur ac recondantur frumenta, illam ſic appellatam eſſe ferunt. At philoſophantes ei myſteria adducere tentabant, ſimulatque ea quæ ad victum conferunt inueniſſet. illique adeò panegyri gaudentes, tanquam memoriam renouarent, illius quod à neceſſariorum contentione deſtitiſſent. nam μυσαι, ſatiari ſignificat. conſentaneum eſt hinc quoque dici myſteria. vnde etiam Myſia à nonnullis appellantur.

### De *Horis*.

AT ob hanc cauſam dicitur Iupiter Horas ex Themide ſuſtuliſſe, à quibus bona omnia nobis ſubminiſtrantur ac ſeruantur: Harum autem hæc quidem εὐ-νομία ἀπὸ τοῦ εὐνέμεσθαι δίκη, ἀπὸ τοῦ δίχα χωρίζειν vocatur, à copioſa atque affluenti diſtributione, alia verò δίκη, id eſt iuſtitia, quòd dirimat contendentes. ſed tertia εἰρήνη, id eſt pax. quòd nulla alia re quàm oratione rem diſcernat. nam πόλεμος, id eſt bellum, eo quod multas extinguat ac deleat, ſic appellatur. Aut quod παλάμαις σπεύδειν περιγίνεσθαι τῶν ἐναντίων, id eſt manibus aduerſarios properet ſuperare.

### De *Baccho*.

HAud ſanè temerè videtur pax Bacchus appellari, quum mitium arborum curator atque adeo dator ſit Deus, quando nec hæc res quoque neglectui fuit: nam belli tempore regiones arboribus nudantur maximè. At in pace hæ quæ ad conuiuia ſpectant, tum florent, quibus neceſſarium eſt vinum. Ac dicitur Dionyſios, quod διαίνει, id eſt irrigat nos iucundè: aut tanquam diſſolutor, mutato α in ο, & λ in ν. Vnde etiam illum λύσιον καὶ λυαῖον appellant, vt qui curas ſoluat. At ſunt qui dicant, ab eo quod ad cibationem primum mons vineam produxerit, tranſiiſſe nomen illud in conſuetudinem. At hæc dicitur ignis opera matris ę vtero prodiiſſe fabula nimirum calorem eius & corporum feruorem innuente: tali enim natura eſt vinum, vim obtinens igni parem.

Sed apud poëtas eſt: Femori Iouis inſutũ, ad perfectionem veniſſe: quòd ſecundò femoribus vinum matureſcat ac perficiatur. nam primùm quum maturum eſt, vſui prorſum imperfectum eſt. Deinde pedibus calcatum fit perfectius. nam prima illa generatio fit in autumni maturitate, quæ eſt vigente etiam tum æſtu. At ſecunda cũ calcatione pedibus exteritur, atque id femoribus confici videtur. Ad hæc βρόμιος & βάκχος vocatur, quod calcantes eo primò vtantur. Deinde etiam quum ad ebrietatẽ eo vſi ſint, diſcedere huius loci vinculis. Ad hæc ſtuporis ſymbolum Satyri ſunt, ἀπὸ τοῦ σεσυρέναι, id eſt ab hiando, nomen ducentes. At σκιρτοὶ. id eſt tripudiatores, ἀπὸ τοῦ σκαίρειν, id eſt à tripudiando. Porro σειληνοὶ, ἀπὸ τοῦ σιλλαίνειν, id eſt quòd alios ſuos dicteriis exagitent. At σπευσταί. ἀπὸ τοῦ σεύειν, id eſt eo quod ruant ac impetu ferantur. Cæterùm his omnibus ianuitur ebriorum corpus pariter & animum ſolui atque effœminari. Huius quoque rei gratia fœminea fingitur eſſe forma, quòd vigorem omnem carpat ebrietas. Et cornua habere dicitur, quod ebrij vi vtantur, ac impetum quendam haud facile tolerandum habeant. At veſtis florida, autumni inconſtantiam declarat. Verùm quod multa ſtatuæ pars nuda ſit, morum ſimplicitatem ac nuditatem innuit. Qua ratione etiam οἶνος vinum verè dici videtur fortaſſis: & ob id vaticinandi ars aliquando eſt tributa Baccho, at illam ebriorum turbulentiam propriè exprimere videtur tinnitus ille & tympanorum ſonitus, quæ in eius orgia aſſumunt. vtuntur multi etiam tibiis, quum fructuũ vindemiam faciunt, aliiſque huiuſmodi inſtrumentis. Thyrſus autem oſtendit, ebriis ſuos ipſorum pedes minimè ſufficere, illiſq; fulcimento opus eſſe. Sunt etiam Thyrſi, qui cuſpidem ferreã foliis habeant obtectam, quòd aliquando amarum ac triſte quid bacchicę hilaritati ſubſit multis ad contumeliam & offenſas excidentibus. vnde etiam Mænales dictus eſt Bacchus: & Mænades, quæ circa illum verſantur mulieres. Ad hæc fingitur & iuuenis & ſenex eſſe, eo quod omni ætati quadret: iuuenib. nimirum illo meracius vtentibus, ſenib. autem ſuauiter commiſti nymphis inducuntur: & has quidem tangentes, has autem ioco violare nitentes, eo quod aquæ

temperamentum vino additum admodum vtile ſit. Deinde pardales Dionyſio ſubiungunt, atque illum ſequi inducunt, ſiue ob coloris varietatem, ita vt etiam ipſe & Bacchæ nebride induantur: aut quod aſperrimi etiam mores temperato vini vſu mãſueſcant. Ad hęc illi hircum mactant, quòd viribus ac ficis infeſtum ſit id genus animantis. quam ob cauſam hunc deglubentes, in vterum inſiliunt per pagos Atticos, iuniores agricolæ, & gaudet forraſſis id genus ſacrificio Bacchus, quòd ipſe hircus ſit. Vnde etiam aſini in pompis eius frequentant, & priapi ei offeruntur, & ſphalagogia celebrantur: etenim ad coitum facit, & Venerem cit vinum, obquod quidam Venerem & Bacchum communi colunt ſacrificio. At ferula per membrorum obliquitatem apparet, quòd huc atque illuc circũferãtur ebrij, ſimul quòd pariter leues ac facilè mouẽdi ſint. Deinde in mõtibus ferè verſantur, ac ſolitudinem amant Bacchæ, quòd non in oppidis, ſed in agris vinum naſcatur. Ad hęc Dithyrambus eſt appellatur Bacchus, aut quod os referet, faciatque vt imo pectore recondita ſupernatent ac diffluant: aut quòd ipſe ſit qui ianuas cogat adire adoleſcẽtes, aut egredi, & excidere, & clauſtra tranſilire. Deinde quòd impetum atque vim inferat, vocatus eſt Triambus: vnde inter triambos in hoſte paratos multis vtuntur anapæſtis, quum ſcommate aduerſarium ferire velint. Ac illi picam, garrulam nimirum auem, ſacram fecere: & baſtarream vocant, ab inceſſu: & eraphioten, quòd contentionem remittat, quando vino prorſus reconciliandi vis adſit. Deinde viſus eſt bellator eſſe ſtrenuus, ac primus oſtendiſſe, bello accommodum eſſe iambum. Porrò hedera coronatur, ob hederæ ad vitem ac vuas ſimilitudinem. Et Orybadõ dicitur: natura enim per ramos arborum procacibus brachiis geniculato curſu ſcandit, ac fortioribus truncis ſe implectit. Deinde theatricis auditionibus oblectatur Dionyſius, eo quòd conuiuia horum ſibi vſum maximè vindicent, vt cantus & citharæ: hæc enim ciborum ſunt additamenta quædam, & quaſi corolarium. Porrò in fabulis eſt, illum à Titanib. diſtractum, iterum à Rhea compoſitum eſſe. quibus inuolucris obtexerunt fabulæ autores, Terræ filios a-

gricolas confudiſſe vitas: quæque in his vini fuerint partes, à ſe mutuò ſeparaſſe: quas iterum in hoc influẽs dulcor coniungit, & vnum corpus reddit. At illa apud poëtam fabula, quod aliquando fugiens Lycurgi inſidias deus, in mare inſilierit, & deinde à Thetide ſit ſeruatus, manifeſtam habet ſententiam. nam vites Bacchi erant nutrices: has enim Lycurgus vindemiator exiſtens deprædabatur, ac deuaſtabat. Deinde vinum mari mixtum in tuto erat. Et hæc quidem de Dionyſio.

*De Hercule.*

HErcules eſt ratio vniuerſis rebus indita, qua natura fortis ac valida eſt, quum ea inſuperabilis, ac minimè vincenda ſit, roboris & mutuæ fortitudinis particeps exiſtens: fortaſſis ab eo, quòd ad heroas pertendat, nomen habens, quum hæc ſit quæ generoſos ac ſtrenuos celebrari faciat. nam veteres corporis pariter & animi fortitudine inſignes vocabant heroas, obque id diuini generis videbantur participes, nec nouo rumore conturbari poſſe apparebant. nam ob virtutem attributa eſt deo appellatio, quum Alcmenæ ac Amphitryonis ſit filius. deinde coniectatu difficilia dei eſſe inſignia, ex his quæ de heroe ad poſteritatem venerunt, fortaſſis leonis pellis & claua, ex priſca theologia, ad id relata ſunt. ſiquidem quum in re bellica præſtiterit, ac bonam terræ partem cum exercitu peragrarit, veriſimile eſſe non exiſtimarunt, ſolo ligno obarmatum obambulaſſe: ſed his interſignijs deum poſt obitum ab his qui beneficium eius ſenſerint, ornatũ eſſe. nam vtrunque fortitudinis & generoſi animi fuerit ſymbolũ: etenim leo animi generoſitate anteſtat omnibus animantib⁹, at claua armorũ eſt validiſſima. Ad hæc ſagittarius quoq; inducitur deus, eo quòd nuſquã non penetret telum, quódque intẽſum quid habeat telorũ impetus. Sed haudquaquã veriſimile eſt, Herculem his armis fretũ, hoſtium aciei occurriſſe. nec temerè tradiderunt, Heben in vxorẽ habere Herculem, pleniore mente præditum. vt enim ad iuuenile quid faciẽdum intenſiores ſint manus, ſic ſeniorum mẽtes multò ſunt meliores. Ad hæc reor ego illã apud Omphalem ſeruitutem in illũ admodũ concinne quadrare, declarantib. per hanc veterib. debere etiam fortiſſimos

viros rationi ſubiugare ſeipſos, & quæ ab hac decreta ſunt exequi. etſi ſpeculatione, ac rationali cõſideratione incidat molliusquiddã oraculi, quod nõ aliud appellaſſe videbimur quàm ὀμφαλὸν, id eſt vmbilicum. Porrò duodecim illa certamina, deo tribui poſſũt, quũ neutiquã ab hoc ſint aliena. quemadmodũ etiã Cleanthes fecit: nec putandum eſt vbique eſſe rationis inuentorem ſenem.

### *De Apolline, & Diana.*

COncinnè ô fili, appellatur Sol Apollo, ac Luna Diana, atque ob id ambos ſagittiferos inducunt, longum illum radiorũ iactum quodãmodo adũbrantes Vocantur autem, hic quidẽ Hecatos, hæc aũt Hecate, ꝙ procul lumen ſuũ emittant: vnde eos non ineptè longè iaculantes cognominarũt. Verùm aliqui his nominibus Hecatos & Hecate aliã aſcribunt etymologiã: quòd videlicet, qui hæc primò impoſuerint, pro precibus his vſi ſint, precãtes ne ab his procedens malum appropinquet. interdum enim hi aerem corrũpere videntur, & peſtiferi influxus autores eſſe: ob id illis veteres ὄξυς immolarunt. Hinc poëta quũ peſte populus periret, introducit Achillem dicentem, quærendum eſſe vatem, qui dicat: Cur in tãtum iratus ſit Phœbus Apollo. Atque huius rei gratia blandiendi formula putant dictam eſſe ἀρτεμιν Dianam, quòd ἀρτεμεῖς, id eſt ſanos faciat: atque Apollinem tanquam ἀπολύοντα, id eſt liberantem nos à morbis. In quam ſententiam etiam παιῆνα nominatus eſt, & medicus eſt eſſe viſus. Sunt etiam qui hinc Apollinem ἀπὸ τοῦ ἀπολλύναι, id eſt à perdendo atque conſumendo dictum aſſerant: nempe hunc eſſe qui mundi huius apparatum cõſumat, quòd ſine intermiſſione humorem vndecunque auferat, atque lunæ &ætheri largiatur. ac fortaſſis ab eo, quòd denſitatem ac conſtipationem ſubſtantię extendat ac diſſoluat: aut quòd etiam tenebras depellat, vt ſimpliciter dicatur. Propriè quoque illos inducunt fratres ſibi mutuò ſimiles, ac conformi agitatos motu, & eandem omnibus in rebus habentes vim, & itidem ea quæ in terris ſunt nutrientes. Ad hæc etiam Apollo Mars eſſe fingitur: ſiquidem feruentior eſt ignis, ac agendi vim habet. Porrò Diana fœmina eſt, vt quæ obtuſiorem ac imbecilliorem habet potentiam. Deinde Apollo ætatem

habet admodum iuuenilem, qua ætate formæ excellentia etiam ſe ipſos vincunt homines: ſiquidem viſu eſt pulcherrimus, quum purus ſit ac ſplendidus. Adhæc & aliis non inepte in illum vtuntur, auricomum & indetonſum appellantes: quandoquidem aureo eſt aſpectu, & ſua puritate relinquit à ſe omnia. Deinde & Delium vocarunt, & Phanæum, eo quod res per ipſum in manifeſtum agantur, & mũdus illuminetur. ita vt etiam Anaphæ Apollini templum erexerint, nempe qui omnia illuſtret. & huic cõſentaneum eſt, quòd Delum & Anaphen illi ſacras fecerunt, atque ob id vaticinandi artem ac dictam rerum declarationem illi tribuerunt: ac quod Delphis inuentum eſt oraculum, cognominarunt Pythium, eo quòd huc confluenter mortales πυνθάνοντες, id eſt ſciſcitarentur ea, quæ ad ſe ſpectent. Eſt etiam hic locus dictus terræ vmbilicus, non quòd dimidium ſit eius, ſed à reddito in eo vaticinio, quòd Omphe græcè dicitur. Porro à λοξῶν, id eſt incuruis & obliquis exiſtentibus oraculis, λοξίας eſt nominatus: aut propter obliquitatem itineris, quòd per zodiacum circulum faciat. Cæterùm Muſicus & citharœdus inducitur, quòd concinnè & decorè omnem mundi partem pulſet, moueatque, & ſe ſocium omnibus partibus adiungat, nulla eius diſſonantia in rerum natura conſpecta, ſed temporum ad ſe mutuò ſymmetriam in ſummo (nõ ſecus ac ſi ad numerum) ſeruet & animalium voces, ipſe nimirum aliorum corporum ſonus exiſtens: ac per ſe ſiccitatem, quo facilius ad auditum vox veniat, præſtet. Et hinc Muſarum dux & cuſtos vocatus eſt, & Muſis colludere putatur. nam vt ait Heſiodus, E Muſis & longè iaculante Apolline, Viri poëtæ ſunt terreſtres reges. Et hanc ob cauſam eſt illi cygnus ſacer, qui canendi ſuauitate & corporis nitore reliquis auibus anteſtet. At à coruo abhorret, quòd colore ſit inauſpicato & è lauro illi corona nectitur, quòd tractabilis ac ſemper florens ſit planta. ac facile quoque adurirur, & ad purgationem peculiarem quandam vim habet: itaque non inſcitè puriſſimo ac maximam vrendi vim habenti Deo attributa eſt. aut fortaſſis nomen eius quodammodo ἀπὸ τοῦ διαφαίνειν deductum, effecit vt accommoda ad

vaticinium videretur. Cæterùm tripos ob plenitudinem ternarij numeri ei datus eſt, deinde etiam à tribus æquidiſtantibus circulis, quorum vnum quidem ſecat ſol, anniuerſarium motū conficiens, ac duos pertingit. Adhæc, quum graſſante peſte, vt in omnibus videtur, armenta paſcat, & continuò eadem ab initio corrumpat peſte, ei gregis cuſtodiam tribuerunt, Lycium & Lupicidam appellantes. Nec temerè Agyeus vocatus eſt, vtpote in viis collocatus. nam exortas has irradiat ac lumine implet: ita vt illi contrarium dictum ſit, Occidit ſol, & obſcurabantur omnes viæ. Etiam Leſchenorium appellant illū, quòd diem tractandis nugis ac mutuæ conſeruationi exhibeat, ac noctem depellat. Deinde Pæana, aut per antiphraſin, de precando ne morbos immittat, neque corrumpat ſpiratum à ſe aera: ſiue quòd reuera corporis ſanitatis autor ſit, ob ſanam aeris temperiem.

### *De Aeſculapio.*

VT iterum ordine rem exequamur, Aeſculapium ex Apolline natum eſſe dicebant, qui mortalibus medendi artem oſtendiſſe viſus eſt: nec id certè myſterio vacare æquum fuerit. Dictus autem eſt Aeſculapius, quòd ad mortem vergentem inclinationem reiiciat atque reppellat. obque id illi draconem appingunt, quòd quiddam huic neutiquam diuerſum patiantur qui medendi arte vtuntur: idque hac de cauſa, quia è morbis reiuueneſcant, ac ſenectutem exuant: ſimul etiam quum attentionis ſignum ſit draco, qua plurimū opus eſt in re medica. Cæterùm baculus huiuſmodi rei ſymbolum eſſe apparet, quòd niſi tali cura erigamur ac confirmemur, continuò ad imbecilliorē valetudinem æquo citius prolapſuri ſimus. Dicitur quoque Chiron enutriiſſe Aeſculapium, & in medicæ artis ſpeculationibus Aeſculapij Hepeonem, nomine haudquaquam ocioſè in fabulam aſſumpto: nēpe quòd innuat turbationum ſedationem ac ſuauem medelam induci.

### *Seorſum de Diana.*

DIana Lucifera eſt nominata, quòd ſuum ſplendorem iaculetur, ac circumfuſum aerem quodammodo illuminet, idque in plenilunio. Deinde Dictyna illā vocant, quòd huc ſuos deiiciat radios: nam δίκειν iacere ſignificat

ſignificat. aut quòd in omnem terræ angulum ſuam vim exerat. Cæterum venatoriam ipſam & ſerecidam & ceruos figentem & monticolam inducunt: idque aut quod in feras vertere cupiant ab hac procedens malum, aut quod noctu maximè appareat: ſi quidem noctu altum vbique ſilentium, quemadmodum in ſyluis ac deſertis locis eſt, ita vt in huiuſmodi locis videri poterit oberrare. extra hoc, quod commenti ſint illam arcu inſignem ſemper venari. Cui concinit & illud, quòd huic canes ſacros eſſe putarint, qui ad venatum accommodi ſunt, ac ad cuſtodiam & ad latratum nati. Atqui venatrix viſa eſt, quòd non deſiſtat nunc perſequendo, nunc iterum fugiendo ſolem. deinde in zodiacum tranſgrediatur, ac ſigna celerius tranſeat, quum etiam velocitate venatrici non diſſimilis ſit. ac quum maximè terræ vicinum ſit ſidus, in montiũ verticibus eam verſari perhibebant. Triformis autem (nam eadem eſt quæ Hecate dicitur) inducitur, quòd tribus formis ad plenitudinem redigatur luna: nempe quũ curuata eſt in cornua, & quũ in orbem ſinuata. Et tertiò alium quendam habitum eam fingunt aſſumere, iam penè exacto menſe: nunquã enim impletur circulus. Hinc etiam eſt appellata Triuia, ac triuiorum cuſtos eſt habita, quòd triplici modo mutetur, per animalia incedens. Porrò ſole interdiu ſolum apparente, hanc autem noctu & tenebris lucentem & incedentem nocturnam, & noctiuagam & terreſtrem vocarũt: ac ſub terreſtribus diis ſacra facientes, eam quoque cũ illis honorare inceperunt, & adfictum eſt, in morem inferorum hanc contaminare: & etiam contaminari. quin eam veneficiis opitulari credunt. ac his quoque additum eſt, illam luctu & cæde gaudere: vnde nonnulli moti ſunt, vt ſacrificiis abſurdis, nempe cæde humana, illam placarẽt. Deinde illi triglę, id eſt mulum piſcem, ſacrũ fecerunt, idque ob nomen. Nec vllam aliam ob cauſam dicta eſt in viis verſari, quàm qua Apollo & Iupiter. Videtur quoque multis eadem eſſe hæc & Lucina dicta, quaſi ει κινην, id eſt currens indefeſſa per terram: quam precantur ſibi venire mitem ac zoniſoluã parturientes, nempe cui in promptu eſt, cõtractum ac arctũ ſinũ diſſoluere, atque alleuare parietis

dolores. Adhæc plures Lucinæ traduntur fuiſſe,qua ratione etiam plures Amores:diuerſi enim mulierum partus ſunt,non ſecus atque amantium cupiditates.Deinde fulgens Luna fœcundat quæ concepta ſunt : atque huic in manu eſt præſtare vt vel creſcant,vel pereant,vel manifeſtè laborent. Deſinas itaque mirari,ſi veteres alia ſententia Dianam incorruptam , nec quicquam puritate ſoli inferiorem putarint:at alia,parturientibus propitiam,quum in huius ſit facultate,naſcentia facili partu in lucem promere.Deinde iterũ alia ratione horrẽdi ac mali quid habere,quemadmodũ de Hecate diximus.

*De inferno.*

AT poſtremò animas accipientem aera ,ᾅδην vocarunt,ob tenebras ( vt ipſi quidem cenſebant ) quum prorſus nobis diſparuerint,qui eò ſub terrã conceſſerũt. Porrò mutatorem vocarunt.quin & Clymenos dicitur, quòd ipſe τὸ κλύειν , id eſt auditus author ſit , ſiquidem nihil aliud eſt vox,quàm percuſſus aer.Deinde per faſtigium,eum beneuolũ ac bonũ conſultorem vocarunt,vt qui rebus humanis bene conſulat : quũ huius opera laborum ac curarum requies nobis ſuperinducatur.

*Comus.*

DÆmon eſt Comus , à quo mortalibus κωμάζειν, adſtans thalami foribus aureis , vt puto. Tarda autem ac difficilis ipſarum comprehenſio , ac cognitio, quòd in tenebris ſint.nox enim nõ à corpore,ſed à tempore picta eſt. Veſtibula autem ſponſos admodum feliceis in lecto iacere indicant,& Comus iuuenis,ad iuuenes accedit,mollis,nec adhuc ephœbus , præ vino rubicundus : & quòd ebrius ſit , rectus dormiens. Dormit autem, faciem quidem in pectus deiiciens , & gutturis nihil oſtendens,ſiniſtram venabulo ſuſtinens. Sed manus ſuſtineri arbitrata,ſoluitur.&profectò is exprimitur affectus , qui in dormiendi exordio accidit , cum nobis ſomno blandiente , cogitatio in eorum tranſit obliuionem quæ continet.vnde & quæ in dextra eſt facula,manum præ ſomno languentem effugiſſe videtur.Sed Comus metuens cruri adhærentem ignem , ſiniſtram quidem tibiam in partem dextram,faculam verò ad ſiniſtrã transfert,vt ignis vaporem declinet , ab expoſito genu

manum arcens. Faces autem debentur quidem à picto-ribus his, qui in vigore ſunt ætatis conſtituti: & abſque his cæcutiunt picturæ. Como verò paululum facie opus eſt nuenti, & à capite vmbram trahenti. Verùm cæteræ corporis partes exactè effictæ ſunt, eas illuſtrante atque in lucem educente facula. Roſarum autem corona laudatur quidem, ſed nequaquam à ſpecie. Flauis enim ac cæruleis ſi contigerit coloribus florum imagines referre, haud magnus eſt labor. Cæterùm ob coronæ laxitatem ac molliciem laudetur oportet. Commendo & roſarum roſidum, ipſaſque cum odore pictas aſſero. Quid reliquum eſt Comi? Quidnam aliud, præterquàm laſciuientes. nonne crotala, ſtrepitúſque intonans, ac vox enormis te petit? Lampades quoque ſublucent, vnde & laſciuientibus quæ ante pedes habent, videre, & à nobis videri licet. Multus autem populus ſimul acceerſitur, & mulierculæ cum viris incedunt, & calciamentum extat, & præter peculiatem cinguntur cõſuetudinem. nam Comus & mulieri virum agere, & viro ſtolam induere muliebrem, muliebritérque incedere permittit. & coronæ non amplius floridæ, ſed ipſarum quòd capitibus concinnatæ ſint, ablata eſt hilaritas, cum per luxum ac laſciuiam currant. Florum enim libertas manum auerſatur, vtpote quæ eos ante tempus flaccidos reddat. Plauſum etiam quendam imitatur pictura, cuius maximè indiget Comus. Nam dextra, contractis digitis, ſubiectam ſiniſtram ad clauum plectit, vt manus cymbalorum more percuſſæ conſonæ fiant.

*Fabulæ.*

AD Æſopum fabulæ proficiſcuntur (quòd ipſarum ſit ſtudioſus) eum diligẽtes. Nam & Homero quidem curæ fuit fabula, & Heſiodo, nec non & in Lycamben Archilocho. verùm humana omnia ab Æſopo ſub fabularum inuolucro conficta ſunt, & rationis cauſa feras orationis participeis fecit. Etenim auaritiam demolitur, contumeliámque ac fraudem abigit. Et hæc leonem ac vulpem & per Iouem equum agere inducit. Et ne teſtudo quidem muta, ſub quibus humanarum rerum peritiam pueri percipiunt. Æſopi itaque cauſa probatæ fabulę, ad ſapientis fores accedũt, vittis ipſũ oleaginóq;

ramo coronaturæ. Ipſe autem aliquam (puto) contexiſ fabulam. Oris enim riſus, oculíque in terram demiſſi, id præ ſe ferunt. Nouit fabularum cogitationes, relaxato indigere animo. Philoſophatur autem pictura, & circa fabularum corpora. feras enim commiſcens, Æſopo choream conſtituit, ab illius ſcena confingens. Choreæ autem princeps, picta eſt vulpes. Nam haud ſecus Æſopus in plurimis argumentis miniſtra vtitur vulpe, ac Dauo comœdia.

FINIS.

# ALBRICI PHILOSOPHI DE DEORVM IMAGINIBVS LIBELLVS.

### *De Saturno.*

SATVRNVS primus deorum ſupponebatur: & pingebatur, vt homo ſenex, canus, prolixa barba, curuus, triſtis & pallidus, tecto capite, colore glauco: qui vna manu, ſed dextra, falcem tenebat, & in eadem ſerpentis portabat imaginem, qui caudam propriam dentibus commordebat. Altera verò, ſcilicet ſiniſtra, filium paruulum ad os applicabat, & eum deuorare videbatur. Qui iuxta ſe habebat filios, Iouem ſcilicet, Neptunum, Plutonem, & Iunonem. quorum virilia Iupiter amputabat. Ante quem erat mare depictũ, in quod Iupiter dicta virilia abſciſſa proiiciebat, de quibus Venus puella pulcherrima naſcebatur. Iuxta autem ipſum Saturnum erat imago Opis vxoris ſuæ, in cuiuſdam ſimilitudinem matronæ depicta: quæ aperta manu dextra, opẽ omnibus velle dare prætẽdebat: panẽ verò manu ſiniſtra pauperibus porrigebat.

### *De Ioue.*

IVpiter Saturni filius, cui cœlũ & cœli regnum in ſortem ceſſit, pingebatur in throno eburneo, in ſua maieſtatis ſede ſedẽs: ſceptrum regiũ in manu tenens, ſcilicet ſiniſtra: ex altera verò, ſcilicet dextra, fulmina ad inferos

mittens.& Gigantes repreſſos fulmine, tenens ſub pedibus,& conculcans. Iuxta eum verò quædam aquila,quę volans inter pedes ſuos quendam pulcherrimum iuuenem,ſcilicet Ganymedem raptum portabat, habentem in manu craterem, vt Ioui poculum propinaret.

### *De Marte.*

MArs tertius deorum dictus eſt: qui & tertius in ordine planetarũ,atque ſtella eius. taliterque in ſua imagine pingebatur. Erat enim eius figura tanquam vnius hominis furibundi, in curru ſedens, armatus lorica, & cæteris armis offenſiuis & defenſiuis. qui & galeã habebat in capite, & flagellum in manu portans, accinctuſque mucrone. Currus verò eius ab equis rabidis trahi videbatur. Ante illum verò lupus ouem portans pingebatur, quia illud ſcilicet animal ab antiquis gentilibus ipſi Marti ſpecialiter conſecratum erat. Iſte enim mauors eſt,id eſt mares vorans, eo quòd bellorum deus à gentibus dictus eſt: & quia Romani fratres geminos, primos vrbis fundatores, ſcilicet Romulum & Remum, Martis filios eſſe finxerunt: quorum Romulus Remum interfecit: ideo ſub eius curru idem Romulus depictus eſt, qui fratrem Remum occidebat.

### *De Apolline,ſiue Sole.*

APollo quartus deorũ eſt: quia Sol,qui dicitur Apollo, inter planetas quartum orbem tenet in cœlo. Iſte pingebatur in ſpecie impuberis iuuenis, nunc facie puerili, nunc iuuenili, ſemper imberbis, nunc autem in cana diuerſitate apparentis: licet rarò tali facie eſſet formatus. Iſte ſuper caput portabat tripodem aureum. In dextra verò manu habebat ſagittas, arcum & pharetrã. In ſiniſtra autem citharam tenebat. Sub pedibus eius depictum erat monſtrum terrificum, cuius corpus erat ſerpentinum. triáque habebat capita, ſcilicet caninum, lupinum,& leoninum. quanquam inter ſe forent diuerſa, in vnum tamen corpus coibant, vnam ſolam caudam ſerpentinam habentia. Coronam verò capite geſtabat Apollo, duodecim lapidum precioſorum. Iuxta autem illum erat viridis laurus picta, & coruus niger deſuper volitans pingebatur, auis ſcilicet ipſi deo conſecra-

ta. Sub lauro verò, nouem Muſæ choream faciunt: & circa Apollinem cantus melodiam promunt. A longè verò Phyton ſerpens maximus erat, quem ſagitta vna Apollinis per medium tranſigebat. & erat Apollo inter duo iuga montis Parnaſi ſedens, de quo & fons Caſtalius ſcaturiebat.

### De *Venere*.

VEnus quintum tenet inter planetas locum: propter quod quinto loco figurabatur. Pingebatur Venus pulcherrima puella, nuda, & in mari natans: & in manu ſua dextra concham marinam tenens atque geſtans: roſiſque candidis & rubris ſertum gerebat in capite ornatum, & columbis circa ſe volando, comitabatur. Vulcano deo ignis, ruſtico turpiſſimo, in coniugium erat cõſignata, qui ſtabat ad eius dextram. Et coram ipſa tres aſtabant iuuenculæ, nudę, quę tres Gratiæ dicebantur. ex quibus duarum facies verſus nos aduerſæ erãt, tertia verò dorſum in cõtrarium vertebat: Hinc & Cupido filius ſuus alatus & cæcus aſſiſtebat, qui ſagitta & arcu, quos tenebat, Apollinem ſagittabat: propter quod deos cõtra ſe turbatos timens, ad Martis gremium fugiebat. Cui & illa adulterij crimine familiaris reperta eſt.

### *De Mercurio*.

MErcurius ſextus in ordine planetarum, ſicut & aliâs ab antiquis gentilibus ſextus deus eſſe diceba tur, cuius imaginem in hũc modum pingere voluerunt. Erat enim ipſius ſignum homo vnus, qui in capite & in talis alas habebat: in manu autem ſua læua, virgã tenebat, quæ virtutem habebat ſoporiferam, & quæ erat ſerpentibus circumſepta. & gladium curuum, quem Harpen homo vocabat: fiſtulámque de calamo factam Syringe ad os ſuum ponebat, dextra ſonans. galerum quoque ſeu vmbellam capite deportabat. Coram ipſo autem erat gallus, ſibi peculiariter conſecratus. Ab altera verò parte erat Argus, cuius caput & facies plena erat oculis, qui corã eo iacebat decollatus. Iſte ergo dictus eſt deus mercatorum, & deus furtorum: & ideo ab alio eius latere depicti erant mercatores cum aliquibus mercibus: & latro, qui ipſi mercatori perã abſcindebat. Eloquentia autem in fiſtula deſignatur, qui de viro in

fœminam,& de fœmina in maſculum ſe mutabat, cum volebat:& ideo pingebatur cum vtroque ſexu. De albis verò nigra,& de nigris alba faciebat, quod oſtenditur per eius pileum ſemialbum & ſeminigrum. Aliqui verò cum capite canino pingebant: ideóque & lanceam pro virili,& colum pro muliebri ſexu tribuerunt.

*De Diana.*

DIana, quæ & Luna, Proſerpina, Hecate nuncupatur, vltima inter planetas eſt, propter quod vltima ponitur in numero fictorum deorum. Ipſa ergo pingebatur in ſpecie vnius dominæ,coma diſſoluta, quæ arcum tenebat & ſagittam. ceruos quoque cornutos in venatione inſequi videbatur:circa quam, ſiue ad eius latera erant chori Dryadum,Hamadryadum, Naiadum, & Nereidum:&chori nympharum,ſyluarum,montiũ,fontium & marium,cum choris & Satyrorum cornutorum, qui dij dicebantur agrorum. Et nauicula poſt ceruos cum homine nauigante & velificante in mari erat figurata.

*De Minerua.*

MInerua dea ſapientiæ ex cerebro Iouis nata: quæ alio nomine Pallas dicta eſt. Hæc enim pingebatur à poëtis in ſimilitudinem vnius dominæ armatæ lorica,& gladio accinctæ. cuius caput viri decinctum circum erat,ipſamque caſſis cum criſta deſuper detegebat. ipſa autem lanceam tenebat in dextra: in ſiniſtra verò ſcutum chryſtallinum habebat,quod caput Gorgonis à ceruice ſerpentibus monſtroſè continebat. Hæc igitur oculos habebat ſplendidos triplici colore. pallium induebat diſtinctum aureo, purpureo & cœleſti, iuxta ſe habebat oliuam viridem pictam:deſuper auem, quæ dicitur noctua,volitantem.

*De Pane.*

PAn ab antiquis diebus fuit deus naturæ, & in ſimilitudinem naturæ vniuerſalis fuit ab eis taliter figuratus. Pingebatur homo cornutus cum facie rubicunda:in cuius pectore ſtellarum plurium erat forma.Pellis eius in parte pingebatur ſtellata. Femora autem habebat denudata cum herbis & arboribus prodeuntibus ex ea:&in ore eius fiſtulam ſeptem calamorum tenebat,

quam digitis pulſare videbatur. Pedes quoque & crura caprina habebat. Cum Amore verò pingebatur luctam habuiſſe, qui ab ipſo Pane victus erat: ideóque idẽ Amor iuxta eum, quaſi ad terram proſtratus iacebat.

*De Plutone.*

PLuto Saturni filius, dictus eſt ab antiquis Deus inferorum & regnorum, terrarum, & animarum iuſtè decedentium. Credebant enim antiqui, omnes animas ad inferos deſcendere, ibíque cum Plutone in caligine perpetua remanere. Quapropter ipſi Plutoni, id eſt inferno, vel ipſi virtuti diuinæ inferna gubernanti talem imaginem depinxerunt. quem & tenebrarum principem eſſe voluerunt. Erat enim imago eius, homo terribilis in ſolio ſulphureo ſedens, ſceptrum regni in manu tenens dextra: ſiniſtra, animam conſtringens. cui tricipitem Cerberum ſub pedibus collocabant, & iuxta ſe tres Harpyias habebat. De throno autem eius ſulphureo quatuor flumina manabant, quę ſcilicet Lethen, Cocytum, Phlegethontem, & Acherontẽ appellabant, & Stypem paludem iuxta flumina aſſignabant. Iuxta Plutonẽ inferorum regina Proſerpina ſedebat cum facie fuſca & terribili, quæ Plutoni coniugi à ſiniſtris aſſidebat. Erant autem Furiæ tres horribiles, venenatis ſerpentibus crinitæ. quæ homines furere faciebant, quæ Alecto, Tiſiphone, & Megæra dicebantur. Parcæ ſeu fata ſic dictæ per antiphaſim, eo quod nemini parcant, tres erant, Domicilæ ſorores: quarum vna tenebat colum, & nebat, altera fluuoluebat, tertia illud rumpebat: & iſtæ, Clotho, Lacheſis, & Atropos vocabantur. Harpyiæ verò, aues erant rapaciſſimæ, cum facie virginea: quæ, Aello, Ocypete, & Celæno vocabantur.

*De Iunone.*

IVno poſita eſt in ſimilitudinem aeris. Antiqui enim ipſam Iouis, id eſt ignis vxorem & ſororem dixerunt. Iridem & Nymphas eidem attribuerunt. cuius imago taliter pingebatur. Erat enim fœmina in throno ſedẽs, ſceptrum regium tenẽs in dextra eius, caput nubes tenebant opertum ſupra diadema quod capite geſtabat. cui & Iris ſociata erat, quæ ipſam per circuitum cingebat: nunciámque Iunonis Iridem populis appellabant. Ideo

iuxta ipſam Iridem ancillam paratam ad obſequium dominæ figurabāt. Pauones autem ante pedes eius lambebant: quia à dextris & à ſiniſtris dominæ ſtabant, auéſque Iunonis ſpecialiter vocabantur. Mulier erat filiū pariens: quia ipſa Iuno partubus præeſſe dicebatur. quæ & Mercurium dicitur lactaſſe.

*De Cybele.*

CYbele mater deorum, fuit dicta terra: quam & deos genuiſſe dixerunt veteres, & gigantes. cui antiqui philoſophi talem imaginem depinxerunt. Erat enim virgo fœmina in curru ſedens: lapidibus precioſis, & metallorum diuerſorum varietate veſtita. Itaque mater deorum extitit, & gigantum. Irata enim Terra contra deos, Titanas dicitur parturiſſe. Erantque gigantes pedibus ſerpentinis: de quibus fuit vnus Titan, qui etiam Sol dicitur. Sed quia iſte contra deos nihil fecit, ſicut alij fratres, ideo alijs detruſis, hic ſolus in ſua deitate permanſit. Currus autem Cybeles à leonibus trahitur, coronámque turritam in capite geſtare dicitur. Pingitur iuxta eam in curru Atys puer nudus, quem illa amaſſe dicitur, & nimio zelo caſtraſſe: & ſic illi virilia pingitur amputare.

*De Aeolo.*

AEolus autem in deorum numero computatus, & qui ventorum deus dictus eſt. cuius talis erat imago depicta. Stabat enim in antro, linea veſte indutus & præcinctus, tenens ſub pedibus flabra, inſtrumenta fabrilia. In manu autem vtraque tenebat cornua: quæ ori admouens, ea ſufflare, & ab vnoquoque cornuum ſex ventos emittere videbatur. Et quia Iuno ei regnum dediſſe fingebatur, à dextris ei Iuno ſtans ſepta nube, eius capiti coronam imponebat. A ſiniſtra verò eius Nympha ſeminuda in aqua, quam ei coniugem eadem Iuno dicitur dediſſe.

*De Iano.*

IAnus verò in deorum numerum acceptus eſt: cui omnis rei initium & finem tribuebant. Hic autem taliter figurabatur. Erat rex homo, ſedens in throno fulgenti radiis circumquaque, qui duas facies habebat: quarum vna ante ſe, altera poſt ſe reſpiciebat. Iuxta

illum quoque erat templum,& in manu eius dextra habebat clauem, qua templum ipſum aperire ſe monſtrabat. In ſiniſtra verò habebat baculum,quo ſaxum percutere,& ex illo aquam producere videbatur.

### *De Vulcano.*

VVlcanus deus ignium, pingebatur ſimilitudine fabri,deformis, & claudi, malleum in manu tenentis,& deorum impulſu de cœlo in terram decidentis. Iuxta eum plures dij eum irridentes pinguntur,qui eum de cœlo expellere figurantur. Ipſe quoque ſic expulſus,fulmina in terris Ioui parare dicebatur, quę ad cœlum Iouis ipſius aquila deferebat. Idcóque iuxta ipſum Vulcanum,depicta erat officina,& aquila parata ad fulmina deferenda.

### *De Neptuno.*

NEptunus deus aquarum,& præcipuè maris,depingebatur ad modum cuiuſdam numinis mare gubernantis. Erat enim eius imago, homo nudus in mari natans,ab vmbilico ſupra aquas imminens, & tridentem pro ſceptro regio manu tenens: quo ſaxum quoddam percutiens,æquor quoddam acerrimum producebat. De mari verò plurima flumina manare videbantur. Greges itèm illi Tritonum circa ſe è mari natantes prodibant,& regem æquoris honorabant. Sunt autem Tritones piſces,qui tubas ore portant, quibus intonare ſe oſtendunt:ideo aliqui gentilium ipſos marina quædam monſtra dicebant.

### *De Veſta.*

VEſta dea ignis,ſcilicet diuini, in collegio deorum annumerabatur. Hanc Iouis fuiſſe nutricem, & eum ſuo gremio ſuſtentaſſe,antiqui dicebant: quam etiam taliter figurat pictura. Erat enim tẽplum latum & ſpatioſum, cum ara in medio. circa quam ex vtroque latere erat ignis accẽſus,qui perpetuò ſeruabatur,quem extingui nullatenus fas erat.& ideo ad huiuſcemodi myſterium erant multæ Veſtales virgines deputatæ, quæ & ipſæ ibidem depictæ ab vtraque parte ignem fouere videbantur. Supra pinnaculum autem templi depicta erat ipſa Veſta, in formam virginis,infantem ipſum Iouem ſuo ſinu fouens.

*De Orpheo.*

ORpheus vir fuit magnus ingenio, & eloquio perfulgens, eruditiſſimus philoſophia, & artium diſciplinæ: qui homines irrationabiliter viuentes, ex feris & immanibus fecit mites & manſuetos, & moribus compoſuit. Vnde & beſtias quaſque, volucres, fluuios, ſaxa & arbores, citharæ ſono dicitur mouiſſe, qui & Eurydicem nympham eodem mulcens ſono, in coniugem habuit: quam à ſerpente percuſſam & occiſam, deſcendens ad inferos, citharæ ſono dulciſſimo Plutone placato, dicitur redemiſſe: ea lege, ne eam auerſus reſpiceret, donec vltimum limen inferni excederet. Quam legem vt præteriit, vxorem retentam amiſit. Iſte igitur in numerum deorum conſecratus, taliter pingebatur. Erat homo habitu philoſophico, citharam manu pulſans. Ante eum erant diuerſa animalia ferocia, quæ pedes eius lingebant, ſcilicet lupi, leones, vrſi, ſerpentes, aues diuerſæ circa eum volitantes, montes & arbores deflectêres vertices ſuos: qui & vxorem ſe ſequentem conuerſus aſpicere videbatur, ſed eam inferi retinebant.

*De Baccho.*

BAcchus filius Iouis inter deos connumeratus eſt, quem vinum, & vini Deum eſſe dixerunt. Attendentéſque vini virtutem & proprietatem, illum vti Deum in natura coluerũt, & eidem huiuſmodi imaginem eſſe depinxerũt. Erat enim imago ſua facie muliebri, pectore nudo, capite cornuto, vitibúſque coronato, qui ſuper tygride equitabat. Iuxta ipſum autem erant imagines trium animalium, ſcilicet ſimiæ, porci, & leonis, quæ pedem vnius vitis circumire videbantur. Ob cuius vmbrã Bacchus equitabat, vitíſque racemis erat plena. Ipſe verò vna manu tenebat poculum, ſcilicet ſiniſtra: altera verò, ſcilicet dextra, in eo vuæ racemum extricabat.

*De Æſculapio.*

AEſculapius dictus eſt filius Apollinis, qui Deus medicinæ & medicorum putabatur. Eius imago, erat homo quidam, cum barba valde prolixa. indutus habitu medici, ſedens: in cuius ſinu erant pyxides vnguentorum: & alia inſtrumenta ad medicum pertinentia. cuius manus dextra barbam tenebat, ſiniſtra

verò baculum cum ſerpente geſtabat intorto.

*De Perſeo.*

PErſeus etiam filius Iouis inter deos annumeratus eſt: qui rex Aſiæ diues & præpotens, qui & nauibus multas regiones tranſiuit, & Aphricam debellauit. qui & tres ſorores illud regnum tenentes ſua ſapientia occidit. quæ Gorgones dictæ ſunt: quæ vnum ſolum oculum habentes, homines ſe aſpicientes vertebant in ſaxa. Hic enim tali imagine figurabatur. Erat homo iuuenis alatus & volans, quaſi nauis diſcurrens, & alarum vtens volatu. cui aſſiſtebat Minerua, ſapientiæ dea. Hic verò armatus, chryſtallinum ſcutum ante oculos deferens, telo falcato tres fœminas virgines, ſcilicet ipſas Gorgones, decollabat, Sthenyonem, Euryalem & Meduſam: & hæ poſt habebant homines ſemiconuerſos in lapides. Hic caput Meduſæ ablatum in haſta deferre videbatur. de ſanguine verò Gorgonum equus alatus, nomine Pegaſus naſci videbatur: qui vngula terram fodiens, fontem erumpere faciebat, qui Caſtalius dictus: Muſis ad potum productus eſt.

*De Hercule.*

HErcules Iouis filius dictus eſt quem in deorum collegio antiqui acceperunt, propter eius quaſi innumeras probitates, quæ inferius per ſingulas depictę ſũt. Hercules enim herocleos, quod eſt virorum gloria fortium. Prima igitur eius victoria notabilis fuit, quando in nuptiis Centauros ibidem exiſtentes & inebriatos, qui dominas inuitatas volebant violenter opprimere, claua pro maiori parte mactauit, vnde reliqui timore perculſi fugerunt. Centauri enim, qui dicuntur eſſe ſemihomines & ſemiequi, denotantur homines carnali concupiſcentia facti, vt beſtiæ, qui virtute animi ſuperantur. Secunda victoria Herculis notabilis fuit, quia ipſe pugnaſſe cum leone, ipſúmque claua mactaſſe, & interempto pellem abſtuliſſe dicitur. quo deinde ſpolio inceſſit ſemper indutus, in ſignum victoriæ perceptæ. In quo etiam oſtentatur animi fortitudo, contra quam nulla vis corporea præualet, quæ ſemper ſpolium leonis, id eſt vim virtutis defert. Tertia Herculis fortitudo eſt, de qua ſic ſcribitur: Admetus Pheræorum rex Alceſtim,

habuit coniugem:& dum infirmaretur ad mortem, Apollinis miſerationem inuocauit. cui ſic reſpondit, nil in hoc ei poſſe præſtare, niſi aliquis de propinquis eius ſe pro illo morti voluntariè offerret, quod vxor eius libenti animo fecit,& ſe ipſam interemit. Quod Hercules proſpiciens,& mulieris tantæ fidei compaſſus, ad inferos deſcendit, & Cerberum tricipitem ſibi ad oſtium inferni reſiſtentē, triplici vinctū catena, videlicet ſingula ſingulis faucibus intorta, ab oſtio abſtraxit, & Alceſtim ex inferno reduxit. In quo denotatur, quia ratio & virtus animi omnes cupiditates & vitia terrena deuincit, & maximè vitium gulæ, quod habet tria capita: eo quòd guloſitas tria exigit, ſcilicet abundantia quantitate, aſſidua tempore, grata faucibus voluptate: quę omnia virtus ſuperat. & ſiquid ex infirmitate animi deuictum fuerit, etiam ab inferis abſtrahit. Quarta fortitudo Herculis ſcribitur, qua dicitur Heſperides ſpoliaſſe, quę fuerant Atlantis regis Aphricæ filiæ. Hæ hortum habebant, in quo erant mala aurea Veneri conſecrata, ad quorum cuſtodiam draco nunquam dormiens poſitus erat. Quæ poma Hercules abſtulit, occiſo dracone. Nam virtus animi non poteſt fructum capere virtutum, niſi malicia prius interimatur, quæ iugiter vigilat in cuſtodiam viciorum. Quinta Herculis fortitudo eſt, qua hydram ſerpentem occidiſſe legitur. Fuit autem hydra, iuxta fabulam, in Lerna palude: cui vno cæſo capite, duo excreſcebant. quam dum Hercules gladio vincere non poſſe ſe cerneret, occaſione iam dicta, capitum excreſcentium, igne circa eam appoſito illam exuſſit. In quo intelligitur, quod lacus fuit Æmoniæ, cuius aquæ vicinas ciuitates vaſtabant: Hercules verò multa vicina loca in circuitu exuſſit, & ſic aquæ clauſit meatus. Nam & Hydra ab hydor, quod eſt aqua, ducta eſt. Sexta victoria eius eſt, quam obtinuit de Acheloo: de quo fabuloſè dicitur, quòd hic Achelous filius fuit Thetidis deæ aquarum: cui mater conceſſerat, vt cum aduerſario pugnans, quamcunque formam vellet, ſumeret. qui contra Herculem ſecum pugnaturum formam tauri ſylueſtris induit: cum quo diu Hercules pugnando, ei tandem cornu dextrum euulſit, quod & Copiæ deæ diuitiarum dedica-

uit. Sed cum Achelous ad fluuium bibiturus acceſſiſſet, videns in aquis ſibi ablatum cornu, ſeipſum in flumine præ dolore ſuffocauit. In quo intelligitur, quòd Hercules fluminis, qui dicitur Achelous, & cuius eruptiones non modicè agros obruebāt, dum alterum eius alueum exiccaſſet, ſua induſtria fertilem reddidit regionem & ſic fructuum copiam præſtauit. Septima Herculis fortitudo eſt, de qua ſic ſcribitur. Erat in Italia quidam latro, nomine Cacus, qui dum Hercules ad Italiam deuenisset, & ab Euandro rege officioſè receptus eſſet, bobus aduectis ex Hiſpania, Geryone perempto, dum Hercules boues in paſcuis cuſtodiret, & ſomno oppreſſus dormiret, Cacus eo dormiente ſecurus exiens de ſpelunca, in qua latebat, plures ex bobus rapuit: quos per caudam auerſos capite traxit, ne ex rectis eorum veſtigiis humo preſſis, quò ducti eſſent, deprehendi poſſet: quin potius illos abiiſſe videretur. Verùm excitatus Hercules, & furto comperto, veſtigia verſa decernens, eáque inſecutus ad antrum peruenit, & Cacum ſuis cum bobus latitantem reperit: quem fumum & nebulam eructantem claua peremit, bouéſque redemit. Moraliter autem, Cacus malus interpretatur: qui latet in ſpelunca, quia nunquam malitia liberæ frontis eſt. Hercules autem, id eſt virtus, malos interficit, & ſua vendicat. ſed Cacus fumum & nebulam emittit, quæ viſui nocent: qui malitia ſemper occultas deceptiones molitur. Octaua Herculis victoria ſcribitur, qua alium malum nomine Diomedem mactauit: qui hoſpites aduenas benignè recipiebat, & illis hilariter miniſtrabat, vinóq; condito inebriabat: dúmque graui ſomno eſſent oppreſſi, illos occidebat, & equabus ſuis in paſtum præbebat. Quo comperto, illuc Hercules acceſſit, & illum claua peremit, ipſúmque in paſtum eiſdē ſuis equabus appoſuit. In quo notatur, qualiter virtus omnium maculam ſuperat, & eadem pœna punit vitium in quo delinquit. Nona Herculis huiuſmodi ſcribitur victoria. Anteus erat gigas, filius Terræ: cui mater conceſſerat, vt quotiens terræ proſtratus occumberet, viribus duplicatis exurgeret. Cum hoc Hercules pugnans in lucta, eúmque bis proſternens, comperuit illum exurgere fortiorem. vnde illum bra-

chiis apprehendens,eleuatum à terra conſtrinxit ad pe-
ctus:& tam diu tenuit ſuſpenſum, donec deficiens ex-
piraret.Ponitur autem Anteus ſub forma libidinis.nam
ἀντίον Græcè,Latinè contrarium ſonat. Et naſcitur libi-
do de terra,quia de carne concepta.&tactu terræ fortior
redditur:quia libido tactu validior excitatur.Sed à glo-
rioſa ſuperatur virtute.quia denegato tactu, ad altiora
virtutũ mens eleuata,libidinis cõcupiſcentiã extinguit.
Decima victoria eidem Herculi aſcribitur de apro.Erat
enim aper terribilis in regioneCalydoniæ,quinõ ſolùm
ſegetes deuaſtabat,ſed occurrentes homines dentibus la
cerabat.Contra hunc procedens Hercules, & diu cum
eo pugnans,illum tandem claua mactauit:& quem plau
ſtrum iugatis bobus trahere nequiuit præ magnitudine,
ſubiectis humeris,ipſum in ciuitatem omnibus miran-
tibus detulit.In quo ſimiliter notatur animi virtus,quæ
omnia ſuperat & vincit. Vndecima victoria eſt, de qua
de Geryone rege Hiſpaniæ triumphauit. De quo ſcri-
bitur,quòd ipſe Geryon habebat canem bicipitem, quo
omnes ſuperabat.Hunc Hercules (vt fingitur) olla ærea
pugnans deuicit. cui adhibito cane,cum etiam diu pu-
gnaſſet,canem occidit,& regnum Geryonis obtinuit.In
quo notatur allegoricè, quòd dictus Geryon duorum
capitum canem habuit, quia terreſtri & nauali prælio
plurimum potuit.At eum Hercules olla ærea vectus ac-
ceſſit, quia nauem habuit fortem in qua nauigauit,ar-
mis æreis munitam. cuius canem occidit, quia poten-
tiam eius comminuit terra & mari,eiúſque obtinuit re-
gnum. Duodecima & vltima Herculis fortitudo legi-
tur talis. Fuit quidam gigas Altas nomine, in Mau-
ritania, in monte altiſſimo cœlum ipſum contingen-
te: qui cœlum,ne caderet,humeris ſuſtinebat: & ſide-
ra,ſi quæ cadebant,malleo fixa, cœlo reponebat. Quem
cum acceſſiſſet Hercules, ille qui audierat de fortiſſi-
mis illius viribus,rogauit eum vt quia feſſus erat cœlum
ſuſtinendo, ipſum aliquanto iuuaret,donec quieſceret.
quod Hercules libenter annuit, & humero ſuppoſito,
cœlum ſuſtinuit. In quo intelligitur, quia ipſe Atlas
aſtrologus peritus fuit: & ideo cœlũ dicitur ſuſtentaſſe,

& ſidera cadentia cœlo repoſuiſſe. Hercules etiam fuit aſtrorum artis multum edoctus, qui ſcientiæ comprehendendæ plenus gratia ad vltimos terræ fines acceſſit: & cum eodem Atlante de ſcientia conferens, illum in aliquibus iuuit, opémque impendiſſe fertur ad cœlum ſuſtentandum.

*De Cerere.*

CEres dea inter omnes deos deáſque veterum vltimo in ordine poſita eſt: eo quòd eius ſuffragium omni humanæ vitæ potiſſimè veterum eſſe videbatur. Dicitur enim dea frumenti & ſegetum, ac generaliter omnium ſeminum ac frugum, quæ terra producit, ſine qua ſpecialiter natura deficeret: ideóque taliter pingebatur. Erat enim in figura matronæ præcinctæ, & pannis & calceis admodum ruſticanæ: ſedens ſuper bouem, qui eſt animal culturæ deputatum: quæ manu dextra habebat ligonem, ad terram vertendam. & brachio habebat appenſum calathum cum ſeminibus. Ab ipſo quoque latere dextro habebat duos agricultores, quorum vnus ligone terram vertebat, & alius ſemina ſpargebat. In manu verò ſiniſtra Ceres tenebat falcē meſſoriam, & baculum ad terendum frumentum: à quo etiam latere erant duo alij agricolæ, quorum vnus metebat, & alius frumenta baculo triturabat. Erat ergo Ceres inter duas arbores pomis onuſtas. Latere verò dextro deſuper erat Iuno dea nubium, imbrem ſpargens per ſata. à ſiniſtro verò erat Apollo, id eſt ſol, ſuis radiis ſegetes exiccans metendas.

ARATI

FINIS.

# ARATI ΦΑΙΝΟΜΕΝΩΝ FRAGMENTVM, GERMANICO CÆSARE INTERPRETE.

CŒLVM circulis quinque diſtinguitur, quorum duo extremi maximè frigidi, auſtralis humilimus, & aquilonius excelſiſſimus. His vtrinque proximi duo paralleli vocantur, vt ita dixerim, æquè diſtantes, ideo tropicus vnus ſolſtitialis, alter hybernus, per quem ſol tranſiens ac tenens octauam partem Capricorni, ſolſtitium hybernum facit: alter æſtiuus, per quem ſol tranſiens ac tenens octauam partem cancri, ſolſtitium æſtiuum facit. Medius eſt æquinoctialis, qui octauam partem arietis tenens, æquinoctium vernum facit: octaua libræ, autumnale conſtituit. Vt circuli in cœlo, ita zonæ in terra vocātur. inhabitabiles frigidi circuli ſunt ob rigorem, quòd ab his longiſſimè ſol abeſt. Sub torrido quidem habitare putant Æthiopiæ maximam partem. item plurimas inſulas maris rubri, alióſque vertices eminentiáſque terrarum noſtris ampliores, ſub tropicis habitare nulli dubium eſt. Noſter ſolſtitialis æſtiuus eſt excelſus atque arduus. Diuiſi autem ſunt à nobis circulo æquinoctiali, qui Antichthones nominantur: & vidētur humiles atq; depreſſi, qui antipodes infrà ſunt. quòd vt eſſe videatur, efficiunt flexus obliquitatéſq; terrarū, quas antichthones & antiſtochæ & antiſceptæ inhabitare dicuntur. Incipit autem ſignifer non ab extremo circulo, nec ad extremum extenditur, ſed ab intimo tropico auſtrali brumalique eodem per æquinoctialem ad ſummum ſolſtitialem, eundémq; æſtiualem per mediū (in his longitudo latitudóque) porrectus, obliquæ circuli ſigniferi partes 365. ſigna 12. partium ſingula tricenarum. Quorum quædam minora, quædam ampliora, & populo Canophora dicuntur. ſed compenſatio quinque partib. creditur applicari, vt ſint omnes ſigniferi partes 365. Horū incipientia ab ariete, alia ſunt maſculorū

naturalibus,alia fœminarum.Item quartum quoque co-
rum aut tropicum,aut ſolidum,aut deforme,incipiet di-
numeratio ab ariete. Signa tropicorum duo ſunt æqui-
noctialia,aries & libra:duo ſolſtitialia,capricornus & cã-
cer. Tropicis maxima ſolida ante poſita his deformia.

Hic eſt ſtellarum ordo, vtrorúmque circulorum,ſeptẽ-
triones duplices ad auſtrum vertũtur,figura auerſis cau-
dis inuicem ſibi aduerſantes,inter quas obliquus dilabi-
tur draco. Sub vnius nanque pede eſt ſerpentarius,cuius
ſerpentarij pedes attingunt frontem ſcorpionis:à latere
autẽ retrò ſtat cuſtos, ſub pedib. quidẽ eius virgo habẽs
igneam in manib.ſpicam. Retrorſus verò veſtigiis eius
adiacens leo, medio æſtiuo ſolſtitio cancer & gemini.
Genua autem agitatoris caput gemini attingunt.pedes
autẽ eius tauri cornib.iunguntur, cuius hœduli deſuper
obtinent locum ſeptentrionis.Habet autem ſeptentrioñ
dextris iuxta coronam deſuper ſerpentem in manibus
Serpentarij, & eum qui in geniculo ſtat, & ſiniſtro pede
ſeptẽtrionalis draconis verticem calcans:vnum brachiũ
libræ,alterum dans coronæ.Nam ad minoris ſeptẽtrio-
nis vltimus pes Cephei continetur, cygnum manu dex-
tra apprehendens, ſuper cuius alas equus extendit pedẽ,
& ſuper equũ Aquarius extollitur,iuxta quem capricor-
nus eſt. Sub Aquarij pedibus piſcis magnus auſtrinus.
ante Cepheum Caſſiopeia, & à dorſo agitatoris Perſeus
pedem extendit: ſuper Perſei caput Caſſiopeia pedibus
properare videtur. Inter cygnũ igitur & eum qui in ge-
niculo ſtat lyra conſtituitur.In quorũ medio deſuper ab
oriẽte delphinus cognoſcitur, ſub cuius cauda eſt aqui-
la, in proximo habens ſerpentarium.Sed iam de aquilo-
nio circulo dictũ eſt, nunc ad auſtralẽ ordinẽ propere-
mus. Sub aculeo ſcorpionis ſacrarium conſtitutum eſt,
ſub corpore eius anteriora centauri videntur, in quo eſt
beſtia.conſpicitur & Sagittarij pes ſummus ex alia parte
ſub auſtrali circulo, prope centauri membra hydræ cau-
da,& coruus.ad genua virginis vrna eſt poſita à ſiniſtris
Orionis.qui & incola.fluuius, qui & Padus, necnon &
Eridanus, ſub pedibus Orionis. lepus ſplendida effigie
conſpicitur,retrorſum verò à pedibus eius canis ſplendi
da refulget, poſt cuius caudam nauis conſtituta eſt, ad

tauri pedem protendit manum Orion, pedibus gemini appropinquant: anticanis ſuper caput arietis, non longè ab Andromedæ pedibus triangulus poſitus eſt. Sub ariete & piſcibus cetus. connexio verò piſcium communem habet ſtellam.

# ARATI PHAENOMENA
## GERMANICO CÆSARE
### INTERPRETE.

*AB Ioue principium magno deduxit Aratus*
*Carminis, at nobis genitor tu maximus autor*
*Te veneror, tibi ſacra fero, doctique laboris*
*Primitias, probat ipſe Deûm rectórq; ſatórque.*
*Quantum etenim poſſint anni certiſſima ſigna,*
*Quà ſol ardentem cancrum rapidiſſimus ambit,*
*Diuerſáſque ſecat metas gelidi capricorni.*
*Quæve aries & libra æquant diuortia lucis.*
*Si non parta quies te præſide puppibus æquor,*
*Cultorique daret terras, procul arua ſilerent.*
*Nunc vocat audaces in cœlum tollere vultus,*
*Sideráque & varios cœli cognoſcere motus:*
*Nauita quid caueat, quid vitet doctus arator,*
*Quando ratem ventis, aut credat ſemina terris.*
*Hæc ego dum lætis conor prædicere Muſis,*
*Pax tua, túque adſis nato, numénque ſecundes.*

QVæritur cur à Ioue incepit, & non à Muſis? vt Homero conueniens magis hoc exiſtimauit principium Phænomenis, vti Iouem inuocaret, quòd ipſorum carminum origo eſt Iupiter. non ſolus autem ita cœpiſſe videtur Aratus, ſed & Crates comicus à Veſta incipiens, & profari carmina. Sophron in Mimo, qui nuncius inſcribitur, à Veſta incipiens: omnes inuocant Iouem omnium principem. Sed quæritur cuius Iouis meminerit, vtrúmne fabuloſi, an naturalis? Et philoſophi quidem plurimi, naturalis aiunt eum Iouis meminiſſe. Sed Crates ait Iouem dictum cœlum. Inuocatum verò meritò, quia in aere & æthere ſunt ſidera: & Homerum dixiſſe Iouẽ in aliqua parte cœlũ, & ipſe Aratus, cũ dicit

Herodotus Iouem dictum aera. & Crates quidem eiuſdem eſt opinionis, teſtémque eſſe Philonem comicum dicit. Hoc autem conſtat & ipſum dicere. Nam quia nihil aliud eſt vox quã percuſſus aer, videtur cõuenienter dixiſſe, quæ rei præſtat authoritatem, plenas Ioue vias referens: & omnis hominum conuentus. nihil eorum quæ in terra ſunt, ſine aere eſt, ratione etiam cuius omnes vſum deſideramus. Nam cuncti mortales oſtendunt vſum ſuſpirio: & cum viuimus, aere indigemus. At quòd ait, Dextra monſtrat: ad auguria pertinet auiũ. propter quod & Stoici Iouem eſſe affirmãt, qui per materiam manat ſpiritus, & ſimilis eſt noſtræ animæ. Zenodotus autem Ætolus & Diodorus aiunt, nec ad fabuloſi Iouis ſufficere eiuſdem opinionem: eſſe enim talem cauſam Iouis, & conuenire omnes vias eò cõfertas, quas tanquam loco eius deſcribit. Dicendo autem etiam genus, oſtendit animæ immortalitatem. Bene propterea quòd ait: nouerat enim virtuti aliquid æmulum futurum. Deo igitur aduerſus delicata lenem eſſe proprium eſt, quoniam omnium parens affirmatur, & non ſolum hominum, ſed etiam deorum.

*Cætera quæ toto fulgent vaga ſidera mundo,*
*Indefeſſa trahit proprio cum pondere cœlum.*
*Axis ſtat, motus ſemper veſtigia ſeruat,*
*Libratáſque tenet terras, & cardine firmo.*
*Orbem agit extremum, geminis determinat axem.*
*Quem Graij dixere polon: pars merſa ſub vndas*
*Oceani, pars celſa ſub horrifero aquilone.*
*Axem Cretææ dextra lauáque tuentur,*
*Siue arcti, ſeu Romanæ cognominis vrſæ.*
*Plauſtrum, vel facies ſtellarum proxima vera.*
*Tres temone rotiſque micant, ſublime quaterni.*
*Si melius dixiſſe feras, obuerſa refulgent.*
*Ora feris caput alterius ſuper horrida terga:*
*Alterius lucet, pronas rapit orbis in ipſos.*
*Decliuis humeros, veteris ſi gratia formæ,*
*Creſia vos tellus aluit, moderator Olympi*
*Donauit cœlo, meritum cuſtodia fecit.*
*Quod fidei comites prima in cunabula magni.*
*Fuderunt Iouis attonita cum furta parentis,*

*Ærea pulſantes mendaci cymbala dextra,*
*Vagitus pueri patrias ne tangeret auras,*
*Dicta exercere dominæ famuli Corybantes.*
*Hic Iouis altrices Helice Cynoſuráque fulgent:*
*Dat Graijs Helice curſus maioribus aſtris,*
*Phœnicas Cynoſura regit. ſed candida tota,*
*Et liquido ſplendore Helice nitet. haud prius vlla,*
*Cum ſol oceano fulgentia condidit ora,*
*Stella micat cœlo ſeptem quæ Creſia flammis:*
*Certior eſt cynoſura tamen ſulcantibus æquor.*
*Quippe breuis totam fido ſe cardine vertit,*
*Sidoniámque ratem nunquam ſpectata fefellit.*
*Has inter medias abrupti luminis inſtar,*
*Immanis ſerpens ſinuoſa volumina torquet.*
*Hinc atque hinc, ſuperátque illas mirabile monſtrū.*
*Cauda Helicen ſuperat, tendit ſimul ad Cynoſuram*
*Squamigero lapſu: quæ deſinit vltima cauda,*
*Hac caput eſt Helices. flexu comprehenditur alto*
*Serpentis, Cynoſuræ ille explicat amplius orbes:*
*Sublatúſque retrò maiorem reſpicit arcton*
*Ardent ingentes oculi caua corpora claris*
*Ornantur flammis, mento ſedet vnicus ignis,*
*Tempus dexterius quæ ſignat ſtella draconis:*
*Quæque ſedet mento, lucet nouiſſima cauda,*
*Extremúmque Helices ſidus micat ac radiatur.*
*Serpentis decliue caput, quà proxima ſigna,*
*Occaſus ortúſque vno tanguntur ab ore,*
*Oceani tumidis ignota fluctibus arcti,*
*Semper in occiduis ſeruantes ignibus axem.*

VErtices extremos, circa quos ſphæra cœli voluitur, polos Græci nuncupauerunt: è quibus vnus eſt Auſtralis, qui terræ obiectus, à nobis nunquam videtur. Alter autem Septentrionalis qui Boreus vocatur, & nunquam occidit. Duo ſunt arcturi, quorum maiorem vocant Helicen, minorem canis caudam. Alterutra quidem horum capita deorſum, alterutra ſurſum, aſpiciunt. Altera namque Helice eſt, quæ apparet prima noctis: altera puſilla quidem, ſed à nauigantibus obſeruatur. maria enim conturbat. Helicen autem dicit Heſio-

dus Caliſto Lycaonis regis filiam fuiſſe, & in Arcadi ſolitam cum Diana venari,& in montibus vagari, & Ioue compreſſam,rem celaſſe Dianæ. Quam grauidam nudam ſe lauantē cum aſpexiſſet Diana in lauacro,partum eius accelerans, beſtiam eam eſſe iuſſit.& dum eſſet vrſa,arctum enixa eſt,quem Arcadem vocant. Amphis autem comicus poëta refert Iouem in Dianæ effigiem transfiguratum in venatione Caliſto oppreſſiſſe:tempore partus plena cum vexaretur.Dianæ culpam indicaſſe, & iratam Dianam in vrſam transfiguraſſe.Quæ dum in mōtibus vagaretur, à quibuſdam paſtoribus apprehēſa, cum puero perducta eſt ad Lycaonem: poſt tempus Lycæi Iouis templo confugiēs, cū eam Arcas filius ſequeretur,quò eam nefas erat intrare, ab Arcadibus vtrique interfecti ſunt.Iupiter autē vtroſque cœli aſtris intulit, vrſamque eam nominauit. Ouidius à Iunone in beſtiam conuerſum ſcribit. Habet autem ſtellas in capite ſeptem,in ſingulis humeris ſingulas obſcuras, in armo duas,in pectore vnam,in pede priore claras duas,in ſumma cauda claram vnam,in vētre claram vnam,in ſpina vnam,in crure poſteriore duas,in extremo pede duas,ſuper caudam tres. fiunt omnes 24. Porrò arcturus minor à pluribus Phœnice,à Græcis Arctophylax, à nonnullis canis cauda vocatur. Quam Sidones aſpicientes,continuò nauigant. Dicitur à Ioue inter aſtra collocatus, vt duplex honor Helicis monſtraretur. Agatoſthenes quidem in Aſiaticis carminibus Cynoſuram dicit Iouis fuiſſe nutricem vnam ex Idæis nymphis,à qua in Cretæ oppido Hyſtoe Nicoſtratus conſtituit portus, & circa eum locum Cynoſuram fuiſſe,cum Telchinis,qui dicūtur Curetes Idæi. Aratus Cynoſuram & Helicen Cretēſes Iouis nutrices fuiſſe dicit,ob quod ſūt cœleſti donatæ honore. Habet autem ſtellas in humero ſplendidam vnam,in pectore claram vnam,in ventre claram vnam, ſuper caudam claras tres. fiunt omnes 7. ſupra alias decem quæ præcedunt, & dicuntur ludentes: & maximè altera quæ vocatur Polus, in quo à quibuſdam putatur totus orbis circumuerti. Inter ambas ergo arctos maximus flexuoſo corpore adiacēs draco, qui vtranq; arctō flexuoſo corpore ſemicingit,Helicis ſuperuoluit caput,

Phœnices circumcingit caudam. Hanc Pherecydes dicit inter aſtra collocatam beneficio Iunonis, eo quòd cum nuberet Ioui Iuno, diis offerentibus munera, terra quoque obtulerit aurea mala cum ramis: quæ Iuno in hortum ſuum, qui erat apud Atlantem, inferri iuſſit, & Heſperides Atlantis filias cuſtodes poſuit: quæ cum à filiabus Atlantis ſubtraherentur, & ſæpe vexarentur, Iuno cuſtodem horti draconem peruigilem implicuit arbori, quem Hercules interfecit, & illa aſtris intulit. Hunc alij Iouem aſtris intuliſſe dicunt, ob memoriam virtutis Herculis Mineruæ obiectu, quem illa contortum cœlo immiſit: & inter ſeptentriones locauit. Habet autem ſtellas in capite ſplendidas tres, in corpore verò vſq; ad caudam duodecim ab inuicem diſtantes. Sunt autem omnes 15.

*Draco.*

*Haud procul efficiens vnde eſt defecta labore,*
*Non illi numen, non magni cauſa laboris.*
*Dextro namque genu nixus, diuerſáque tendens*
*Brachia, ſuppliciter panſis ad numina palmis,*
*Serpentis capiti figit veſtigia ſaua.*

DRaconem immenſæ magnitudinis, hortorum cuſtodem inſomnem, dum à Iunone ad cuſtodienda aurea mala eſſet cõſtitutus, Hercules cũ ad mala aurea profectus fuiſſet, vt refert Pannaſis Heracleas, fertur peremiſſe, & iccirco inter aſtra à Ioue hũc laborem memoria dignum honoraſſe, & vtroſque ſideribus intuliſſe, ita vt in certamine fuerint eorum habitus, ſerpentis capite iam defecto: qui ideo in genu ſtans manibus ſurſum extenſis, dextro pede contra draconem porrecto pingitur, vt certaminis labor ſignificetur. Ideo pellem leonis in ſiniſtra manu habere fingitur, vt inſigne virtutis monſtretur, quia leonem inermis interfeciſſe narratur. Habet autem ſtellas in capite vnam, in ſingulis humeris ſingulas ſplẽdidas, in ſiniſtro cubito vnam, in eadem manu vnam, in eodem brachio vnam, in ſiniſtro femore vnã, in dextra parte femoris duas, in coxa duas, in genu dextro vnã, in eadem tibia vnã, in crure duas, in eodẽ pede vnã, in dextra manu vnã, in claua quã eadem tenet manu vnã, in leonina pelle quatuor. Sũt omnes 24.

*Corona.*

*Clara Ariadnea propius ſtant ſigna corona,*
*Hunc illi Bacchus thalami memor addit honorem.*
*Terga nitet ſtellis, à quo ſe vertice tollit,*
*Succiduis genibus lapſum & miſerabile.*

HÆc corona dicitur eſſe Ariadnes, quam Liber aſtris intuliſſe dicitur, dū eius nuptias dij in inſula Creta celebrarent, cogitans præclaram facere, pro quà primùm noua nupta coronata eſt. Sed qui Creticam conſcripſit, refert, quia cum Liber ad Minoen regem veniſſet, vt Ariadnen filiam eius duceret vxorem, coronam dono Ariadnæ dediſſe, Vulcani opere factam ex auro & gemmis precioſis. & talis fulgoris fuit, vt Theſea ex labyrintho liberaret, quæ poſt aſtris affixa eſt, cum in Naxon vtrique veniſſent. ſignum amoris eius crines oſtendunt. & eſt ſtellis fulgentibus, ſub cauda leonis. Habet autem ſtellas nouē in circuitu poſitas, quarum tres ſunt ſplendidæ, ad caput ſerpentis arcturi.

*Ophiuchus.*

*Hinc Ophiuchus erit longè caput antè nitendo,*
*Et vaſtos humeros, tum cætera membra ſequuntur.*
*Illis languet honor humeris, manus integer ardor.*
*Luna etiam menſem cum pleno diuidit orbe,*
*Lux tenuis manibus, per quas elabitur anguis,*
*Preſſus vtraque manu medium cingens Ophiuchum.*
*Scorpius ima pedum tangit: ſed planta ſiniſtra*
*In tergo reſidet, veſtigia dextera pendent.*
*Eſt impar manibus pondus. nam dextera paruam,*
*Partem anguis retinet, per læuam attollitur omnis,*
*Quantúmque à læua diſtantia ſerta notantur,*
*Erigitur tantum: ſerpens atque vltima mento,*
*Stella ſub ætherea lucet crinita corona.*
*Ad quam ſe dorſo peruadet lubricus anguem,*
*Inſignes cœlum perfundunt lumine chelæ.*

HIc eſt ſerpentarius, qui ſuper ſcorpionem ſtat, tenens vtraque manu ſerpentem: qui ab aſtrologis dicitur fuiſſe Æſculapius, filius Apollinis, qui medicinę arte vteretur, mortuos fertur ſuſcitaſſe. Quamobrem iratus in eum Iouis, domū eius cum ipſo fulminis ictu

percuſſit. Rogatu autem Apollinis patris, Iupiter ei arte ſua rurſus poſt obitum defuncto animam reſtituiſſe ad vitam, & inter aſtra conſtituiſſe putatur. Habet autem ſtellas in capite claram vnam, in ſingulis humeris claras ſingulas, in ſiniſtra manu tres, in dextra quatuor, & duas ex eis claras, in ſingulis lumbis ſingulas, in ſingulis genibus ſingulas, in dextra tibia claram vnam, in ſingulis pedibus ſingulas claras. Sunt omnes 17. Serpens quem tenet in manibus, habet ſtellas in orificio duas, in flexura capitis ſpiſſas quatuor, in manu Ophiuchi duas claras. in prima flexura octo: in ſecunda quem tenet in dextra manu alias octo, in tertia vſque ad caudam ſex. fiunt omnes ſtellæ ſerpentis 30.

*Scorpius.*

SCorpius ſanè inter aſtra à Ioue illatus eſt, pro eo quod ferunt ex terra ortum, ſummiſſumque qui Oriona interficeret ob eius loquacitatem, quòd ex venatione nullam ſe feram relinquere diceret. isque Oriona percuſſit & occidit, & inde à Ioue aſtris illatus eſt, vt eius naturam futuri homines intelligerent. Nigidius autem dicit, ſcorpionem ad perniciem Orionis in inſula Chio in monte Chelippio ortum, voluntate atque ope Dianæ. Nam cum in monte Celſionio venaretur, irridens Dianam, contemnebat eius opera quæ in monte conſtituebat. Itaque Diana dicitur miſiſſe ſcorpionem, qui Orionem vita priuaret. poſtea ab Ioue impetraſſe, vt ſcorpio in duodecim ſignorum memoria conſtitueretur. Hic ob magnitudinem in duo domicilia partitur: etenim ad aliud tendunt brachia eius, ad aliud corpus, & cauda, & aculeus. Habet autem ſtellas in vnoquoque cornu duas, in ore vnam claram, in fronte duas, in dorſo claras tres, in ventre duas, in cauda quinque, in aculeo duas. ſunt omnes 19. Ex his quatuor quæ ſunt in cornib. eius duæ priores claræ, & duæ obſcuræ, libræ aſſignantur, quam chelas Græci dicunt.

*Artophylax.*

*Inde Helicen ſequitur ſenior, baculóque minatur*
*Se velle Arctophylax brachiorum munera cæcus,*
*Icarus ereptam penſauit munere ripam.*
*Non illi obſcurum caput eſt, non triſtia membra;*

*Sed proprio tamen vna micat ſub nomine flamma:*
*Arcturum dixere ſinus, quà vincula nodant.*

BOotes, qui & arcturus, fertur eſſe cuſtos plauſtri, eo quòd plauſtrum ſequitur, id eſt ſeptentriones, & quaſi ſuccinctus ſit ſeptentrionibus. Hunc dicunt Arcadem Iouis filium eſſe, de cuius poſt nomine Arcadia dicta eſt: quem Lycaon Pelaſgi filius cum Iouem hoſpitio recepiſſet, infantem membratim lacerauit, & Ioui in epulis appoſuit, tentans Iouem vtrum deus eſſet. Iouis autem dicitur domum Lycaonis fulmine incendiſſe, eoque loco ciuitatem cõſtructam quæ Trapezos appellata eſt, Lycaonem verò conuertiſſe in lupum. Arcadem autem compactis mẽbris ad vitam reduxiſſe, & cuidam caprario dediſſe nutriendum. Qui cum adulta iam ætate eſſet, matri inſcius vim inferre voluit. quos cum incolæ Lycæi montis eum occidere vellent, Iupiter vtroſque liberans, aſtris intulit: qui vt res geſta eſt, ita manent: illa vrſæ, naturæ hic impetum faciens, quem Bootem Homerus vocat. Habet autem ſtellas in dextra manu quatuor quæ non occidunt, in capite claram vnam, in ſingulis humeris ſingulas, in ſingulis mamillis claras ſingulas, in dextra parte corporis ſub mamilla obſcurã vnam, in dextro cubito claram vnam, inter vtraque genua claram vnam, & magnam, quæ eſt arcturus, in ſingulis pedibus ſingulas. fiunt omnes quatuordecim.

*Virgo.*

*Fulget ſpica manum maturiſque ardet ariſtis.*
*Quam te diua vocant, tangunt mortalia ſi te*
*Carmina, nec ſurdam præbes venerantibus aurem:*
*Exoſa heu mortale genus, medio mihi curſu,*
*Stabunt quadrupedes, & flexis lætus habenis,*
*Téque tuúmq; canam terris venerabile numen.*
*Aurea pacati tegeret cum ſecula mundi,*
*Iuſtitia inuiolata malis placidiſſima virgo:*
*Siue illi aſtra genus fuerit, quem fama parentem*
*Tradidit, aſtrorum ſeuero intercipit æuo.*
*Ortus fama tui mediis te læta ferebat.*
*Sublimis populis, nec deſignata ſubire*
*Tecta hominum, & puros mores ſine crimine diua*

*Iura dabas, cultúque nouo rude vulgus in omnem*
*Formabas vitæ ſinceris artibus vſum.*
*Nondum veſanos rabies nudauerat enſes,*
*Nec conſanguineis fuerat diſcordia nata,*
*Ignotique maris curſus, priuatáque tellus*
*Grata ſatis, neque per dubios auidiſſima ventos,*
*Spes procul amotas ſabricata naue petebant.*
*Diuitias fructúſque dabat placata colono*
*Sponte ſua tellus, nec parui terminus agri*
*Præſtabat dominus ſigno tutiſſima rura.*
*At poſtquam argenti creuit deformior ætas,*
*Rarius inuaſit maculatas fraudibus vrbes,*
*Seráque ab excelſis deſcendens montibus ore*
*Velato, triſtiſque genas abſcondita ripa.*
*Nulliúſque larem, nullos adit illa penates.*
*Tantum cum trepidum vulgus, cœtúſque notauit,*
*Increpito partum ſoboles oblita priorum*
*Degeneres habuit, ſempérque habitura minores.*
*Quid me nunc habitus ſuper & mala vota vocatis?*
*Quærenda eſt ſedes nobis, noua ſecula veſtra*
*Artibus indomitis tradat, ſcelerique cruento.*
*Hæc effata, ſuper monteis abit alite curſu,*
*Attonitos linquens populos grauiora pauentes.*
*Aerea ſed poſtquam proles terris data, nec iam*
*Semina virtutis vitiis demerſa reſiſtunt,*
*Quiſque priora tenet veſtigia, quiſque ſecunda,*
*Ferrique inuento mens eſt lætata metallo.*
*Polluit & taurus menſas, aſſuetus aratro,*
*Deſeruit properè terras iuſtiſſima virgo.*
*Et cœli ſortita locum, quà proximus illi*
*Tardus in occaſum ſequitur ſua plauſtra* Bootes:
*Virginis ac placidæ præſtanti lumine ſignat,*
*Stella humeros, Helicénque ignis non clarior ambit.*
*Quíque micat cauda, quíque armum fulget ad ipſum,*
*Quique priora tenet veſtigia, quíque ſecunda,*
*Clunibus hirſutis & qui ſua ſidera reddit.*
*Nanque aliæ quibus expletum ceruíxque capútque,*
*Vatibus ignotis priſcis ſine honore feruntur.*

AD aſpectum autem Bootis virgo conſtituta eſt, quę Erigone dicta eſt, quæ inter leonem & libram in zodiaco locum tenet. Hanc Heſiodus Iouis & Themidis filiam eſſe dicit, nomine Iuſtam. Hunc ſecutus Aratus dicit, quòd cum eſſet immortalis in terris morabatur, & à virorum aſpectu ſe ſubtrahere ſolita, cum fœminis conſulto ludere & conuerſari videbatur. & ab eis Iuſtitia vocatur, & nondum inter homines nequitiam, neque nauigationem fuiſſe, ſed illam in terris moratam, ęquitatem hominibus præſtitiſſe, eo ſeculo quod aureum dicebatur. Sed poſtquam diminuti homines, à pietate quieuerunt, illa cum eis minimè conuerſata eſt. poſtquam verò hominum mores in deterius verſi ſunt, in toto ſe è terris abſtulit, & in ea parte cœli habitauit, qua enumeretur. Nonnulli autem eam eſſe Cererem, eo quòd ſpicas teneat: alij Atergatin. Quidam verò Fortunam, pro eo quòd ſine capite aſtris infertur. Nigidius de virgine ita refert. Virginem Iuſtinam dici, ſiue æquitatẽ quæ ab hominibus receſſerit, & ad immortales meritò tranſierit. Nam cum inter mortales conueniret omnibus locis conciliabuliſque ſolitam conſiſtere, & præcipere hominibus ne temerè à iuſticią & æquitate diſcederent, qui quandiu monitis eius obedirent, diu in vita ſine cura & ſolitudine futuros: ſed cum negligentius æquitatem obſeruantes declinarent, inſidiiſque cupiditate & auaritia alter alterum deciperet, ab hominibus diſceſſiſſe, & digną cœleſti numero immortale præmiũ pietatis poſſedit. Habet autem ſtellas in capite, obſcuram nimis vnam, in ſingulis humeris ſingulas, in vnaquaque ala obſcuras duas. ex eis quæ ſunt in dextra ala à parte humeri eſt clara vna, & in ſingulis cubitis ſingulas in ſingulis manibus ſingulas. illa quæ in dextra, clarior eſt, & vocatur ſpica, in tunica obſcuras ſex in ſingulis pedibus ſingulas. Sunt omnes 19.

Gemini.

*Qua media eſt Helice, ſubiectum reſpice Cancrum.*
*Ancipitis ſuberit gemini quà poſterior pes.*

HI dicuntur Caſtor & Pollux, fratres Gemini, maxima concordia. è quibus cum vnus cecidiſſet in pugna quam aduerſus Athenienſes gerebant, alter immor-

talitatem accepit;quos Iupiter vtroſque cœlo intulit,ſideribúſque Geminos nominauit, qui ſalutares ſunt appellati. Nam & horum ſtellæ ita ſe habent, vt occidente vna,oriatur altera. Alij volunt Zetũ & Amphionem eſſe,ideo vnus zonam,alter lyram habens. Nigidius deos Samothracas dixit,quorum argumentum nefas ſit enumerare propter eos qui miniſteriis præſunt. Idem dixit Caſtorem & Pollucem Tyndaridas Geminorum honore decoratos, quòd principes pacationis dicantur, quòd mare totum prædonibus maleficíſque pacatũ reddidiſſent: & quo in tempore nauigarent cum Iaſone atque Hercule ad pellem inauratam auferendam,multis laboribus tempeſtatibúſque conflicti, periculorũ atque animorum experti impendia laboribus liberare ſtuduerũt, atque cum à Ioue eſſent elati,petierunt à patre,vt ſibi liceret in eo cœli loco conſtitui, vnde mortalibus auxiliantes proſpicere poſſent. Qnamobrem eis conceſſum eſt immortali memoria locóque conſtitui, & pleriſque mortalibus auxiliantes ſui conſpectus gratiam præbent. Quorum prior habet ſtellas in capite claram vnam, in ſingulis humeris ſingulas claras,in dextro cubito vnam, in eadem manu vnam, in ſingulis genibus ſingulas, in ſingulis pedibus ſingulas. Sunt omnes 9. Alter qui tripus appellatur,is iuxta cãcrũ eſt. habet ſtellas in capite claram vnam,in ſingulis mamillis ſingulas, in ſiniſtro cubito duas,in eadem manu vnam, in ſiniſtro genu vnam, in ſingulis pedibus ſingulas, in ſiniſtro pede vltimę diſtãtiæ vnam,quæ vocatur tropos. fiunt ſimul 10. Hi ſunt inter duodecim ſigna zodiaci circuli, ſed in medio circulo æquinoctiali tropici hyemalis,qui auſtralis appellatur,ſita ſunt.

## *Cancer.*

CAncer in aſtris poſitus eſſe dicitur beneficio Iunonis. Quod cum Hercules cum hydra ad fontem Lernæum depugnaret, hic cancer Herculis pedem morſu deprehendit,vt Panaſis autor dicit. quem iratus Hercules calcatũ cõtriuit,beneficióque Iunonis magnis honoribus decoratus eſt,idem duodecim ſignorum numero annumeratus. ſunt in hoc ſigno aliæ ſtellæ quas Græci dicunt,quòd cum Liber à Iunone inſania obiecta fu-

geret ad occaſus Dodonæi Iouis, eiuſque in templo reſpõſa peteret, vt Philiſcus refert, magni imbres cum grãdine orti ſunt, ea parte qua tranſiturus erat, Aſinus e cõtrario tranſeuntibus per aquas in vno ex his ſedẽs, & ipſe trãſuectus eſt ſine periculo, & ab inſania liberatus. Vni autẽ ex his effeciſſe dicitur, vt voce humana loqueretur, & poſt paucũ tempus cum Priapo cõtẽdere cœpit de mẽbro naturali. Priap⁹ cõpreſſum aſinũ occidit. Iouis autẽ beneficio vtrique immortali honore donati, aſtris ſunt illati. Eſt & altera origo quę infertur ab aliis. Quod cum aduerſus gigantes dij bellum agerẽt, idem Liber & Vulcanus & Satyri aſinis inſidentes, profecti ſunt ad pugnã. Quod genus viſo tumultu, diro cum murmure rugiſſẽt, gigãtes eorum voce territi fugerunt, & confeſtim dij de gigantibus triumphauerunt: & iccirco vnà cum præſepio ſuo aſtris ſunt illati. & in ſigno nobilis cancri poſiti, cuius curſum ad occaſum tendit. Habet autem ſtellas in cornibus anterioribus duas claras, & tres obſcuras, quæ appellantur nubilum. quod circa eum videtur, præſepium dicitur, in ore vnam, in dextris pedibus ſingulas, ſunt quatuor obſcuræ, in ſiniſtris priores claras duas, in ſecundo vnam, in tertio vnam, in extremo minore vnã, in teſta duas. ſunt omnes 16.

*Leo.*

*Horrentiſque iubas & fuluum cerne leonem,*
*Hunc vbi contigerit Phœbi violentior axis,*
*Accenſa in cancro iam tum geminabitur æſtas.*
*Tunc lymphæ tenues, tunc eſt triſtiſſima tellus.*
*Et denſas lætus ſegetes bene condit arator.*
*Ne mihi tunc remis pulſet vaga cærula puppis,*
*Dem potius ventis excluſo vela rudente,*
*Excipiámque ſinu zephyris ſpirantibus auras.*

LEonem beneficio Iunonis inter aſtra collocatũ dicitur, eo quòd virtute cæteras præcellat. Periandrus Rhodius refert eum ob primos labores Herculis memoriæ cauſa honorificè aſtris illatum. Nigidius refert hunc leonem nutritum apud lunam iuſſu Iunonis, & in terra Arcadia in regione Nemeæ in ſpelunca* Mihdimõ nomine fuerit, quam quidam Aphriſo dicunt, & iuſſu

Iunonis ad Herculis exitium dimiſſum: quem Hercules iuſſu Euryſthei interfecit, cum Molocho hoſpite ſuo, cuius clauam pro viribus tributã principiò eſt adeptus cum qua leonem interfecit. itaque poſtea claua pro gladio, pelle pro ſcuto, reliquo tempore vti cœpit, & apud omnes mortales gratus ob virtutem haberi. cœpit Iunoni porrò magis odio eſſe. Quapropter leonem cœleſti memoria dignatum, voluntate Iunonis nos arbitramur. Hic notabilis & maximus inter ſigna eſt. Plerique volunt Nemeæ gymnicos ludos ob hunc leonem inſtitutos. Hic totus figuratur. Habet ſtellas in capite tres, in collo duas, in pectore claram vnam, in ſpina tres, in cauda media vnam, in vltima cauda claram vnam, in medio ventre vnam, ſub pectore duas, in priore pede claram vnam, ſub ventre vnam claram, in medio ventris vnam, in poſteriore pede claram vnam, in genu poſteriori claram vnam. fiunt omnes decem & nouem. Videntur aliæ ſtellæ obſcuræ ſeptem iuxta caudam eius, quæ vocantur crines Berenices, & ſunt earum virginum quæ Leſbo perierunt. Illa autem magna & clara quæ in eius eſt, appellatur Tyberone.

### *Erichthonius.*

*Eſt etiam Aurigæ facies, ſiue inclyta forma,*
*Natus Erichthonius qui curru ſub iuga duxit*
*Quadrupedes, ſeu Myrtoas demerſus in vndas,*
*Myrtilos hunc potius ſpecies in ſidera reddit.*
*Sic nulli curſus, ſic ruptis mœſtus habenis,*
*Perſida Pelopis raptam gemit Hippodamiam.*
*Ipſe ingens tranſuerſus abit læuam Geminorum,*
*Maiorisque vrſæ contra delabitur ora.*
*Numina præterea ſecum trahit. vna putatur*
*Nutrix eſſe Iouis, ſi verè Iupiter infans*
*Vbera Cretææ mulſit fidiſſima capræ.*
*Sidere quæ claro gratum te geſtat alumnum.*
*Hanc Auriga humero totam gerit, ac manus hœdos.*
*Oſtendit nautis inimicum ſidus in vndis.*
*Orbis ab Oceano celſus rapit, aut ſemel hœdi*
*Iactatam videre ratem, nautáſque pauentes,*
*Sparſáque per ſanos morientum corpora fluctus.*

HIc agitator Erichthonius dicitur fuiſſe Vulcani & Mineruę filius. Qui Vulcanus cum Ioui fulmen ef- ficeret, ab Ioue promiſſum cepit, vt quicquid vellet præ- ſumeret. ille Mineruam in cõiugem petiuit. Iupiter im- perauit Mineruæ, vt virginitatem defenderet. Dúmque cubiculum introirent, certando Vulcanus ſemẽ in paui- mẽtum iecit, vnde natus eſt Erichthonius. quem Miner- ua in ciſta abſcondit, draconéque cuſtode appoſito, duabus ſororibus Aglauro & Pandroſo commendauit. Hic primus currus homines equis iunctis docuit ſimiles quadrigæ ſolis facere. primum Panathenęa conſtituiſ- ſe, arcem templúmque ædificaſſe dicitur. Quem Iouis miratus, aſtris receptũ memoriæ tradidit. In hoc ſigno & capra eſt, quam in humero portat; quæ Iouem nutri- uit. itémque eius filij hœdi, quos Auriga in brachio portat, qui fluctus ſignificare dicuntur, noſcuntur. Mu- ſæus de capra hoc refert: Datur Iouis infans nutriendus Themidiæ Altheæ, quæ fuit domina capræ, quæ ex ea Iouem nutriuit. Eſſe autem hãc capram filiam Solis di- cunt, cuius aſpectus tam atrox fuiſſe dicitur, vt Tytanes eam timerent, rogaréntque matrem Terram vt eam ab- deret. Terra autem in antro clauſam Amaltheæ tradidit cuſtodiendam, ibíque Iouem cum cura Amaltheæ edu- caſſe. Qui cum eſſet iuuenis, & ille contra Tytanes iner- mis vellet pugnare, eius pellem dicitur acceptã pro ſcu- to habuiſſe, quòd ſemper Titanibus agitator timori fuerit. & dicebatur media pelle Gorgoneum caput ha- bere eo tectus tegumẽto caprę tergo alterius pellis tecta reſtituit. vitæ etiam immortalitate donauit, cœlíque a- ſtris intulit, & eius pellem appellauit. Aliis placet, agi- tatorem Myrtilum eſſe Mercurij filium, Oenomai au- rigam, & à patre Mercurio aſtris illatum; cuius caput nõ multum diſtat ab Helyce: genua apponuntur gemi- nis, pedes iuxta tauri cornua. Habet autem ſtellas in capite vnam, in ſingulis humeris ſingulas. ſed ea eſt cla- rior quæ in ſiniſtro humero eſt, & appellatur capra. in ſingulis genibus ſingulas, in dextra manu vnam, in ſini- ſtra duas, & ſuper ipſo brachio ſtellas duas, quæ vocan- tur hœdi. ſunt omnes ſimul decem.

*Taurus.*

*Taurus.*

*Aurigæ pedibus trux adiacet ignea taurus,*
*Cornua fronte gerens, & lucidus igne minaci*
*Quem Liber ignarum cœli formando docebat:*
*Et caput, & patulas nates, & cornua tauri*
*Fronte micant hyades, quæ cornua flamma ſiniſtri*
*Summa tenet. ſub hac eadem veſtigia dextrâ*
*Aurigæ, mediàque ligauit compagine diuos.*
*Myrtilus exoritur ſummo cum piſcibus ore.*
*Totus cum tauro lucet, ruit Oceano bos,*
*Antè ſuper terras cum fulget Myrtilus ore.*

POrrò taurum inter aſtra quidam putant poſitum, propter Iouem, quòd in bouem ſit fabuloſè conuerſus. Nigidius hunc Iouem à Neptuno fratre per gratiam adduxiſſe, qui in figura tauri ſéſum humanum haberet, quem Iouis Sydonem miſit, vt Europam Agenoris filiam ad ſe portaret. iſque per pelagus Sydonem venit, ibique Europam inter æquales ſuas ludentem in templo Æſculapij conſpexit, eámque repentino atreptu collocatam ſuo tergo deuexit ad Iouem in inſulã Cretam. Ob hanc igitur cauſam Iupiter taurum ſideribus dignatus eſt immortali memoria inferre. Eratoſthenes dicit, hunc eſſe qui coiit cum Paſiphae, cuius priores partes apparent: reliquum corpus non apparet propter fœmineum ſexum. Spectat autem orientem. In ſigno autem tauri frons & facies Hyades vocantur, quas Pherecydes Athenæus nutrices Liberi dicit, quæ Dodonides nymphæ vocantur. Quæ cum à Lycurgo captiuitatem timentes fugerent Thebas, ne ſibi à Iunone aliquid paterentur, Iupiter cœlo illatas ſideribus honorauit: Hyadéſque appellauit, quòd naſcente Libero eas inuenerit quas in ſignum temporis poſuit. vel quòd ſint pluuiales, ὕειν enim pluere eſt, quia eorum ortus imbres concitat: vel quia in modum y literæ poſitæ ſunt. Muſæus & iſta refert. Ex Atlante & Hya duodecim filię procreatę ſunt, & filius Hyas: quem dum ab apro vel leone occiſum ſorores omnes nimis diligentes flerent, obierunt, è quibus quinque ſtellas figuratas Hyades appellauerunt, ſeptem autem Pleiades. Myrtilus autem quinque filias Cadmi eſſe dixit. Habet autem taurus ſtellas in ca-

pite quinque,quæ Hyades appellantur : id eſt, in corni-bus ſingulis ſingulas, in fronte duas, in naribus vnam: hæ ſunt hyades. In ſingulis genibus ſingulas in vngue anteriore duas,in pallearibus duas,in collo vnã,in dorſo tres,è quibus nouiſſima ſplendida eſt, in ventre ſplendidam vnam,in pectore vnam,in palla vnam. ſunt omnes 18.ab exciſione tauri vſque ad id quod ſeptem ſtellę ſunt,quas quidam Pliades vel Pleiades dicunt, quæ non videntur ſimul,eo quòd ſeptima obſcura ſit.

*Cepheus.*

*Iaſides etiam cœlum cum coniuge Cepheus*
*Aſcendit,totáque domo:quia Iupiter autor*
*Eſt generis prodeſt maieſtas ſæpe parentis.*
*Ipſe breuem patulis manibus ſtat poſt cynoſuram,*
*Diducto paſſim quantum latus à pede dextro,*
*Cepheus extremam tangit cynoſurida caudam.*
*Tantundem à læuo diſtat minor,vtraque iungit*
*Regula Cepheos veſtigia baltheus ambit.*

CEpheus in ordine,quarto loco poſitus eſt,quem ſeptentrionalis circulus occupat, à pedibus vſque ad pectus, reliquus medius eſt arcturo æſtiuo tropico circulo. fuit ergo, ſicut Euripides ſcribit, Æthiopum rex, Andromedę pater,qui filiam ſuam ad cetum dicitur expoſuiſſe,quam Perſeus ſaluauit,eiúſque cauſa & ipſe pater beneficio Mineruæ ſit aſtris illatus. Habet quidem ſtellas in capite ſplendidas duas,in ſingulis humeris ſingulas,in ſingulis manibus ſingulas claras,in ſingulis cubitis obſcuras ſingulas,in zona tres obliquatas,in dextra coxa vnam,in ſiniſtro genu duas, ſupra pedes quatuor, in vltimo pede vnam.ſunt omnes nouendecim.

*Caſſiopeia.*

*Quà latus afflexum ſinuoſi reſpicit anguis,*
*Caſſiopeia virum reſidet ſublimis ad ipſum.*
*Clara etiam pernix cœlo cum luna refulget,*
*Sed breuis & paucis decorata in ſidere flammis,*
*Qualis ferratos ſubicit clauicula dentes,*
*Succutit,& foribus reducit vincula clauſtri:*
*Talis diſpoſitis ſtellis ipſa horrida vultu,*

*Sic tendit palmas ceu ſit planctura relictam*
*Andromedam, merita non iuſta piacula matris.*

CAſſiopeia interea (vt refert Sophocles carminum vates) dicitur præpoſuiſſe formam ſuam Nereidibus. ob quam rem ira Neptuni ceto tranſmiſſo vaſtabatur eorum terra, expoſtulatámque Andromeden & ceto propoſitam, ob quam rem longè habitus eorum diuerſus eſt. ita autem eſt Caſſiopeia in ſella ſedens. habet in capite ſtellam claram vnam, in ſingulis humeris ſingulas claras, dextra mamilla claram vnam, in dextra manu claram & magnam vnam, in ſiniſtra manu claram vnã, in vmbilico claram & magnam vnam, in ſiniſtro femore duas, in eodem genu claram vnam, in vnoquoque angulo ſellæ in qua ſedet, ſingulas claras. Sunt omnes 13.

## *Andromeda.*

*Nec procul Andromeda, totam quam cernere nondum*
*Obſcura ſub nocte licet, ſic emicat ore,*
*Sic magnis humeris candens nitet, ac media ambit,*
*Ignea ſubſtricta fulget qua zonula palla,*
*Sed penè facies remanet, diſtrictáque pandit*
*Brachia, ceu magni teneantur robore ſaxi.*

ANdromeda filia fuit Cephei & Caſſiopeiæ, quæ adamata eſt à Cupidine: & datum eſt reſponſum, vt traderetur ceto ad deuorandum. Quæ ſuſpenſa inter duos montes, & expoſita ceto eſt cum omnibus ornamentis. A Perſeo autem liberata eſt, & ob id Perſea dicta, beneficióque Mineruæ aſtris recepta eſt. Euripides eam dicit inter aſtra collocatam, vt labor Perſei æternus patêret, manibus eius extenſis, quemadmodum ceto oppoſita eſt. Quæ cùm à Perſeo liberata eſſet, neque patri neque matri voluit commorari, ſed cõtinuò cum Perſeo profecta eſt. Habet ſtellas in capite clarã vnam, in ſingulis humeris ſingulas, in ſingulis cubitis claras ſingulas, in dextra manu claram vnam, in eodem brachio claras duas, in zona tres, ſub zona quatuor, in ſingulis genibus claras ſingulas, in dextro pede duas, in ſiniſtro pede vnam. Sunt omnes 21.

*Equus dimidius.*

*Andromedæ verò radiat quæ ſtella ſub ipſæ,*
*Albo fulget equus, tres harmo, ſed latera æquis*
*Diſtinguunt ſpaciis, capiti triſtiſſima forma.*
*Et ceruix ſine honore obſcuro lumine ſordet.*
*Spumanti mandit ſed quæ ferus ore lupato,*
*Et capite & longè ceruice inſignior exit.*
*Stella nitens harmis laterique ſimillima magno.*
*Nec totam ille tamen formam per ſingula reddit,*
*Primo præſtat equo medio rapta ordine membra,*
*Deſtituunt viſus, radiis hinc ſurgit imago*
*Gorgonis, hinc proles in Pierio Helicone.*
*Vertice cum ſummo nondum decurreret vnda,*
*Muſæos fontes dextri pedis ictibus hauſit.*
*Inde liquor genitus nomen tenet Hippocrenen,*
*Fontes nomen habent. ſed Pegaſus æthere ſummo*
*Veloces agitat pennas, & ſidere gaudet.*

EQuus præterea dimidius eſt, priore parte patens vſque ad vmbilicum. Aratus dicit ſuper geniculatorem ſitum, & iam aſtris illatum, eo quòd à celſitudine Heliconis montis percuſſo pede dextro aquá produxit, quem liquorem Hippocrenen dicunt. Quidam pro eo, quòd Iouis eo vſus fuerit. Nonnulli verò Pegaſum putant, qui ad aſtra pro Bellerophōtis interitu euolauerit. Euripides dicit Menalippen Chironis filiam eſſe, quæ compreſſa grauida profugit in Pelion montem, & dum à patre comprehendi timeret, deorum miſericordia cõuerſa in equum, ad aſtra conſcendit: cuius poſterioris partes corporis propter fœminei ſexus pudorem nõ videntur. Habet autem ſtellas in facie claras duas, in capite clarã vnam, in ſingulis auribus ſingulas claras, in maxilla vnam, in ala proxima capiti claram vnam, in humero alæ dextræ vnam, in media ala vnam, in extremis pennis vnam, in harmo vnam, in pectore vnam, in ſpina vnam, in vmbilico claram vnam, in ſingulis genibus ſingulas, in ſingulis vngulis ſingulas. fiunt omnes 18.

*Aries.*

*Inde ſubeſt aries, qui longè maxima torrens*
*Orbis, & ad finem ſpaciis non tardior horam*
*Peruenit, & quando grauiore Lycaonis arctos,*

*Axem vel tutor quem tanto gratior ille*
*Diſtantis cornu properat contingere metas.*
*Clará ve non illi eſt facies, nec ſidera poſſunt,*
*Officiat ſi luna ſua virtute nitere:*
*Sed quærendus erit Zonæ ratione micantis,*
*Vt chelæ candens, aut baltheus Orionis.*

ARies, vt Heſiodus & Pherecydes dicunt, inter aſtra collocatus eſt, propter Phryxum & Hellen Athamantis & Nebulæ filios. Qui cum nouercam occidere vellent, inſani à Libero dicuntur effecti. qui dum in ſylua errarent, mater eis arietem aurata pelle fertur adduxiſſe. qui cùm nauigare vellent, in mare proiecti ſunt, quod pelagus ab Helles nomine Helleſpontus vocatur. Helles autem (vt aiunt) à Neptuno ſaluata eſt, & ex ea puerum Pæonem genuit. Phryxus autem inſidens præparato arieti, Colchos adductus eſt ad Oetam regem, ibíque arietem Marti immolauit, eíque ſuam auream pellem conceſſit antequam inter aſtra proceſſiſſet: quam draco cuſtodiuit. Genitum autem hunc arietem dicunt ex Neptuno & Theophane Altidis filia: quam cum adamaſſet, in inſulam Crumiſſam traduxit, inque Ioue̅ conuertit, cum qua in ariete̅ mutatus concubuit, ex qua aries chryſomallus natus. Nigidius hunc arietem dicit ducem & principem eſſe ſignorum zodiaci circuli. Immortali autem honore donatum, quòd cum Liber exercitum in Africam duceret, & aquæ inopiam pateretur, ſubitò aries ex arena exiuit, & Liberum cum ſuo exercitu ad aquam perduxit diuinitus. Hoc facto Liber eum arietem Iouem Ammonem appellauit, eíque fanum magnificum fecit eo in loco in quo reperta eſt aqua, & abeſt ab Alexandria itinere dierum nouem, locus arenoſus, & ſerpentum multitudine plenus, & ab arena Ammon eſt nominatus. Præterea aries dux aquæ immoralis mutatus, & cœli ſidera conſequutus. Conuertit autem caput ad taurum, ipſe autem aſſequitur aliis ſignis. Habet autem ſtellas, in capite vnã, in auriculis tres, in collo duas, in ſummitate pedum anteriorum ſingulorum ſingulas, in dorſo quatuor, in cauda vnam, in ventre tres, in ſummitate ſingulorum pedum poſteriorum ſingulas. Sunt omnes 18.

*Deltoton.*

*Eſt etiam propiore Deum cognoſcere ſigno,*
*Deltoton ſi quis donum hoc ſpectabile Nili,*
*Diuitibus veneratum vndis in ſede notarit.*
*Tris illi laterum ductus, æquata duorum*
*Sunt ſpacia, vnius breuior, ſed clarior ignis.*
*Hunc aries iuxta medium Deltoton habebit.*

SVper caput arietis non lõgè ab Andromedę pedibus adiacet ſignum quod Græci, ob ſimilitudinem deltæ literæ, deltoton vocant: Latini autem, ob proprietatem formæ, triangulum dicunt. Quod quidam à Ioue per Mercurium inter aſtra poſitum dicunt ſuper caput arietis, pro eo quòd obſcurum eſſe dicitur. Quidam verũ dicunt, Ægypti eſſe effigiem ſtellis figuratam in tribus angulis, id eſt trigono, & Nilum talem ambitum facere. Habet autem ſtellas tres, in ſingulis angulis ſingulas: è quibus vna eſt clarior.

*Piſces.*

*Inter lanigeri tergum & Cepheida mœſtam*
*Hunc vltra gemini piſces, quorum alter in auſtrum*
*Tendit: Threicium boream petit alter, & audit*
*Stridentes auras niueus quas procreat Hæmus.*
*Non illis liber curſus, ſed vincula caudæ,*
*Singula vtrumque tenent vno coëuntia nodo.*
*Nondum ſtella premit piſcis qui reſpicit auras,*
*Threiciæ dextram Andromedæ cernuntur ad vlnam.*

PIſces hi ſunt, & maior piſcis. Nigidius hos piſces dicit in flumine Euphrate fuiſſe & ibi ouum inueniſſe miræ magnitudinis: quod voluentes eiecerunt in terram, atque ita columbam inſediſſe, & poſt aliquot dies excluſiſſe eam Syriæ quæ vocatur Venus, maximéque miſericors ad homines pertinebat, quæque multa quæ ad vtilitatem hominibus verterentur, ea dicitur inueniſſe. Quæ quoniam Iouis ſæpius à Mercurio laudari nominaríque audiret, quòd in deos religioſa, in hominibus officioſa diligenter fuerit, rogata à Ioue quid ſibi optanti tribui poſtularet: illa ait, vt piſces qui ſuam originem ſeruaſſent, immortali præmio afficerentur. Iupiter in duodecim ſignis piſces ſiderum ſplendore decorauit. Vnde hodie quoque Syri neque hos piſces edũt,

& columbas poteſtate decorant. Horum autem vnus aquilonius eſt,alter auſtralis,ex aduerſo caudis vtrinque poſitis.Habent inter ſe alligamentum luteum continẽs huſque ad priores pedes arietis. Andromedæ autem humerus dexter,piſcis eſt ſignum. Habet idem aquilonius ſtellas duodecim.Alligamentum luteum, quo continentur in parte boreæ, habet ſtellas tres, in parte noti tres,ad orientem tres,ad occidentem tres. Auſtralis piſcis quindecim.Sunt omnes 39.

*Perſeus.*

*Tantus & ille micat,tantũ occupat ab Ioue cœli,*
*Dextra ſublata ſimilis prope Caſſiopeiam,*
*Sublimis fulget,pedibus properare videtur,*
*Et velle aligeris purum æthera tangere palmis.*

PErſeus quidem ex Danae & Ioue natus eſt. Iupiter enim in ſimilitudinem aurei imbris ſe transformãs, oppreſſam deluſit Danaen, Acriſij regis Argiuorum filiam, quam cum pater à Ioue vitiatam cognouit, intra arcam includens, præcipitauit in mare. quæ delata ad Italiam, inuenta à quodam piſcatore,& oblata regi,eã ſibi fecit vxorem,vnà cum Perſeo quem enixa eſt in mari. Qui miſſus ad Polydecten regem inſulæ Seriphi,accepta à Mercurio talaria,& à Vulcano harpe adamantina, per aera iter faciẽs,ad Gorgones Phorci filias veniſſe perhibetur:quæ angues pro crinibus dicuntur habuiſſe,quóſque vidiſſent in lapides conuertere. Gorgones tres feruntur fuiſſe ſorores, vno oculo, vna pulchritudine inter ſe communicantes. quarum nomina putãtur,prima Sthennio, ſecunda Euryale, tertia Meduſa. Quidam verò eum à Minerua miſſum dicunt, & ab ea clypeum vitreum accepiſſe, per quem videre, nec videri ab eis poſſet. Qui cum Gorgones dormientes inueniſſet,caput Meduſæ abſcidit, & Mineruæ tradidit: quod illa in ſuo pectore aptauit, vt in bello terribilior eſſet. Perſeũ autẽ inter ſidera collocauit.Habet autẽ ſtellas in capite vnam, in ſingulis humeris claras ſingulas,in manu dextra claram vnã,in eodẽ cubito vnã, in manu ſiniſtra vnã, in dextra parte lũborũ clarã vnã,in ſiniſtro femore clarã vnã,in ſingulis genib⁹ ſingulas,in ſingulis tibiis ſingulas,in ſingulis pedi.ſingulas,ĩ capite Gorgonis

circumquaque tres, in harpe vnam. ſiunt omnes 18.

*Pleiades.*

*Sidera communem oſtendunt ex omnibus ignem*
*Septem traduntur numero, ſed carpitur vna,*
*Deficiente oculo diſtinguere corpora parua.*
*Nomine ſed cunctis ſeruauit fida vetuſtas:*
*Electra, Alcynoéque, Celænóque, Taygetéque,*
*Et Sterope, Meropéque ſimul, formoſáque Maia,*
*Cœlifero genitæ, ſi verè ſuſtinet Atlas*
*Regna Iouis, ſuperóſque, atque ipſo pondere gaudet.*
*Lumine non multo Pleias certauerit aſtris,*
*Præcipuo ſed honore oſtendit tempora bina.*
*Cum primùm agricolam ventus ſuperimminet auſter,*
*Et cum ſurgit hyems portu fugienda peritis.*

PLeiades à pluralitate Græci vocant, Latini eo quòd vere exoriantur Vergilias dicunt. Dicit autem Pherecydes Athenæus, ſeptem ſorores fuiſſe, Lycurgi filias, ex Naxo inſula. & pro eo quòd Liberum educâuerunt, à Ioue inter ſidera ſunt relatæ. Harũ nomina putantur, Electra, Alcynoe, Celæno, Aſterope, Merope, Taygete, Maia: quarum ſeptima, vt ait Aratus, vix intueri poteſt, quam quidam præ timore Orionis fugiſſe putant, quidã à Sole perſecutam arbitrantur, vocatámq; Electram, quę non ſuſtinens videre caſus pronepotum, fugerit. Vnde & illã diſſolutis crinibus propter luctũ ire aſſerũt: & propter comas quidam Cometen appellant. Nonnulli verò Meropen eſſe autumant, quæ nupta, à quodam viro nominata eſt Hippodamia. Muſæus autem refert filias Atlantis fuiſſe ſeptem, ex quibus ſex claræ ſunt, vna obſcura. Cum diis concubuerunt: tres cum Ioue, & ex Electra Dardanus, ex Maia Mercurius, ex Taygete Lacedæmon. cum Neptuno duæ. Alcynoe, ex qua Hercus: Celæno, ex qua Lycus. cum Marte Aſterope, ex qua Oenomaus: Merope cum Siſypho. Magnam apud homines dignitatem habent.

*Lyra.*

*Tempora læua premit parti ſubiecta draconis,*
*Summa genu ſubuerſa tenet, quà ſe lyra voluit,*
*Contra ſpectat auem vel Phœbi quæ fuit olim*
*Cygnus de thalamis candens qui lapſus adulter,*
*Furta Iouis falſa volucer ſub imagine texit.*

LYram inter aſtra collocatam dicunt propter honorem Mercurij, qui eam condidit ex teſtudinis ſimilitudine, de Apollinis boum cornibus, qui intendit chordas ſeptem Atlantidum numero. Regrediente igitur Nilo ad ſuos meatus, inter cætera etiam relicta teſtudo eſt: quæ cum putrefacta fuiſſet, & nerui eius extenſi intra corium remanſiſſent, percuſſa à Mercurio ſonitū dedit, in cuius ſimilitudinem Mercurius lyram fecit: quam poſtea Apollini datam, alij Orpheo dicunt, eo quòd vnus ex Muſis, id eſt Calliopæ ſit filius. fecit autem chordas nouem, iuxta numerum Muſarum. Tantæ nanque dicitur dulcedinis in modulando fuiſſe, vt arbores, ſaxa, beſtias, atque inferos commouerit, ob coniugis Eurydices deſiderium ad inferos deſcendens. Qui cum Apollinem maximum deorum honoraret, Liberum autem patrem, à quo fuerat glorificatus, minimè glorificaret, ſedens in Pangæo monte, & expectans ſolis ortum, Liber indignatus miſit Bacchas, vt Æſchylus ſcribit, quæ cum membratim diſcerperent: collectiſque membris eius, ſepelierunt eum in Leſbiis montibus. eius lyram Muſæo dederunt: Iouémque rogauerunt, vt eius memoriam aſtris inferret. Habet autem ſtellas in vtriſque pectinibus ſingulas, in cacumine chordarum ſingulas, in vtriſque humeris ſingulas, in fundo vnam, in modulo vnam, in tympano claram atque candidam vnam. Sunt omnes nouē.

*Cygnus.*

*Aut medij fulgoris erunt penna vtraque, læta*
*Dexterior iuxta regalem Cepneus vlnam,*
*At læua fugit inſtantem ſibi Pegaſon ala.*

CYgnum dicunt inter aſtra conſtitutum, eo quòd Iupiter in cygnum transfiguratus euolauerit in ramum Atticæ regionis, ibique compreſſerit Nemeſim, quæ & Læda dicitur (vt refert Crates tragœdiarum ſcriptor) quæ enixa eſt ouum, vnde nata eſt Helena. Sed quoniam Iupiter rurſus in cœlum, in cygnum transfiguratus ſe recepit, vt fuit pennis tenſus, ſimulacrum eius ſideribus reliquit. Habet autem ſtellas in capite claram vnam, in dextra ala quinque, vnam claram quæ eſt erga collum, in ſiniſtra ala quinque, in pectore vnam, in cauda vnam, quæ eſt ampliſſima. Sunt omnes 13.

*Aquarius.*

*Oceano merſus ſopitas condere flammas,*
*Hymbres occaſus, ortúſque intercipit ora.*
*Et cum terrores auget mox atra marinos,*
*Multum clamatos fruſtra aſpectauerit ortus.*
*Tunc rigor, aut rapidus ponto tunc incubat auſter.*
*Tarda miniſteria & nautis tremor alligat artus,*
*Et rationem animi temeraria pectora ſoluent.*
*Nulla dies oritur, quæ tam vacua æquora cernat,*
*Puppibus & ſemper tumidis ratis innatet vndis.*
*Interea tentare vndas iuuat: aſpera ſed cum*
*Aſſultat lateri deprenſæ ſpuma carinæ,*
*Tunc alti curuos proſpectant littore portus,*
*Inuentáſque alij terras pro munere narrant.*
*Interea exanimat pauidos inſtantis aquæ mons.*
*Aſt alij procul è terra iactantur in altum:*
*Munit & hos breue lignum, & fata inſtantia pellit,*
*Et tantum à letho, quantum rate fluctibus abſunt.*

PORrò aquarius nomen accepiſſe dicitur, quòd eius exortu hymbres plurimi fiant. Quidam volunt Ganymedem eum eſſe, Troili & Calliroes filium: qui cùm in Ida monte venaretur, ob nimiam pulcritudinem à Ioue adamatus, & per aquilam raptus, inter aſtra eſt collocatus. Dehinc aquarius dictus eſt, quòd vndas funderet. Nigidius Hydrochoon ſiue aquarium exiſtimat eſſe Deucalionem Theſſalum, qui maximo cataclyſmo ſit relictus cum vxore Pyrrha in monte Ætna, qui eſt altiſſimus in Sicilia. & poſteaquam ſe & vxorem ſuam ſolum in terra relictum cenſuit, orbitatis & vaſtitatis miſertus, ab Ioue precari cœpit, vt aut & ipſi interirent, aut hominum genus reſtitueret. Iupiter reſpondit, & per ſortem indicauit, vt lapides quos ante ſe reperiſſet, poſt ſe iactarent. Reuerſi itaque, quotquot Deucalion miſit, viri fiebant: quos Pyrrha, fœminæ. Quo facto, rurſus hominum genus natum eſt. ob quam rem λάος Græcè populus dicitur: quia lapis antiquitus Græcè λάας appellabatur. Ab antiquis quidem dicitur Ariſteus filius Apollinis fuiſſe, quem Apollo dicitur ex Cyrene procreaſſe, quam compreſſit in monte Orpheo, qui Cyrenis

eſt appellatus. Ariſteus dicitur omnibus artibus doctus fuiſſe,quibus cæteros homines ad bonos fructus vtilitatémque perducebat. Is cum caniculæ ſignum peſtiferum oriretur,& ſtatim præſentes fructus læderentur, & homines diuturna peſtilentia afficerentur, factum eſt vt à diis impetraretur,maximè Neptuno,Iouis fratre,ne tẽpeſtatibus & ventis pateretur genus humanum affici indignis calamitatibus. Itaque venia data,conſtitutum eſt à diis,vt caniculæ ſtellæ exortu venti perflarẽt dies circiter quadraginta,eiúſq; peſtilẽtiæ vim abſcinderẽt. Quapropter Ariſteus à diis inter aſtra eſt collocatus. Habet autem Aquarius ſtellas in capite obſcuras duas,in ſingulis humeris ſingulas amplas,in ſiniſtro cubito vnam,in dextro cubito vnam,in ſingulis manibus ſingulas,in ſingulis mamillis ſingulas,ſub mamillis ſingulas,in dextro lumbo vnam,in ſingulis genibus ſingulas, in dextra tibia vnam, in ſingulis pedibus ſingulas. Sunt omnes 18. Effuſio verò aquæ dextra læuáque fit ſtellis 31. Quarum duæ ſplendidæ ſunt,cæteræ verò obſcuræ.

### *Capricornus.*

CApricornus ſanè ſimilitudinem habet Ægypanos: habet enim poſteriorem partem piſcis,priorem capricorni.& hunc honorem dicitur aſſecutus,eò quòd cũ Ioue ſit nutritus. Epimenides dicit in Ida vtroſque nutritos,& ad Titanorum bellum cum Ioue eſſe profectũ: quem Iupiter victor aſtris intulit, quòd eius opera dii armati eſſent. Itémque matrem eius capram,quòd Dicolon inueniſſet in mari,ideo piſcis cauda notatam. Nigidius capricornum refert immortali honore donatũ, quo tempore Phython in mõte Tauro ſpeluncam haberet,& Ægyptum incoleret,ab Ioue conceſſum habuiſſet, quemadmodum diis poſſet obſiſtere, cum eis conſilium panderet,ſi neque terras relinquere vellent,neque Phythonis immanitati reſiſtere dij poſſent,inconſultè figuras immutauerũt,in quam quis vellet,ſeu beſtiã,ſeu volucrem, ſeu piſcem pecudémve. Phython ſe in capram trãſmutaſſet,itaque immortales figuris ignotis Phythonis ante oculos crebrò verſabantur : vnde adhuc maximè pro diis multas beſtias obſeruãt colúntq; Ægyptij,&

conuenit Phythoni neminem deorum aduerſari ſibimet, vacuam cognouit, dominantibus, arbitratus deos ſe veritos propter metum. dominabatur imperitis fortunę varietate, & periculi magnitudine inſtantis. Nam poſt 18. dies dicitur conſilium de eo repētè à diis factum, vt interficeretur. ob idque vſque hodie in Ægypto hos dies, id eſt 18. feſtos perpetuò annis ſingulis inſtituerunt: in quibus diebus qui naſcitur, amplius quam eos non viuit, Phython autem fulmine interficitur ab Apolline in tēplo Ægypti Memphis, vbi mos fuit ſolio regio decorari reges qui regnabant. ibi enim ſacris initiabantur primū, vt dicitur, reges ſatis religioſè tunicati. & tauro quem Apim appellant, iugum portare fas erat, quem Deum maximum Ægyptij exiſtimant: & per vicum vnum duci, vt periti exiſtimabant labore humanę neceſſitatis, vt crudelius quæ ſub eis ſint abutantur. Deducitur autem à ſacerdote Iſidis in locum qui nominatur Adytos: & iureiurando adigitur, neque menſem, neque diem intercalandum quem in feſtum diem immutarēt, ſed 365 dies peracturos, ſicut inſtitutum eſt ab antiquis. Sed illò reuertamur vnde digreſſi ſumus. Igitur dij poſteaquam Phythonem pœna affecerunt, ſancta aſtrorum memoria decorauerunt, & ei nomen Ægyptij Ægypana impoſuerunt, quod contenti dij ſe in beſtias conuertiſſent, Phython ſe in capram transfigurabat: oppidúmque magnificum in Ægypto ædificauerunt, quod Panopolim appellauerunt. Habet autem ſtellas in ſingulis cornibus duas, in naribus claram vnam, in capite claras duas, ſub collo vnam, in pectore duas, in anteriore pede vnam, in ſummitate ipſius pedis vnam, in dorſo ſeptem, in ventre quinque, caudæ in extremitate claras duas. Sunt omnes ſexaginta duæ.

*Sagittarius.*

*Belligerum Titan etiam cum contigit arcum,*
*Ducentémque ferunt ſinuato ſpicula neruo,*
*Iam clauſum ratione mare eſt, iam nauita portu*
*Infeſtam noctem fugit ad longáſque tenebras,*
*Signum erit exoriens nobis tum nocte ſuprema,*
*Scorpios ille micat ſuper freta cærula cauda.*
*Inſequitur grauis arcus, & in lucem magis exit.*

*Tunc altè Cynoſura repit, tunc totus in vndas*
*Mergitur Orion, humeris & vertice Cepheus.*

Porrò Sagittarius ſcorpione oriente aſcendit: quo aſcendente, Orion occidit totus, & Cepheus à vertice & humeris cum manibus, in cuius ſigni regione zodiacus circulus humillimus propter equina crura. Quidam negant, dicentes nunquam Centauros vllis ſagittis vſos fuiſſe. Quidam autem dicunt, quòd quadrupedes eſſe non videantur, ſed ſtans bipes Sagittarius. Hic autem homo equinis pedibus eſt, & caudam habet veluti Sagittarij. Soſitheus autem tragœdiarum ſcriptor, illum affirmat eſſe Crotonem, Euſchemis Muſarum nutricis filium, & inhabitaſſe Heliconem, atque ſagittis & venatu vitam exegiſſe. qui inter Muſas ſæpius commoratus, plauſu cantus earum diſtinguebat, id eſt ad pedem manibus plaudebat, quo alij timerent. Hunc muſæ beneficio Iouis aſtris intulerunt, cuius artes, id eſt plauſus & ſagittæ inter mortales manſere. Nigidius de Crotone idem dicit, ſed non conuerſatum cum Muſis: ſed dum illæ cantus chorósque celebrarent, hunc procul auditu repentino plauſu ad pedem feriendo oblectare canẽtes. ob hoc eum à Ioue immortali memoria earum rogatu donatum, quòd eſſet nutricis earum filius, idem Oceani nepos. Habet autem ſtellas in capite duas, in arcu duas, in acumine ſagittæ duas, in dextro cubito vnam, in eadem manu vnam, in ventre claram vnam, in ſpina duas, ſub cauda duas, in anterioribus geniculis ſingulas. Sunt omnes 15. Reliquę verò ſeptem ſubter crura ſimiles quidem ſunt poſterioribus, quæ non oſtenduntur, quòd Centaurus duplex ſit. iaculum autem eius, ex quo dicũt omnes cygnos ab Apolline interfectos, qui Iouis fulmina fuerant, abſconditũ, fertur ad aquilonem: & peracta, ac potius ſedata lite, aſſumptum, & ad pedes Sagittarij inter aſtra collocatum. Habet autem ſtellas quatuor, in ſummo vnam, in medio obſcuram vnam, in pẽnis duas, vnam verò ſplendidiorem aliis.

*Aquila.*

*Vnguibus innocuis Phrygium rapuit Ganymedem,*
*Et cœlo appoſitus cuſtos, quo Iuppiter arſit*
*In puero, luit excidio quem Troia furorem.*

AQuilam ſanè inter aſtra collocatam dicunt propter Ganymeden Iouis miniſtrum, quem rapuit in cœlum: eſt enim ea ſignum Iouis, quod cum dij omnes volucres inter ſe diuiderent, eam in portione ſortitus ſit Iouis, quòd altius cunctis volantibus euolet, & penè inter omnes principatum teneat, & quòd ſola auiũ ſolis radiis non terreatur. Namque ita eſt ſpectans ad orientem pēnis tenſis. Aglaoſthenes dicit Iouem in aquilam trāsfiguratum, Naxiam regionem vbi nutritus fuerat petiiſſe, & regnum accepiſſe: egreſſo verò de Naxo, cum aduerſus Titanas proficiſceretur, & ſacrificium faceret, aquilam ei in auſpicio apparuiſſe, & fulmina miniſtraſſe, quam bono omine acceptam tutelæ ſubieciſſe. Habet autem ſtellas in capite claram vnam, in humeris ſingulis alarum ſingulas, in pectore obſcuram vnam. ſunt omnes quatuor. Sagitta autem quam tenet in pedibus, dicitur ſagitta Apollinis fuiſſe, cum qua Cyclopas interfecit, eo quòd Ioui fulmina facerent, quòd eo telo Aeſculapius eius filius à Ioue eſſet interfectus: quam ſagittam aſtris illatam in memoriam virtutis ſuæ reliquit. Habet autem ſtellas quatuor, in ſummo vnam, in medio vnam, in pennis ſagittæ duas.

*Delphinus.*

*Sidera quæ mundi pars celſior æthere voluit,*
*Quæq; vident boream ventis aſſueta ſerenis,*
*Diximus: hinc alius decliuis ducitur ordo,*
*Sentit & inſanos obſcuris flatibus auſtros.*

NEptunus, vt Artemidorus refert, Amphitriten voluit in coniugium accipere: quæ cum ob verecundiæ magnitudinem & virginitatis obſeruantiam ad Atlantem confugiſſet, Neptunus poſt eam multos miſit qui eam peterent: inter quos & delphinum miſit, qui eam peteret. Quę cum circa inſulas Atlātis moraretur, reperit eam, nunciauítque Neptuno. quam ille ſuis perſuaſionibus ad ſuam perduxit voluntatem, delphinóque maximos honores in mari tribuit: quem in aſtris intulit, & in manu ſua habere inſtituit. Habet autem ſtellas nouem, & ideo muſicum ſignum dicitur, eo quòd in numero Muſarũ. ſtellas habet in ore vnam, in ſolio duas, in pinnulis ventris tres, in dorſo vnam, in cauda duas.

ſunt omnes nouem. Delphinus autem non multum currit ſupra capricornum.

*Orion.*

*Tela caput magniſque humeris ſic balteus ardet,*
*Sic vagina enſis, pernici ſic pede fulget.*

ORion, qui incola dicitur ante tauri veſtigia fulget. & dicitur Orion ab vrina, id eſt ab inundantia aquarum. Tempore enim hyemis habet ortum, cum mare & terras aquis & tempeſtatibus turbat. Hunc Romani iugulam vocant, eo quòd ſit armatus vt gladius, ſtellarum luce terribilis & clariſſimus: qui ſi fulget, ſerenitatem portendit: ſi obſcuratur, tempeſtatem innuit imminere. Hunc Heſiodus dicit Neptuni & Euryales filium, cui dono datum eſt à Neptuno, vt ſuper fluctus ambularet veluti ſupra terram. Qui cum Chium veniſſet, Meropem Oenopionis filiam compreſſit. quem Oenopion ob iniuriam excæcauit, & de finibus ſuis expulit, ipſe cum Lemnum veniſſet, à ſole dicitur ei lumina reſtituta eſſe, & reuerſus eſt ad Oenopionem. qui cum à ciuibus terra abſconderetur, Oenopion deſperata eius inuentione, Cretam eſt profectus. vbi cum immodicè venaretur, & à Diana corriperetur, ait ſe nullam feram in terris relicturum. Tellus indignata, ſcorpionem extulit miræ magnitudinis, qui pœnas magniloquentiæ eius exigeret. Iouis autem Orionem ob virtutem aſtris intulit. idem rogatu Dianæ ſcorpionem inter aſtra duodecim cœlo collocauit, quorum contra magnitudinem ſtellæ quoque eorum ampliſſimæ ſunt. Ariſtomachus autem dicit, Caubriſam quendam Thebis voto periſſe vt filium haberet: ad quem Iouis, Mercurius, & Neptunus hoſpitio deuenerunt, qui eis hoſtiam immolauit vt filius naſceretur. cuius bouis pelle detracta, dij in eam vrinam fecere, iuſſûque Mercurij terra obruta eſt, vnde puer ſupradictus eſt natus, quem Vrionem appellauerunt, & aſtris intulerunt. Quidam autem dicunt Vrionem Methymnæum, qui cùm eſſet citharæ potens, rex Corinthiorum Pyranthus nomine eum dilexit: qui cùm à rege impetraſſet, vt ciuitatẽ arte ſua illuſtraret, & magnum patrimonium aquiſiuiſſet, conſenſerunt famuli cum nautis vt eum interficerent,

quem cum vellent interficere, petiit ab eis vt antè decātaret. Cum autem citharæ ſonus cum voce eius audiretur, delphini circum nauim venerunt, ille ſuper vnum ex his ſe præcipitauit, qui eum ſublatum ad regem Pytanthum Corinthum detulit. delphinus ſubductis per æſtum aquis exanimatus eſt. Qui cum ſuos caſus Pytantho narraſſet, iuſſit rex Pyranthus delphinum ſepeliri, & ei monumentum fieri. Poſt aliquantulum temporis nauis, qua Orion deuectus fuerat, Corinthum delata eſt. Nautas cum ad ſe adduci rex imperaſſet, & de Orione inquireret, dixerunt eum obiiſſe. Quibus ille: Craſtino, inquit; die ad delphini monumentum iurabitis: eóſque cuſtodiri mādauit, atque Orionem ita ornatum ſicut ſe præcipitauerat in monumento delphini deliteſcere. Cum autem adducti per delphini monumentum iurarent Orionem obiiſſe, & de monumento prodiiſſet, illi eum videntes obmutuerūt, ibique regis imperio crucifixi ſunt. Dehinc Iouis miſeratione dicitur Oriō cum delphino inter aſtra poſitus. Nigidius autem refert, quodam tempore Iouem cum cæteris diis apud Muſæum Biſthoniorum regem hoſpitio dapſili copioſóque affectu prædito in hilaritate conſtituiſſe; vt in corio tauri qui tunc immolatus fuerat, mingerent, eóque loco in corio terra obruta natus ſit Orion: qui factus adoleſcens, digna deorum forma, atque egregia virtute incitatus, immortali memoria obtemperabat, quibus ortus dicebatur. Nam cum in Celinio venaretur, Dianam irridens contemnebat eius opera, quæ in mōte conſtituebat. Itaque Diana miſiſſe dicitur ſcorpionem, qui Orionem vita priuaret. Orion vita priuatus, ſideribus illatus eſt. Habet autem ſtellas in capite claras tres, è quibus media eſt ſplendidior cęteris, in ſingulis humeris ſingulas claras, in dextro cubito obſcuram vnam, in eadem manu vnam, in zona tres, in gladio quem tenet in manu tres, in ſingulis genibus ſingulas, in ſingulis pedibus ſingulas, in mantili tres. Sunt omnes 17. & decem ex eis obſcuriores.

*Canis.*

*Cum tetigit ſolis radios, accenditur æſtas,*
*Diſcernitque, ortu longè ſata viuida firmat.*

*At quibus*

*At quibus arctatæ frondes, aut languida radix,*
*Exanimat: nullo gaudet maiúſve minúſve*
*Agricola, & ſidus primo ſpeculator ab ortu.*

SIrius ſtella eſt in medio centro cœli, ad quam cum ſol acceſſerit, duplicatur calor ipſius, & languore afficiuntur corpora humana. Sirium autem ſtellam vocatam putant, propter flammæ candorem. Latini autem illam caniculam vocant, vnde & dies caniculares dicuntur: quia quandiu ſol in ipſa eſt, peſtifera eſt, ſed pro qualitate adiacentium commutatur. Nam aut vincitur, aut morboſis vtitur viribus. Hinc eſt quòd cum certo tempore oritur, non ſemper eſt noxia. Quidam verò dicunt canem fuiſſe, quæ Europæ cum dracone cuſtos data eſt, quæ poſtea Minos vtraque accepit. eandem poſtea ob medicinæ cauſam Procridi in munera datam: quæ poſtea Cephalus vtraque poſſedit, vir Procridis, qui eam ad Thebas duxit ad vulpem, Thebanorũ agros infeſtantem: cui cani fatum eſt, ne ab vllo poſſet interfici, itémque vulpi. Iupiter verò vulpem in lapidem conuertit, & canem aſtris intulit. Amphianus tragœdiarum ſcriptor refert, quòd cum hominibus ſtellæ relinquerent locum, miſſus eſt legatus canis ad Doloram: quam vt vidit, tempore tempeſtiuo adamauit. qui cum flagraret amore, nec poſſet frui, magis & aſperius vrebatur: calamitate accepta, & deos adiutores inuocare cœpit. Tunc Aquilo miſit filios ſuos adoleſcentes, qui operam cani traderent, & ipſe flatu ſuo canis ardorem ſedauit, qui flatus eteſiæ dicitur, amoris autem memoria remanſit. Sunt qui aliter memorent. Icarus à Libero hoſpitio receptus eſt, qui ei in munere vtrem plenum vino tribuit, iuſſitque vt in reliquas terras propagaret. Icarus dehinc Athenæus cum in terram Atticam ad poſteros deueniſſet, eis genus hoc ſuauitatis oſtendit: paſtores autem cum immoderatius biberent, ebrij facti conciderunt. Qui arbitrantes Icarum malum medicamentum ſibi dediſſe, eum fuſtibus interfecerunt. Icarum autem occiſum, canis qui cum eo fuerat, Neæra nomine, vlulans, Erigonæ eius filiæ monſtrauit, vbi pater inſepultus iaceret: quæ cum veniſſet, eius corpus ſepeliuit: ipſaque ſe in monte Hymetto contulit, ibique laqueo ſibi mor-

tem conſciuit. Tunc dicitur Liber à Ioue petiiſſe, vt Erigonem & Icarum aſtris inferret. Iouis autem audita eius petitione, Erigonem ſignum virginis nominauit, Icarum autem patrem eius Arcturum. Qui cum exoritur, tempeſtates mari terræque efficit. cúmque Athenas peſtilentia opprimeret, ex oraculo reſponſum eſt, ceſſaturam peſtilentiam, ſi per annos ſingulos de frugibus & vindemia Icaro & Erigonæ primum delibaretur. Quod factum eſt ab Athenienſibus, qui diebus feſtis inſtitutis aras conſtituerunt, ideo quia illam pendentem aſpexerunt, quod eſt apud Græcos. ex quo factum eſt, vt ſoli oſcilo iactarentur homines. Canis autem Icari qui vlulans ante pedem pendentis virginis mortuus eſt, Aſtricyon nominatur, quod nos canis ſtellam dicimus: qui ob eandem cauſam quando exoritur, ſummam peſtilentiam hominibus facit. Habet autem ſtellas in capite vnam, quæ Iſis dicitur, claram: in lingua vnam, quam Sirium vel Canem vocant, quæ magna & ſplendida: in collo duas, in ſingulis humeris ſingulas obſcuras, in pectore claras duas, in anteriore pede ſiniſtro tres, in dextro vnam claram, in extremo ſupra dorſum tres, in ventre duas, in ſiniſtro femore vnam, in poſteriori pede ſiniſtro vnam, in ſummitate caudæ vnam. Fiunt omnes xx. Situm autem eſt hoc ſignum inter hyemalem tropicum, & arcticum ſubterraneum, qui auſtralis vocatur.

*Daſypus.*

*Sic vtrumque oritur ſic occidit in freta ſidus:*
*Tu paruum leporem perpende ſub Orione.*

LEpus ſub pedibus Anticanis & Orionis conſtitutus eſt. Hic dicitur Orionis canem fugere venantis. Nam vt venatorem eum finxerunt aliqua de cauſa, ita leporem ei ad pedes fugientem finxerunt. Quidam negant tam nobilem támque magnum venatorem, de quo antè in ſcorpione ſigno diximus, & poſtea in ipſius figura dicemus, oportere leporem venari. Callimachúſque accuſat eum, quòd cum Dianæ ſcriberet laudes, dicit eam leporino ſanguine gaudere, & eos venari dixerit. Nonnulli à Mercurio inter aſtra collocatum dicunt propter nimiam velocitatem: ſiue quòd inter quadrupedes plus pariat, & quoſdam fœtus pariat, quoſdam

verò in ventre habeat:ſicut Ariſtoteles philoſophus ait, qui de animalium ratione diſſeruit. Antiquitus autem dicebatur, in inſula Hiero nullum leporem fuiſſe, ſed ex eorum ciuitate adoleſcens quidam ſtudio generis ab exteris terris leporem fœminam produxit,&ad eius partum diligētiſſimè quæ opus eſſent adminiſtrauit.itaque cum peperiſſet, & complures eius ciuitatis ad ſtudium intendiſſet,& partim precio, partim beneficio mercati eſſent,omnes lepores alere cœperunt: quibus cum nihil daretur ad manducandum, impetu facto omnia comederunt.quo facto,inſulam calamitas afflixit. itaque poſtea leporis figuram aſtris contulerunt,vt homines meminiſſent, nihil his exoptandum in vita, ſi inſolenter vtantur lætitia,qua dolorem capere poſterius cogantur. Habet autem ſtellas in ſingulis auribus ſingulas, in pectore duas,in dorſo nitidam vnam,in poſterioribus pedibus ſingulas.Sunt autem omnes 7.

*Argo nauis.*

*At cum decurrens inhibet iam nauita remos,*
*Auerſámque ratem votis damnatus ab ore*
*Perlegit,optatam cupiens contingere terram.*
*Sed quia pars violota fuit,coeuntia ſaxa*
*Numine Iunonis tutus confugit Iaſon.*
*Hæc micat in cœlo lateri non amplior,actus*
*Quà ſurgit malus,quà debet reddere proram,*
*Intercepta perit,nulla ſub imagine forma.*
*Puppis demiſſo tantum ſtat lucida clauo.*

POſt canis igitur magni caudam,ſecūdum ſtellarum ordinem nauis conſtituta eſt.quam quidam beneficio Mineruæ inter aſtra collocatam dicunt,quæque prima ab ea fabricata eſt: & mare quod antea inuium fuerat,hominibus peruium naualis ingenio fecit. quam notatam in çœlo figurauit,ſed à gubernaculis vſque ad malum. Nonnulli dicunt Danaum Beli filium ex compluribus coniugibus quinquaginta filias habuiſſe,fratrem autem eius Ægyptum totidem filios.Danaum autem &filias eius interficere voluit,vt regnum paternum ſolus obtineret,eáſq; filiis ſuis vxores à fratre popoſcit. Danaus autem cognita malitia, Mineruam inuocauit adiutricē.tūc primū dicitur Minerua nauim feciſſe,quę

Argos appellata eſt, cum qua Danaus ex Aphrica Argos profugit. Ægyptus filios ſuos ad perſequēdum fratrem miſit. Qui poſtquam Argos venerunt, patruum impugnare cœperunt. Danaus autem vt vidit ſe eis obſiſtere non poſſe, dedit eis filias ſuas, quę patris iuſſu viros ſuos vna nocte interfecerunt. ſola Hypermeſtra Linum ſeruauit, ob quod fanum illis factum eſt. cæteræ verò dicuntur apud inferos in dolium pertuſum aquam ingerere. Habet autem nauis ſtellas in puppe quatuor, in cataſtroma quatuor, in malo ſummo tres, in ſingulis temonibus quinque, ſub carina quinque. ſunt omnes 26.

*Cetus.*

*Diuerſo poſita & boreæ vicina legenti,*
*Auſter piſtris agit duo ſidera, perlegit vnum.*
*Namque artes ſupra piſtrim piſcéſque feruntur,*
*Bellua ſed ponti non multum præterit amnem.*

Porrò ſub ariete & piſcibus ſuper fluuium cetus in cœli regione collocatus eſt. Dicitur autem à Neptuno miſſus ad Cepheum propter inuidiam Nereidis, à qua contra Caſſiopeiam & Andromedam exardeſcebat propter nimiā pulchritudinem. huic cetui Andromeda propoſita erat, quem Perſeus interfecit, & ab Ioue aſtris illatus eſt, vt memoria actus maneret. Habet aūt ſtellas in caudæ extremo claras duas, à cauda vſque ad gibbum eius ſex, ſub ventre ſex. Sunt omnes 14.

*Eridanus fluuius.*

*Planxere ignotis Aſiæ Phaethontides vndis,*
*Eridanus medius liquidis interiacet aſtris.*
*Huius pars vndæ læuum ferit Orionis.*
*Lapſa pedem, procul amotis qui piſcibus vſus.*
*Vincula coniectat, nodus criſtam ſuper ipſam,*
*Aequore piſtris adit. ſunt illi libera cœlo*
*Sidera, nonnullam ſpecie reddentia formam.*
*Sub leporiſque latus verſam, poſt denique puppim.*
*Inter & Eridanum flexúſque cauúmque carinæ.*
*Atque hæc ipſa notat, ſi nullam ferre figuram.*
*Sunt etiam toto ſparſi ſine nomine mundi,*
*Inter ſigna ignes, etiam quibus & ſua deſit*
*Forma, per oppoſiti noſcuntur lumina ſigni.*

FLuuius, vt ſuperius diximus, ſubter cetum collocatus eſt, cœli regione cernitur. Ad quem ſiniſter Orionis pes extenditur. Ab Arato & Pherecyde Eridanus Padus eſſe putatur: & ideo inter aſtra collocat⁹, quòd à meridianis partibus dirigere cernitur. Heſiodus autem dicit eum inter aſtra collocatum propter Phaethōta, Solis & Clymenes filium, qui dicitur currum patris aſcendiſſe: cúmque à terra altius leuaretur, præ timore in Eridanum fluuium, qui & Padus dicitur, cecidit, ab Ioue fulmine percuſſus. & omnia ardere cœperunt: cauſáque extinguendi vniuerſos amnes immiſſos eſſe, omnéque mortalium genus interiiſſe, præter Pyrrham & Deucalionem. Sorores quoque Phaethontis flentes in arbores populos verſæ ſunt, lachrymæque earum in electrum durare dicuntur, Heliadéſque appellatæ. ipſas autem nomina habuiſſe, Merope, Helie, Ægle, Ægiale, Petre, Phœbe, Chærie, Dioſippe. Cygnus quoque, rex Liguriæ, Phaethontis propinquus, dum fleret, in cygnum conuerſus eſt. id quoque mouens, flebile canit. à quibuſdam verò Nilus, qui & Gyon exiſtimatur, & ideo inter ſidera collocatus, quòd à meridianis partibus curſum dirigat. Eſt autem ſidus multarum ſtellarum luce adornatum. & ſubiacet ei ſtella, quæ vocatur Canopus ſiue Ptolemæon ſplendens, tangitque temonem nauis. apparet autem humillima, eo quòd circa terram eſſe videtur: & nullum ſidus inferius apparet, ob quod terreſtris vocatur. Habet autem ſtellas in primo flexu quatuor, in ſecundo tres, in tertio tres, vſque ad nouiſſimam ſeptem, quas dicunt in ore illi fluuij eſſe. ſunt omnes 17.

*Aquarius.*

*Infimus hydrochoos, ſed quà veſtigia figit.*
*Sunt aliæ ſtellæ quà caudam bellua flectit,*
*Quáque caput piſcis media regione locatæ.*
*Nullum nomen habent, nec cauſam nominis vllam,*
*Sic tenuis cunctis iam penè euanuit ardor.*
*Nec procul hinc dextra diffundit aquarius vndas,*
*Atque imitatæ cadunt errantis ſigna liquoris.*
*Et quibus vna magis ſub cauda flamma relucet.*
*Squamigeræ piſtris pedibus ſubit altera ſigni*

*Fundentis latices. eſt & ſine honore corona,*
*Ante ſagittiferi nullum pernicia crura.*

PIſcis magnus, cuius nepotes dicuntur piſces qui in circulo zodiaco conſtituti ſunt, dicitur in aſtra collocatus, eo quòd decidens in Boeth ſtagno, Phaceris filia Veneris in piſcem ſit transfigurata, quam Syri deam nominauerunt. Quidam autem dicunt, quòd de ſtagno filiam Veneris ſaluauerit. Vnde vſque hodie Syri piſces argenteos in templo ſacrauerunt. Eſt autem ſignum in parte auſtrali, quod piſcibus orientibus oritur, quem piſcem dicunt aquarij vrnæ habere effuſionē. Habet autem ſtellas 12. è quibus vna fertur eſſe ſub pedibus aquarij, & tres in brachiis eius. Ipſæ autem clariores eſſe ceteris noſcuntur. Inter hęc ſunt aſtra ſiue ſigna quæ planetę appellantur.

*Oceanum occaſu tangit tanto & magis arte,*
*Thuribulo metæ vim cœlo ſuſcipit, & iam*
*Præcipiti tactu vaſtis dimittitur vndis.*
*Multa dedit natura homini rata ſigna ſalutis,*
*Venturámque nouis cladem depellere ſuaſit.*
*Inter certa licet numeres ſub nocte cauenda*
*Thuribulum. nam ſi ſordebunt cætera cœli,*
*Nubibus obductis illo ſplendore timeto,*
*Ne pacem pelagi ſoluat violentior auſter.*
*Tunc mihi ſiccentur aſtricto cornua velo,*
*Erigat emittántque latus per inane rudentes.*
*Quod ſi deprehenſa turbauit lintea puppis,*
*Incubuitque ſinu laxo, vel mergitur vndis*
*Prona ratis, ſoluétque inimicum Nerea prora,*
*Vel ſi perſpexit ſeruator Iuppiter æger,*
*Vltima perſoluunt iactatæ vota ſalutis.*
*Nec metus antè fugit, quàm pars effluxerit orbis,*
*Quæ boream cœlum ſpectantibus indicet ortum.*

SAcrarius, qui & Pharum dicitur, eſt ſignum nauigantibus ſemper contrarium, quod ſequitur ſcorpionis caudam. Quod quidam locatum inter aſtra dicunt, quòd in eo dij primùm mutuò coniurationem fecerūt, cum Iouis contra Saturnum fecit, quòd memoriæ non ſolum aſtris illatum, ſed etiam hominibus hoc habere inſtitutum, quia in agonibus & ludis quinquennalibus

coronæ habentur, & fœderis teſtes adhibentur, itémque vates per quos futura reſponderunt in ſympoſiis dominibus conſecrantur. & iure Iupiter igneum ſibi velamen, ne eius fulminum potentia deprehenderetur, adhibuit. Habet ſtellas quatuor, duas in ſuperficie, in qua prunæ fuiſſe dicuntur, duas in vaſe eius.

*Centaurus.*

*Inde per ingentes coſtas, per crura, per harmos*
*Naſcitur intacta ſonipes ſub virgine dextra,*
*Seu prædam è ſyluis portat, ſeu dona propinqua,*
*Placatura deos cultor Iouis admouet aræ.*
*Hic erit ille pius Chiro iuſtiſſimus omnis*
*Inter nubigenas, & magni doctor Achillis.*
*Hic humero medium ſcindens iter ætheris alti,*
*Sic tenuem traxit nubem, ſtellas vere condit,*
*Toto clarus equo venientes nunciat euros.*

CEntaurus dicitur Saturni & Phillyrę filius. nam Saturnus cum Iouem filium quæreret in Thracia, cum Phillyra Oceani filia in equum verſus dicitur cõcubuiſſe, & ex ea Chironem centaurum natum, artis medicinæ inuentorem: ipſamque in arborem φίλυραν, hoc eſt tiliam verſam eſſe. & habitaſſe Chironem in Pelio mõte, inter homines æquiſſimũ: à quo Æſculapius medicina, Achilles cithara, in aſtrologia Hercules literis inſtructi ſunt. cuius hoſpitio cũ Hercules vteretur, ſicut Antiſthenes dicit, è pharetra ſagitta lapſa dicitur pedẽ eius vulneraſſe: acceptóq; vulnere, illum animã exhalaſſe, & ab Ioue aſtris illatum. Eſt autem ſignum ad aſpectum Sacrarij. Vnde & ad idem Sacrariũ ſacrificare videtur. Habet ſtellas in capite obſcuras tres, in ſingulis humeris ſingulas claras, in dextro cubito vnam, in eadem manu vnam, in medio pectore vnam, in ſpina duas, in ventre ſplendidas duas, in dextro lumbo claram vnam, in cauda tres, in ſingulis genibus retrorſus duas. in vtroque harmo vnã, in vtriſque pedibus anterioribus ſingulas. fiunt omnes 33. Quidam arbitrantur tenere in ſiniſtra manu arma & leporem, in dextra verò beſtiolam quæ θηρίον appellatur: & βύρσαν, id eſt vtrem vini plenum, in quo libabat diis in ſacrario. Habet autẽ ſtellas beſtiola in capite vnã, in ſpina clarã vnã, in cauda duas, ĩ ſũmo pede poſteriore clarãvnã

in anteriori pede vnã clarã, in thyrſo tres. Sunt omnes 33.

*Hydra.*

*Hic primos ortus crater premit vlterioris,*
*Vocalis roſtro corui ſuper, hydráque lucet.*

HYdra, ſuper cuius caudam coruum ſedere dicunt, & in medio vrnam aſſerunt, eſt ſignum in parte auſtrali, caput deflexum habens ad cancrum, cuius ſinuoſi corporis medietas eſt connexa ſub leone. caudam verò extendit ad Centaurum, ſupra quem ſedet coruus. Qui coruus ideo inter aſtra collocatus dicitur, eo quod fuerit in tutela Apollinis, à quo miſſus ad fontem, vt diis ad libandum aquam deferret. qui cum vidiſſet arbores groſſos ficus habentes, volans conſedit in eis, donec maturæ fierent, & aquam deferre diſtulit. poſt paucos autem dies peracto ſacrificio, cum ille ficos comediſſet, & ſe diis peccaſſe ſenſiſſet, denuò ad fontem vt aquam hauriret rediit: & ab hydra exterritus, vas vacuum reportauit, dicens exceſſiſſe aquam quæ fuerat in fonte. Cognoſcens Apollo ſibi coruum peccaſſe, prohibuit eum eo tempore aquam bibere, vt Ariſtoteles dicit in eo libro qui de Beſtiis ſcribitur. Et Iſidorus in Naturalibus, vel in Phyſicis memoriæ tradidit, quod ipſe peccati pœnas daret, qui & poſtea aſtris illatus eſt. Crater autem in medio angue poſitus eſt, caudam autem anguis coruus appetit roſtro, neque poteſt iuxtà accedere vt bibat. Habet anguis ſtellas in capite claras tres, in prima flexura ſex, & vna ex eis obſcura, ad vltimum in ſecunda flexura tres, in tertia quatuor, in quarta duas, in quinta vſque ad caudam octo claras. fiunt omnes 26. Paululum ſub prima flexura crater ſiue vrna ſitus eſt, inclinatus ad genua virginis. Habet ſtellas in labris obſcuras duas, per ſingula latera tres, in fundo duas. ſunt omnes 10. Coruus autem qui eſt ad vltimam eius caudam, ſpectans ad occaſum, habet ſtellas in capite claram vnam, in ala duas, in cauda tres, in pedibus ſingulas ab vnguibus. ſunt omnes ſex. omnes ſimul fiunt 43.

*Æthereum venit thalamum ſuper imbribus atrum,*
*Et tonitru crebráque abſcondit grandine terras.*
*Temperat in geminus annum, nec crede ſereno,*
*Nubila nec diuturna putes cum ſidere cancri:*

*Fons erit ardentis:tamen hoc in littore certum,*
*Flagrantis placidè lucens hic temperat annum.*
*Compoſuit ſedem Nemeæis finibus aſtrum,*
*Virginéque & libra ſemper pendentia tantum*
*Nubila,continua magis in ſtatione manebunt.*
*Nunc quoque nulla fides,cœlum cum ſcorpion acer*
*Stat ſuper;incerta namque omnia lege feruntur.*
*Heu quantis terras cum Iuppiter ignibus omnis*
*Obruet,aut glomerata cadet,quàm denſa per aſtra,*
*Immitis grando cœlo,quàm ſæpe ſonabit,*
*Cum ſpacium attigerit tendentis ſinguláque ignis.*
*Non terris imbres. ponto non flamina deerunt,*
*Et cœli terret ſonitus mortalia corda.*
*Cum ſedem ægoceri Cythereius attigit ignis,*
*Horridus ad gelidos portendit aquarius ignes.*
*Hybernæq; cadunt pluuiæ,concretáque grando,*
*Piſcibus à geminis ſub prima recurrerit aſtra.*
*Heſperus hæc tibi ſigna feret,cum lucifer ora*
*Ingreditur Venus alma polum.ſed vbi heſperus ignes*
*Prouocat æthereos,& noctem ducere terris*
*Incipit, exoriens ecce hæc Cytherea mouebit.*
*Vere cauete imbres & fulmina culmine ab alto,*
*Phrixeum rutilo pecus irradiauerit aſtro,*
*Nubila commixtúſque frager pluuialibus vndis,*
*Flamináque aſſiduos terris dum ſtantia pulſu,*
*E cœlo diri deiecti grandinis ictus.*
*Vere magis nitido tauri cum ſidera fulxit,*
*Appota geminis eadem conſtantia præſtat.*
*Cum dederit ſoles,inducit nubila cœlo:*
*Nubila cum fuerint,ſubitos mirabere ſoles.*
*Et modò te vento gelido,modò protinus imber.*
*Lucent alterna ſuperabit nube ſerena.*
*Sin leuis ingreſſa eſt ſpacioſi ſidera cancri,*
*Pacem mundus habet non vlli corpore ſoles*
*Peſtiferi incendunt.non ſidera denſa ſolutos*
*Aſtringunt artus alieno tempore lenis.*
*Omnia pacato tum ſidere temperat aer.*
*Ac rapidis idem ne ſolibus æſtuet orbis*
*Efficient magni conſpectu ſigna leonis.*
*Virgine erunt pluuiæ,plerique in nube fragores,*

*Concaua quos reddunt incluſo nubila vento.*
*Detrahit autumno pluuias, eadémque repellit,*
*Nubibus aſſiduis, cœlúmque ob frigora prima,*
*Extremum autumni ſuperent glacialia terræ.*
*Scorpios at raris ne quis caua terra grauetur,*
*Horrebit pluuiis, ad diros omnia nimbos,*
*Continuiſque ruit cum per ſinuoſa tenetur*
*Cornua centauri, rapida diſtincta ſagitta,*
*Aegoceros imbres & crebro lumine ruptos*
*Nubibus elidet ſonitus, tremulóque nitore*
*Flagrantis teli mortalia numina vincent.*
*Hæc eadem fundens prædicit Aquarius imbrem,*
*Extremis ſæuis maria increbreſcere ventis.*
*Oſtendunt piſces Veneris quos ſtella notarit.*
*Et quoniam certis extat via cognita ſignis,*
*Accipe quid moueat mundo Cyllenius ignis.*
*Si modò Phœbei flammas euaſerit axis.*
*Matutina ferens ſolitus per ſidera curſus,*
*Cum pecudum villis auratum fulſerit aſtrum,*
*Ventorúmque graues & diræ grandinis iræ.*
*Non intermiſſo patienti tempore ſurgent,*
*Qui pluuias alias etiam in regione notabis*
*Affore non omni: namque eſt tunc imber in aruis.*
*Aſt vbi ſe taurus ſinuatis cornibus effert,*
*Grandine ſignificat geminis tranquilla ſereni,*
*Et placidum nautis ſpondet cœlúmque fretúmque,*
*Nubila atque imbres, æſtus ac frigora miſcet.*
*Certior ardor erit, quamuis iuuet aura fauoni,*
*Cum vaſti calida radiabit ſede leonis,*
*Templa ſed ætherei ſimulac poſſederit ignis.*
*Omnia mixta feret, pluuias meditabitur ingens.*
*Vndique grando venit, rumpuntur culmina nimbis.*
*Centauri attigerit cum iam Cyllenius arcus:*
*Aut vbi conſurgit capricornus & ipſe biformis,*
*Aut ſubitos cœlo deducet crebrius imbres,*
*Fulminis aut iactu magnum perrumpit Olympum.*
*Nulla ſerenato capricornus nubila cœlo*
*Comparat, aut gelidos flatus cœlique fragores.*
*Non alio melius ſigno prædicere poſſis.*
*Piſcibus hæc eadem quamuis cognoſcere fas ſit.*

*Quandoquidem exoritur mundo Cyllenius ignis.*
*Quid faceret primùm modò cum lumine ſolis,*
*Tempus & occaſus moneat quoque diſcere Phœbi.*
*Ver erit hybernis totum execrabile nimbis,*
*Et crebro tonitru iunget florentia rura,*
*Spéſque nouæ ſegetis quatientur grandinis ictu:*
*Vretur cœlum, magni cum regna Tonantis*
*Ingrediens, pecudis ingreditur aurea terga,*
*Hinc & Agenorei ſtellantia cornua tauri,*
*Quidve ferant gemini, rapido quid ſidere cancer,*
*Si penitus quæras, taurum ſæuire videbis.*
*Grandine nec contrà ferri ratione probanda,*
*Aut cancro aut geminis calidus veſtigia ſeruat,*
*Hic quo dicta leo ſæuiſque caloribus ardet.*
*Flatus at gemini miſcet tranſquilla ſerenis,*
*Spiciferæq; manu tendenti libera nutu*
*Diſſentit diuæ. ſed vt hæc ventura ſerena*
*Nunciat, & ventis ceſſat mare, ceſſat & aer:*
*Scorpios in pluuias, rarus, ſed nubibus atris*
*Creber agit nimbos, & ſæua tonitrua portat,*
*Clara ſagittiferi tetigit cum lumina ſigni,*
*Ægocero ſemper cœlo leuis excidit imber.*
*Frigidus at rapidis horrebit aquarius euris,*
*Brumaléſque dabit pluuias, atque igne perenni,*
*Cum ſonitu quatiet nubes ſecura laboris.*
*Non fruſtrans animum, certo me limite ducat,*
*Hæc eadem tibi ſigna dabunt non irrita piſces.*

SOlem per ſeipſum conſtat moueri, non cum mundo verti, ſed in Zodiaci circuli obliquitate curſum peragrare, paulo ſuperius diximus: qui dum per trecentos ſexagintaquinque dies & quadrantem, Zodiacum luſtret, & ſingula tricenis diebus deníſque horis ac ſemiſſe, id eſt dimidia hora tranſcurrat, incremento dimidiarum horarum quarto anno vnum diem complet, quem biſextum nuncupant, qui dies conficitur ex quadrantibus. Nam cum duodecies ſemis ſex horas integras faciāt, id eſt quadrantem, hic quadrans quater ductus vigintiquatuor horas perfecit: idem vnum diem cum ſua nocte complet, & in quarto biſextum, vt præfati ſumus, efficit. Sol interea dū igneus ſit, præ nimio motu conuerſionis

ſuæ amplius incaleſcit. cuius ignem dicunt Philoſophi aqua nutriri, & è contrario elemento virtutem luminis & caloris accipere: vnde videmus eum ſæpius madidum atque rorantem. Tunc autem eclipſim patitur, quòd latinè defectio dicitur, quotiens luna 30. ad eandem lineam qua ſol vehitur peruenit, eique ſe obiiciens eum obſcurat: vnde deficere nobis videtur, cum ei orbis lunæ opponitur. Signa enim tempeſtatis vel ſerenitatis, hoc modo aſtrologi mundi cognoſcenda eſſe dixerunt. Vergilius namque ait: Si ſol in ortu ſuo maculoſus ſit, atque ſub nube latens, aut ſi dimidia pars eius apparuerit, imbres futuros. item Varro ait: Si exoriens concauus videtur, ita vt è medio fulgeat, & radios faciat, partim ad aquilonem, partim ad auſtrum, tempeſtatem humidam & ventoſam futuram innuit. item ſi ſol, inquit, rubeat in occaſu, ſincerus dies erit: ſi palleat, tempeſtatem ſignificat. Nigidius quoque ait, ſi pallidus ſol in nigras nubes occidat, aquilonem ventum ſignificat. Hunc etiam Græci Apollinem appellauerunt, à quo ſe ſpiritum accipere arbitrantur: ἀπόλλων enim Græcè, Latinè perdens dicitur, quòd feruore ſuo omnem ſuccum virentium decoquendo perdat herbarum. Hunc etiam diuinationis Deum eſſe voluerunt, ſiue quòd ſol omnia obſcura manifeſtat in luce, ſiue quod in ſuo proceſſu & occaſu eius orbita multimodos ſignificationum monſtret effectus. Sol dicitur aut ex eo quòd ſolus ſit, aut quòd ſolito per dies ſurgat & occidat. Hunc etiam ſine barba pingunt, quia occidendo & naſcendo ſemper eſt iunior: ſiue quòd nunquam in ſua virtute deficiat, vt luna, quæ creſcit aut minuitur.
Huic quoque illam ob cauſam quod aut quadripartitis temporum varietatibus anni circulum peragat, id eſt, verni, æſtatis, autumni, & hyemis: aut quod quadripartito limite diei metitur ſpacium. Vnde & ipſis equis condigna nomina poſuerunt, id eſt Erythræus, Actæon, Lampros, & Philogæus. Erytrhæus Græcè ruber dicitur, quòd à matutino lumine rubicundus exurgat.
Actæon lucidus dicitur, quòd tertia hora inſtante lucidior fulgeat. Lampros verò lucens vel ardens dicitur, quod fit, dum ad vmbilicum diei contra arcticum con-

ſcenderit circulum. Philogæus Græcè terram amans dicitur, quòd hora nona procliuior vergens occaſui pronus incumbat.

Luna terris vicinior eſt quàm ſol, ſiue quàm cætera errãtia ſidera. Vnde & breuiore orbe celerius peragit curſum ſuum. Nam iter quod ſol trecẽtis & ſexaginta quinque diebus & ſex horis peragit, luna viginti ſeptem diebus & octo horis percurrit, ſingula verò ſigna ſol tricenis diebus & denis horis ac ſemiſſe. Luna autem binis diebus & ſemis hora biſſe vnius perlabitur. Vnde fit, vt quantum ſpacij in Zodiaco luna peccurrit, tantum ſol tredecim diebus expleat. Hanc quidam philoſophorum dicunt proprium lumen non habere, globíque eius vnã partem eſſe lucifluam, aliam verò obſcuram, & paulatim ſe vertendo diuerſas formas efficere. Alij contrà aiunt lunam globum ſuum habere, ſed ignem àſole concipere: & quantum percutitur, ardeſcere: & quantum à ſole diſcedit, augeri. Cum verò contrà ſteterit, feritur ex aduerſo, & velut ſpeculum non vim, ſed imaginem reddit: vnde & defectum patitur, ſi inter ipſam & ſolem vmbra terræ interueniat. Hac enim creſcente, vniuerſa gignentia pubeſcunt: tenueſcente, tenuantur. humor etiã & ſpiritus omnis augeſcit, tumeſcit Oceanus. quod diuerſo cœli & vagantium ſtellarum temperatur, atque deteritur, & infra fluit, id excipit luna, & ſoli tradit: quo & animalia rigeſcunt, & humus quodammodo animatur genitali calore: & vt ita dixerim, viua plurimum valent in originibus, quam in ortu ſunt, languent in occaſu. ortum facit in ſtella quam ſol præterit. deinde ſtatione matutina cum à quinto loco ſolis ſteterit, in eodẽ manet ſigno, donec ab eodem ſole moueatur, quæ contraria eſt ſoli. mane occidit, oritur ſimul nocte, & vocatur Chronicos. Deinde rurſus altero latere è quinto ſigno deprehenſa, poſt meridiana ſtationem facit, donec ingreſſo ſole idem ſignum ſub radiis eius deliteſcens in totum occidat. Aſpiciunt inter ſe ſtellæ ex tertio ſigno, quod dicitur trigonum, &habent maximè confuſionem. item à quarto ſigno quod tetragonon & centrum vocatur, & in alterutrum maximè præſtant effectum. Item ex contrario quod eſt ſeptimum ſignum, & diametron vo-

catur,quæ maximè aduerſum cætera diſſidēt vel leuiter aſpiciunt, vt ſextum quod dicitur hexagonon. Signa tropica peregrinis nationibus præſunt, & omnino motibus & conſiliis ſubinde variantur,atque permutantur. biformia generatione.rerum omnium repetitionem ſignificant, & interim dilationem ſolida vehementer & inſtanter efficiunt,& ad exitum vel proſpera vel aduerſa perducunt: ſicut aſpiciuntur à ſtellis, vel fauentibus, vel repugantibus. Iam verò quia de eius curſu vel ordine ſub breuitate diximus,reſtat vt quid de ea gentiles ſenſerint,edicamus.Lunam gentiles Dianam, germanam Solis,quem Apollinem nuncupabant, fuiſſe dixerunt.& ſicut à ſole ſpiritum,ita ſe à luna corpus accipere arbitrabantur.Dicebant enim eam viarum præſidem & virginem,eo quòd invia nihil pariat.Idcirco igitur ambo ſagittas habere dicuntur,quòd ipſa duo ſidera de cœlo radios vſque ad terram emittant.ideo faces,quia luna illuminat,ſol & illuminat & exurit. ideo bigā luna dicitur habere,ſiue propter velocitatem,ſiue pro eo quod nocte & die apparet.ideo vnum equum albū & aliū nigrū dicitur habere,eo quòd hyeme & æſtate plus luceat, quàm vere & autumno.Diana autem luna dicta eſt quaſi Diane, eo quòd die ac nocte apparet ipſa. & Luna, eo quod luceat:& Triuia,eo quòd tribus fungatur figuris.de qua Vergilius ait:Tria virginis ora Dianæ. Nam eadē luna, eadem Diana,eadem Proſerpina vocatur,id eſt cœleſtis, terreſtris,& infernalis. De qua quidam: Denique cum luna eſt ſubluſtris,ſplendet amictu:Cum ſuccincta iacet calamis. Latonia virgo eſt. Lunam voluerunt etiā apud inferos Proſerpinam, ſeu quòd nocte luceat, ſiue quòd humilior currat & terris præſit. vnde bigam boum habere dicitur, illo videlicet pacto,quo detrimenta eius non ſolum terra,ſed & lapides vel crebra animantiū,& quod magis incredibile ſit, etiam lætamina ſentiunt, quæ in lunæ incrementis eiecta vermiculos parturiant. ipſam Dianam dictam à nemoribus volunt,ſimili modo quòd arborum ac fruticum ſucco augmenta inducat.Denique crementis lunæ abſciſſa ligna furfuraceis tinearum terebra manibus fiſtulaſcunt. Nemoribus quoque adeſſe dicitur,quòd omnis venatio plus nocte quàm die dormiat.

Endymionem verò paſtorem amaſſe dicitur,duplo ſcilicet modo: ſeu quod primus hominum Endymion curſum lunæ inuenerit, vnde & triginta annos dormiſſe dicitur,quia nihil aliud in vita ſua niſi repertioni ſtuduit, ſicut Mnaſcas in primo libro de Europa ſcribens tradidit:ſiue quòd Endymionem amaſſe fertur, quia nocturni roris humor qui eſt ſiderum quoque, ipſius lunæ animandis herbarũ ſuccis inſudatur, & paſtoribus proſunt ſucceſſibus. Præterea ſigna tempeſtatis,vel & ſerenitatis in ea videri poſſe,antiqui dixerunt.Nigidius ait:Si luna in ſummo circulo maculas nigras habuerit in primis partibus menſis, imbres futuros ſignificat: ſi in medio, nunc cum plena ſint in eo cornicula,ſerenitatem.Cæterùm ſi rubet quaſi aurum,ventos oſtendit: fit enim ventus ex aeris denſitate,qua obducti ſol & luna rubeſcunt. Item ſi cornua eius tetra fuerint nebula,tempeſtas futura eſt. Aratus autem dicit,ſi aquilonium cornu lunæ eſt correctius,aquilonem imminere. Item ſi cornu auſtrale ſit erectius, notum imminere. Quarta autem luna index futurarum certiſſima habetur aurarum. Vnde & Vergil.Sin ortu quarto,namque is certiſſimus autor.

*Bruma in fauonium.*

CÆſari nobilia ſidera ſignificant, 3. calend. Ianuarias matutino canis occidet, quo die Atticæ & finitimis regionib. Aquila veſpere occidere traditur. Pridie nonas Ianuar. Cæſari Delphinus matutino exoritur, & poſtero exoritur Fidicula, quando ſagitta veſperi occidit. Item quinto idus Ianuarias eiuſdem delphini veſpertinus occaſus,& continui dies hyemis Italię,cum ſol in aquarium ſentitur tranſire,quod ferè 13.calend.Febr. euenit. 8. Feb. regia ſtella appellata, Tuberone, in pectore, leonis occidit matutino,& pridie nonas Febr. Fidicula veſperi occidit.

A Fauonio in æquinoctium Cæſari ſignificant 4. calend.Mart.quatriduum variè, & 8. calend. Mart. hirundinis vſus:& poſtero die arcturi exortus veſpertinus.Item nonas Mart. Cæſar cancri exortu id fieri obſeruauit.8.Idus Mart. Aquilonis piſcis exortus, & poſtero die Orionis exortus, & in Attica miluus apparere obſeruatur. Idibus Martiis Cæſar ferales ſibi notauit

Scorpionis occaſus.3. calend.Aprilis Italiæ miluus oſtēditur.12.calend.Apriles Equus occidit matutino.

Æquinoctium vernum 8. calend. Aprilis peragi videtur. Ab eo ad Vergiliarum exortum matutinum Cæſari ſignificant. 3. nonas Aprilis in Attica Vergiliæ veſpere occultantur. Item poſt pridie nonas Aprilis in Bœotia & Chaldæis Orion & gladius eius incipiunt abſcondi. Cæſari 6. calend. Aprilis, ſignificat imbres,libræ occaſus.14.calend. Maias ſuculæ occidunt veſpere,ſidus vehemens, & terra mariqne turbidum. 16. calend. Maias, in Attica occidunt veſperi,Cæſari 15.calend.Maias,quatriduum ſignificant. 12. calend. Maias Aſſyriis ſuculæ occidunt veſperi, quod vulgò appellatur ſidus parilicium: quoniam 11. calend. Maias vrbis Romæ natalis habetur: quo ferè ſerenitas redditur, claritatem obſeruationis membrorum augmento: Hyadas appellantibus Græcis, quod noſtri à ſimilitudine cognominis, vocabulum eis ſtellis propter ſuccos impoſitum arbitrantur.imperiti appellauere ſuccidas.Cæſari 8. calend. Maias notantur dies 7.calend. Maias Ægypto hœdi exoriuntur. 6. calend.Maias, Bœotiæ & Atticæ canis veſpere occultatur,& Fidicula mane oritur. 5. calend. Maias Aſſyriis Orion totus abſconditur.Quarto autem calend.Maias Aſſyriis canis. 6. nonas Maias Cæſari ſuculæ matutino exoriũtur. & 8.idus Maias,capella pluuialis. Ægypto autem eodem die canis veſperi occultatur. Sic ferè in 6. Idus Maias, qui eſt Vergiliarum exortus, decurrunt ſidera.

A Vergiliarum exortu ſignificant Cæſari, poſt pridie idus Maias, arcturi occaſum matutinum. 3. idus Maias, Fidiculæ exortus. 12.calend.Iunias capella veſperi occidit,& in Attica canis.11. calend. Iunias Cæſari Orionis gladius occidere incipit. 3. nonas Iunias Aſſyriis Aquila oritur veſperi.7. idus Iunias arcturus matutino occidit Italiæ. 4. idus Iunias Delphinus oritur in Ægypto. 11. calend.Iulias eiuſdem Orionis gladius Cæſari occidere incipit. 8.calend. Iulias longiſſimus dies totius anni,& nox breuiſſima ſolſtitium conficit.

A Solſtitio ad fidiculæ occaſum 6. calend. Iulias, Cæſari Orion exoritur. Zona autem eius Aſſyriis 4. nonas

Iulias: Ægypto verò eadem die Procyon æſtuoſus, matutino oritur. quod ſidus apud Romanos non habet nomen, niſi canicula, quam volumus intelligere minorem canem, vt in aſtris pingitur: ad æſtum maximè pertinens, ſicut paulo pòſt docebimus. 4. nonas Iulias Chaldæis corona occidit matutino. Atticæ Orion totus eadem die exoritur, pridie idus Iulias. Ægypto Orion deſinit exoriri 15. calend. Auguſtas. Aſſyriis Chiron exòritur. Deinde poſt triduum ferè vbique confuſus inter omnes, ſidus indicans, quod canis ortu vocatus, ſole partem primã leonis ingreſſo, cùm fit ſolſtitiũ: quod ſidus accendit ſolem, & magnam æſtus obtinet cauſam. 16. calen. Aug. Ægypto Aquila occidit matutino, Eteſiarúmq; prodromi flatus incipiunt, quod Cæſar, 10. calen. Auguſtis ſentire Italiam exiſtimauit: Aquila Atticæ matutino occidit, 8. id. Aug. Arcturus medius occidit. 3. id. Aug. Fidicula occaſu ſuo autumnum inchoat, aut annotat: ſed vera ratio id fieri inuenit pridie idus Auguſt. Equus oritur veſperi: & Cæſari Ægypto Delphinus occidit 11. cal. Septẽb. Aſſyriis ſtella, quę anteuindemiator appellatur, exoriri mane incipit, vindemiæ maturitatem promittens, cuius argumento erunt agni colore mutati, & Aſſyriis quinto calen. Septemb. Sagitta occidit, Eteſiæq; deſinunt. Anteuindemiator Ægypto nonis Septembris oritur. Atticę Arcturus matutino, & ſagitta occidit mane 5. idus Septembr. Cæſari capella oritur veſperi. Arcturus verò pridie idus Septembris imbres vehementiſſimos ſignificat, terra maríq;. Ratio eius hæc traditur: ſi Delphino occidente imbres fuerint, non defuturi ſunt per Arcturum. eius ſigni ortum ſeruat hirundinum habitus: nanque deprehenſæ intereunt. 15. calendas Octobres Ægypto ſpica, quam tenet virgo, oritur matutino, Eteſiæq; deſinunt. 11. calendas Octobres commiſſura piſcium occidit, ipſúmque equi ſidus. 8. calendas Octobres. 3. calendas Octobres hœdi oriuntur. calendis Octobribus capella matutino exoritur. 6. nonas Octobris, Atticæ corona exoritur mane. 5. nonas Octobris, Heniochus occidit matutino. 4. nonas Octobris Cæſari corona exoriri incipit, & pridie nonas occidunt hœdi veſperi. 8. idus Octob. Cæſari fulgens in corona ſtella exoritur, & ter-

tio idus Vergiliæ veſperi exoriuntur. 18. calendas Nouẽbris Succulæ veſperi oriuntur. pridie calendas Nouembris Cæſari Arcturus occidit, & ſucculæ exoriuntur cum ſole. quarto nonas Nouembris Arcturus occidit veſperi, & idibus Nonemb. Atticæ Vergiliæ occaſu ſuo hyemem inchoant: quinto idus Orionis gladius occidere incipit. Deinde tertio idus Vergiliæ occidunt, occaſum matutinum Vergiliarum Heſtodes. natura huius quoque nominis Heſtodis aſtrologiam tradidit fieri.

In æquinoctio autumni confitetur quòd tales 25. dies ab æquinoctio Anaximander 31. Eucthemon 48. Nos autem ſequentes obſeruationem Cæſaris, 45. die ab æquinoctio dicimus fieri.

Ante omnia autem duo eſſe nomina cœleſtis iniuriæ, meminiſſe debemus: Vnum quod tempeſtates vocamus, in quibus grandines, procellæ, cæteráque ſimilia intelliguntur, quæ cum plenilunio acciderint, vi maiore impelluntur. Hæc ab horridis ſideribus exeunt (vt ſæpius diximus) velut Arcturo, Orione, hœdis. Alia ſunt illa quæ ſilente cœlo ſerenis noctibus fiunt nullo ſentiente, niſi cum facta ſunt publica, & magnæ ſunt differentiæ à prioribus, aliis rubiginem, aliis vredinem, aliis caliginem impellentibus, omnibus verò ſterilitatem. De his nunc dicemus, quæ ante nos à nullo ſunt prodita: prius cauſas reddemus eorum, quæ ſunt præter lunarem, & quæ paucis cœli locis conſtant. Nanque Vergiliæ primatum tenent ad fructus, quarum exortu æſtas incipit, occaſu hyems ſemeſtris ſpacio intra ſe, & meſſes vindemiáſque, & omnium maturitatem amplexantur. Eſt præterea in cœlo qui vocatur Lacteus circulus, etiam viſu facilis. huius defluuio velut ex vbere aliquo ſata cuncta lacteſcunt, duorum ſiderum obſeruatione, Aquilæ in ſeptentrionali parte, & in auſtrina caniculæ, cuius mentionem ſuo loco fecimus. ipſe circulus fertur per Sagittarium & Geminos, ſolis centrum infra æquinoctialem circulum ſecans, commiſſuras eorum obtinens. hinc Aquila, illinc canicula, ideo effectus vtriuſque ad omnes frugiferas pertinet terras, quoniam in his tantum locis ſolis terræque centra congruunt. Igitur horum ſiderũ diebus ſi purus atque mitis aër genitalem il-

lum lacteúmque ſuccum tranſmiſerit in terras,læta adoleſcunt ſata:ſi luna qua dictũ eſt ratione roſcidum frigus aſperſerit,admixta amaritudo, vt in lacte puerperiũ necat,modus in terris:huius iniuriæ quam fecit in quacunque conuexitate comitatus vtriuſque cauſæ:& ideo non pariter in toto orbe ſentitur, vt nec dies. Aquilam diximus in Italia exoriri 13.calẽd.Ianuarias, nec patitur ratio naturæ quicquam in ſatis ante eum diem ſpei eſſe certæ. Si verò interlunium incidat,omnes hybernos fructus lædi neceſſe eſt. Rudis fuit priſcorum vita,atque ſine literis,non minus tamen ingenioſã fuiſſe in illis obſeruationem apparebit, quàm nunc eſſe rationem. Tria nanque tempora fructibus metuebant, propter quod inſtituerunt ferias,diéſque feſtos,rubigalia,floralia, vinalia. Rubigalia Numa conſtituit anno regni ſui 11. quæ nunc aguntur ad 7.calend.Maij, quoniam tunc ferè ſegetes rubigo occupat. Hoc tempus Varro determinat, ſole tauri partem decimam obtinente, ſicut tunc ferebat ratio. ſed vera cauſa eſt, quod poſt dies 19. ab æquinoctio verno, per id quatriduum varia gentium obſeruatione,in quarto calend. Maij, canis occidit ſidus,& per ſe vehemens, & cui præoccidere caniculam neceſſe ſit. Idem itaque Floralia quarto calend. eaſdem inſtituerunt vrbis anno 516. ex oraculis Sibyllæ,vt omnia bene defloreſcerent: hunc diem Varro determinat ſole tauri partẽ quartam decimã obtinente. Ergo ſi in hoc quatriduum inciderit plenilunium,fruges & omnia quæ florebunt lædi neceſſe erit. Vinalia priora quæ ante hos dies ſunt 9.calend.Mart. deguſtandis vinis inſtituta,nihil ad fructus attinent,nec quæ adhuc diximus ad vites oleáſque: quoniam earum conceptus exortu Vergiliarum incipit,ad ſextum idus Maij,vt docuimus, aliud hoc quatriduum eſt, quod neque rore ſordere velint:exhorrent enim frigidum ſidus arcturi poſtridie occidens,& multominus plenilunium incidere. quarto nonas Iunias iterum Aquila exoritur veſperi, decretorio die florentibus oleis viribúſque incidat, in eum equidẽ & ſolſtitium 8.calend Iul.in ſimili caſu dixerim, & Canis ortum poſt dies à ſolſtitio 23. ſed interlunio accidente:quoniam vapore conſtat culpa, aciníque præco-

quuntur in callum. rurſus plenilunium nocet ad quartũ nonas Iulias, cum Ægypto canicula exoritur, vel certè 16. calen. Auguſt. cum Italiæ item 4. calend. Auguſt. cum Aquila occidit. vſque in 10. calend. eiuſdem. Extra has cauſas ſunt Vinalia altera, quæ aguntur 13. calend. Septemb. Et Varro, à Fidicula incipiente occidere manè, determinat quod vult initium Autumni eſſe: & hunc diem feſtum tempeſtatibus leniendis eſſe inſtitutum, nunc Fidiculam occidere ſexto idus Auguſt. obſeruatur. intra hæc conſtat cœleſtis ſterilitas: neque negauerim poſſe eam permutari arbitrio legentium locorum, æſtimantium naturas. ſed à nobis rationem eſſe demonſtratam ſatis eſt, reliqua obſeruatione cuiuſq; conſtabunt. Alterutrum quidem fore in cauſa, hoc eſt, plenilunium aut interlunium, non erit dubium, & in hoc mirabilem admirari benignitatem naturæ ſuccurrit iam primum hanc iniuriam omnibus annis accidere non poſſe propter ſtatos ſiderem curſus, nec niſi paucis noctibus anni, idque quando [illegible]turum facile noſci, ac ne per omnes menſes timere[illegible] [illegible]arum quoque lege diuiſum æſtate interlunia, præterquam biduo ſecura eſt hyeme plenilunia, nec niſi æſtiuis breuiſſimiſque noctibus metui, non diebus item valeret. Præterea iam facile intelligi, vt formica minimum animal interlunio quieſcat, plenilunio & etiam noctibus operetur. Auem param oriente Syrio ipſo die non apparere, & donec occidat: ediuerſo virionem prodire ipſo ſolſtitij die. Neutrum verò lunæ ſtatum noxium eſſe, nec noctibus quidem niſi ſerenis, & omnia aurea quieſcente, quoniam neque in nube neq; in flatu cadunt rores, ſic quoque non ſine remedio ſarmẽta aut palearum aceruos, & euulſas herbas fruticéſque per vineas campóſq; cum timebis, incendito, fumus medebitur, hic è paleis & contra nebulas auxiliatur, vbi nebulæ nocent. Quidam tres cancros viuos cremari iubẽt in arbuſtis, vt carbunculi non noceant. Alij ſiluri carnẽ leuiter vri, vt à vento per totã vineam fumus diſpergatur, Varro autor eſt, quòd ſi Fidiculæ occaſu, quod eſt initium autumni, vña pica conſecretur inter vites, minus nocere tẽpeſtates. Archibius ad Antiochũ Syriæ regem ſcripſit, ſi fictili nouo obſerata obruatur rubeta rana in

media ſegete,non eſſe noxias tempeſtates.

VErtices extremos,circa quos cœli ſphæra voluitur, polos nuncupauere,è quibus vnus eſt ſeptentrionalis,qui boreus appellatur,qui nunquam occidit:alter auſtralis,qui terræ obiectus à nobis nunquam videtur: & auſtronotus dicitur, quem quidam dicunt eſſe Therin Oceani vxorem, nutricem Iunonis, qui ſingitur in Oceano prohiberi occidere. Hæc habet ſtellas in capite ſeptem non claras, in vtraque aure duas, in harmo vnam,in pectore claram vnam, in pede priori vnam, in fœmore poſteriori duas, in pede extremo poſteriori duas,in cauda tres.Sunt omnes 20.

FINIS.

# ΑΡΑΤΟΥ ΣΟΛΕΩΣ
## ΦΑΙΝΟΜΕΝΑ.

Ἐκ διὸς ἀρχώμεσθα τὸν οὐδέποτ' ἄνδρες ἐῶμεν
ἄῤῥητον. μεσταὶ δὲ διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαί.
πᾶσαι δ' ἀνθρώπων ἀγοραί. μεστὴ δὲ θάλασσα,
καὶ λιμένες. πάντη δὲ διὸς κεχρήμεθα πάντες.
τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. ὁ δ' ἤπιος ἀνθρώποισι
δεξιὰ σημαίνει. λαοὺς δ' ἐπὶ ἔργον ἐγείρει,
μιμνήσκων βιότοιο. λέγει δ' ὅτε βῶλος ἀρίστη
βουσί τε καὶ μακέλῃσι. λέγει δ' ὅτε δεξιαὶ ὧραι,
καὶ φυτὰ γυρῶσαι, καὶ σπέρματα πάντα βαλέσθαι.
αὐτὸς γὰρ τάγε σήματ' ἐν οὐρανῷ ἐστήριξεν,
ἄστρα διακρίνας. ἐσκέψατο δ' εἰς ἐνιαυτὸν
ἀστέρας, οἵκε μάλιστα *τετυγμένα σημαίνοιεν
ἀνδράσιν ὡράων, ὄφρ' ἔμπεδα πάντα φύωνται.
τῷ μιν ἀεὶ πρῶτόν τε καὶ ὕστατον ἱλάσκονται.
χαῖρε πάτερ, μέγα θαῦμα, μέγ' ἀνθρώποισιν ὄνειαρ,
αὐτὸς καὶ προτέρη γενεή. χαίροιτε δὲ μοῦσαι,
μειλίχιαι μάλα πᾶσαι, ἐμοί γε μὲν ἀστέρας εἰπεῖν,
εἰ θέμις, εὐχομένῳ, τεκμήρατε πᾶσαν ἀοιδήν.
οἱ μὲν ὁμῶς πολέες τε, καὶ ἄλλυδις ἄλλοι ἐόντες,
οὐρανῷ ἕλκονται πάντ' ἤματα συνεχὲς αἰεί.
αὐτὰρ ὅγ' οὐδ' ὀλίγον μετανίσεται, ἀλλὰ μάλ' αὔτως
ἄξων αἰὲν ἄρηρεν. ἔχει δ' ἀτάλαντον ἁπάντη
μεσσηγὺς γαῖαν. περὶ δ' οὐρανὸς αὐτὸν ἀγινεῖ.
καί μιν πειραίνουσι δύω πόλοι ἀμφοτέρωθεν.
ἀλλ' ὁ μὲν οὐκ ἐπιοπτὸς, ὁ δ' ἀντίος ἐκ βορέαο,
ὑψόθεν ὠκεανοῖο. δύω δέ μιν ἀμφὶς ἔχουσαι
ἄρκτοι, ἅμα τροχόωσι. τὸ δὴ καλέονται ἅμαξαι.
αἱ δή τοι κεφαλὰς μὲν ἐπ' ἰξύας αἰὲν ἔχουσιν
ἀλλήλων. αἰεὶ δὲ κατωμάδιαι φορέονται,
ἔμπαλιν εἰς ὤμους τετραμμέναι. εἰ ἐτεὸν δή,

*τετυγμένα) facta, facienda: alij, euentus. Quæ quouis tempore facienda ſunt, prædicerent, &c.*

## APPARENTIA.

*A Ioue principium: quem nunquam mittimus ipſi*
*Inſatum. plena verò Iouis omnia quidem cõpita,*
*Omnes verò hominum cœtus: plenum verò mare,*
*Et portus. vbique autem Ioue indigemus omnes. (bus*
*Huius etenim genus ſumus. Hic verò beneuolus homini-*
*Commoda ſignificat: populos autem ad opus excitat,*
*Commonens victus: prædicat item, quando gleba optima*
*Bobúſque & ligonibus: prædicat inquam, quando ſecun-*
*da tempora,*
*Et plantas ſcrobibus infodere, & ſemina quælibet iacere.*
*Ipſe enim ſigna in cœlo firmauit,*
*Sidera diſpertitus: prouidit verò ad annum*
*Stellas, quæ potiſſimum facunda indicarent*
*Hominibus temporum, quò ſtata cuncta naſcerentur.*
*Eóque ipſum ſemper primúmque & vltimum placant.*
*Salue pater, magna admiratio, magna hominib. vtilitas:*
*Ipſe & prior generatio. Saluete verò Muſæ*
*Suauiſſimæ omnes, mihi quidem ſtellas dicendi,*
*Si fas oranti, promite omnem cantum.*
*Hæ quidem ſimul multæque, & alibi aliæ exiſtentes*
*Cœlo voluuntur omnibus diebus continuò per æuum.*
*At ne tātillū quidē circūuertitur, ſed planè immobiliter*
*Axis ſemper firmatus eſt: habetq́ æquilancinam omnino*
*In medio terram: circa autem cœlum hunc ſe verſat.*
*Etiam ipſum terminant duo poli vtrinque: (Borea*
*Verùm ille quidē non cõſpicuus, hic verò oppoſitus eſt è*
*Ex alto ſupra Oceanū. Duæ autem ipſum circumtenētes*
*Vrſæ, vnà currunt: eóque vocantur plauſtra.*
*Quæ ſcilicet capita quidem ad lumbos ſemper habent*
*Inuerſim, ſemper verò reſupinæ circumferuntur,*
*Viciſſim in humeros verſæ (ſi credere dignum)*

ὅ μιν τότε κουρίζοντα) ὅτι μιν.

κρήτηθεν κεῖναι δὲ διὸς μεγάλου ἰότητι
οὐρανὸν εἰσανέβησαν,* ὅ μιν τότε κουρίζοντα
δίκτῳ ἐν εὐώδει ὄρεος σχεδὸν ἰδαίοιο
ἄντρῳ ἐγκατέθεντο, καὶ ἔτρεφον εἰς ἐνιαυτὸν,
δικταῖοι κούρητες, ὅτε κρόνον ἐψεύδοντο.
οἱ τὴν μὲν κυνόσουραν ἐπίκλησιν καλέουσι,
τὴν δ' ἑτέρην, ἑλίκην. ἑλίκῃ γε μὲν ἄνδρες ἀχαιοὶ
εἰν ἁλὶ τεκμαίρονται, ἵνα χρὴ νῆας ἀγινεῖν.
τῇ δ' ἄρα φοίνικες πίσυνοι περόωσι θάλασσαν.
ἀλλ' ἡ μὲν καθαρὴ, καὶ ἐπιφράσσασθαι ἑτοίμη,
πολλὴ φαινομένη ἑλίκη πρώτης ἀπὸ νυκτὸς,
ἡ δ' ἑτέρη ὀλίγη μὲν, ἀτὰρ ναύτῃσιν ἀρείων.
μειοτέρῃ γὰρ πᾶσα περιστρέφεται στροφάλιγγι,
τῇ καὶ σιδόνιοι ἰθύντατα ναυτίλλονται.
τὰς δὲ δι' ἀμφοτέρας, οἵη ποταμοῖο ἀπορρὼξ
εἰλεῖται μέγα θαῦμα δράκων περί τ' ἀμφί τ' ἐαγὼς
μυρίος, αἱ δ' ἄρα οἱ σπείρης ἑκάτερθε φύονται
ἄρκτοι, κυανέου πεφυλαγμέναι ὠκεανοῖο.
αὐτὰρ ὅγ' ἄλλην μὲν νεάτῃ ἀποτείνεται οὐρῇ.
ἄλλην δὲ σπείρῃ περιτέμνεται. ἡ μὲν οἱ ἄκρη
οὐρὴ πὰρ κεφαλὴν ἑλίκης ἀναπαύεται ἄρκτου.
σπείρῃ δ' ἐν κυνόσουρα κάρη ἔχει. ἡ δὲ κατ' αὐτὴν
εἰλεῖται κεφαλὴν, καὶ οἱ ποδὸς ἔρχεται ἄχρις.
ἐκ δ' αὖτις παλίνορσος ἀνατρέχει. οὐ μὲν ἐκείνῃ
οἰόθεν, οὐδ' οἶος κεφαλῇ ἐπιλάμπεται ἀστήρ.
ἀλλὰ δύο κροτάφοις, δύο δ' ὄμμασιν, εἷς δ' ὑπένερθεν
ἐσχατιὴν ἐπέχει γένυος δεινοῖο πελώρου.
λοξὸν δ' ἔστι κάρη. νεύοντι δὲ πάμπαν ἔοικεν
ἄκρην εἰς ἑλίκης οὐρήν. μάλα δ' ἐστὶ κατ' ἰθὺ
καὶ στόμα καὶ κροτάφοιο τὰ δεξιὰ νειάτῳ οὐρῇ.
κείνη που κεφαλὴ τῇ νήχεται, ᾗ χί περ ἄκραι

*E Creta verò illæ Iouis magni beneficio*
*Cœlum aſcenderunt: quia ipſum olim infantientem*
*Dicto in odoro montem prope idæum,*
*Antro impoſuerunt, atque nutrierunt per annum,*
*Dictæi Curetes, quando Saturnum fallebant.*
*Qui hanc quidem Cynoſuram cognomine dicunt,*
*Alteram verò Helicen. Helicon quidem viri Achiui*
*In mari ſignant, quò oporteat naues dirigere.*
*Altera verò Phœnices fiſi, perſulcant mare.*
*At Helice quidem clara eſt, ac obſeruatu parata,*
*Multa lucens prima à nocte.*
*Altera verò obſcura quidem, ſed nautis aptior.*
*Minori enim tota circumuerſatur orbe.*
*Hic quoque Sidonij rectiſſimè nauigant.*
*Has verò per ambas, qualis fluuij decurſus*
*Volutatur (horrendũ) ingens draco circũcirca diſtractus,*
*Immenſus. Verùm ei ex vtraque parte ſpiræ hærent*
*Vrſæ, cæruleo ſeruatæ Oceano.*
*Sed hic alteram quidem extrema emetitur cauda,*
*Alteram verò ſpira circumſcribit: ei quidem ſummæ*
*Cauda ad caput Helices quieſcit Vrſæ:*
*In ſpira verò Cynoſura caput habet: hæc autẽ circũ ipsũ*
*Gyratur caput: eique ad pedem inuenit vſque*
*Rurſus verò retrofugus recurrit, non quidem illa*
*Ex ſola parte: neque ſola in capite ſplendet ſtella,*
*Sed duæ in temporibus, duæ verò in oculis: vnus autem inferius*
*Extremitatem occupat genæ horrendi monſtri.*
*Incuruum autem eſt caput, nutanti verò prorſus aſſimilatum eſt*
*Extremã in Helices caudã: omnino verò ſunt ex directo*
*Et os & temporis dextera extremæ caudæ:*
*Illud fermè caput hac natat, vbi quidem extremi*

*Illud fermè caput hac*

μίσγονται δύσιές τε καὶ ἀντολίαι ἀλλήλῃσι.
τῆς δ' αὐτοῦ μογέοντι κυλίνδεται ἀνδρὶ ἐοικὸς
εἴδωλον. τὸ μὲν οὔτις ἐπίσταται ἀμφαδὸν εἰπεῖν,
οὐδ' ᾧτινι κρέμαται κεῖνος πόνῳ. ἀλλά μιν αὔτως
*ἐν γόνασι καλέουσι, τὸ δ' αὖτ' ἐν γούνασι κάμνον
ὀκλάζοντι ἔοικεν. ἐπ' ἀμφοτέρων δὲ οἱ ὤμων
χεῖρες ἀείρονται. τάνυται γε μὲν ἄλλυδις ἄλλη
ὅσον ἐς ὀργυιήν. μέσω δ' ἐφύπερθε καρήνῳ
δεξιτέρου ποδὸς ἄκρον ἔχει σκολιοῖο δράκοντος.
αὐτοῦ κἀκεῖνος στέφανος, τὸν ἀγαυὸν ἔθηκε
σῆμ' ἔμεναι διόνυσος ἀποιχομένης ἀριάδνης,
νώτῳ ὑποστρέφεται κεκμηκότος εἰδώλοιο.
νώτῳ μὲν στέφανος πελάει. κεφαλῇ γε μὲν ἄκρῃ
σκέπτεο πὰρ κεφαλὴν ὀφιούχου. ἐκ δ' ἄρ ἐκείνης
αὐτὸν ἐπιφράσσαιο φαεινόμενον ὀφιοῦχον.
τοῖοι οἱ κεφαλῇ ὑποκείμενοι ἀγλαοὶ ὦμοι
εἴδονται. κεῖνοί γε καὶ ἂν *διχόμηνι σελήνῃ
εἰσωποὶ τελέθοιεν. ἀτὰρ χέρες οὐ μάλα ἶσαι.
λεπτὴ γὰρ τῇ καὶ τῇ ἐπιδέδρομεν αἴγλη.
ἀλλ' ἔμπης κἀκεῖναι ἐπόψιαι, οὐ γὰρ ἐλαφραί.
ἀμφότεραι κ' ὄφιος πεπονέαται, ὅς ῥά τε μέσσον
δινεύει ὀφιοῦχον. ὁ δ' ἐμμενὲς εὖ ἐπαρηρὼς
ποσσὶν ἐπιθλίβει μέγα θηρίον ἀμφοτέροισι
σκορπίον, ὀφθαλμῷ τε καὶ ἐν θώρηκι βεβηκὼς
ὀρθός. ἀτάρ οἱ ὄφις γε δύο στρέφεται μετὰ χερσὶν,
δεξιτερῇ ὀλίγος, σκαιῇ γε μὲν ὑψόθι πολλός.
καὶ δή οἱ στεφάνῳ παρακέκλιται ἄκρα γένεια.
νειόθι δὲ σπείρης μεγάλας ἐπιμαίεο χηλάς.
ἀλλ' αἱ μὲν φαέων ἐπιδευέες, οὐδὲν ἀγαυαί,
ἐξόπιθεν δ' ἑλίκης φέρεται ἐλάοντι ἐοικὼς
ἀρκτοφύλαξ. τὸν δ' ἄνδρες ἐπικλείουσι βοώτην

* ἐνγόνασι) Ingenubus. Hoc ignotū ſignum aliis nominibus vocat, γνὺξ ἥμενον, ἀπὸ γνὺξ, ὅτι ὀκλάσασι πέτηλον, κεκμηκὸς εἴδωλον, ἀπευτὲς εἴδωλον.

* διχόμηνι) Medio menſe, id eſt, plena luna, cuius luce aſtra obſcurantur. veteres Græci menſem augmento decrementóque lunæ directè a putare ſolebant, ſicut in Heſiodi ſcholiis oſtēdimus: unde tēpore ſemeſtri ſemper neceſſe erat lunæ apparere orbem plenū.

*Miſcentur occaſúſque & ortus ſibi inuicem.*
*Hoc verò propè laboranti voluitur viro ſimile*
*Idolum, quod quidem nemo ſcit manifeſtò dicere:*
*Neque cui incumbat ille labori. ſed ipſum vulgo*
*Engonaſi vocant, eo quòd in genubus laborans*
*Geniculanti ſimile eſt, ſuper ambobus verò ei humeris*
*Manus eleuantur: diſtenditur certè hinc inde*
*Quantum ad manuum paſſum: medio verò ſuper capite*
*Dextri pedis imum habet, tortuoſi draconis.*
*Ibidem & illa corona, quam lucidum poſuit*
*Signum eſſe Bacchus morientis Ariadnæ,*
*Humeroſi euoluitur fatigati idoli.*
*Humero quidem Corona vicina eſt, caput verò ſummum*
*Obſerua iuxta caput Serpentarij: ex illo nanque*
*Ipſum deprehendas licet ſplendidum Serpentarium,*
*Quales ſibi capiti ſubiacentes clari humeri*
*Apparent. ij quidem etiam plena luna*
*Conſpicuæ eſſent: ſed manus non admodum æquales.*
*Tenuis nanque hinc inde exit ſplendor:*
*Attamen etiam illæ contemplabiles: non enim modicæ ſunt:*
*Ambæ autem ſerpente fatigantur: qui quidem medium*
*Inuoluit Serpentariũ. hic verò conſtãter aptéque innixus*
*Pedibus conterit magnam feram ambobus*
*Scorpium, oculóque & in pectore calcans*
*Rectus: ſed ei ſerpens ambas voluitur per manus,*
*Dexteram modicus, ſiniſtram verò supernè multus.*
*Atque ei ſanè Coronam attingunt ſupremæ genæ.*
*Subter ſpiram autem magnas inquire Chelas:*
*Sed hæ quidem luminum indigæ, nequaquam ſplendidæ.*
*At poſt Helicen circumfertur auriganti ſimilis*
*Arctophylax, quem quidem homines cognominãt Booten,*

*notat.) Caput Draconis pertingit vſque ad maximum circulũ ſemper apparẽtium, habitantibus clima Macedonia ſeu Helleſponti. Sub hoc circulo miſcentur extremè ortus & occaſus. Nam quæ proximè ſunt intra hunc circulum, occidere: quæ extra ſemper apparere incipiũt. Veteres aſtronomi, ſicut Proclus, hunc circulum Arcticum vocauere, atque è regione Auſtri maximum ſemper occultorum Antarcticum. At neoterici iã iſtos circulos per polũ zodiaci circumpolum mundi deſcriptos intelligunt. Quo*

οὕνεχ᾽ ἁμαξαίης ἐπαφώμενος εἴδεται ἄρκτου.
καὶ μάλα πᾶς ἀείδηλος. ὑπὸ ζώνῃ δέ οἱ αὐτὸς
ἐξ ἄλλων ἀρκτοῦρος ἑλίσσεται ἀμφαδὸν ἀστήρ.
ἀμφοτέροισι δὲ ποσσὶν ὑποσκέψαιο βοώτου
παρθένον. ἥρ᾽ ἐν χερσὶ φέρει στάχυν αἰγλήεντα.
εἴτ᾽ οὖν ἀστραίου κείνη γένος, ὅν ῥά τέ φασιν
ἄστρων ἀρχαῖον πατέρ᾽ ἔμμεναι, εἴτε τευ ἄλλου,
εὔκηλος φορέοιτο, λόγος γε μὲν ἐντρέχει ἄλλος
ἀνθρώπους ὡς δῆθεν ἐπιχθονίη πάρος ἦεν.
ἤρχετο δ᾽ ἀνθρώπων κατεναντίη οὐδέ ποτ᾽ ἀνδρῶν,
οὐδέ ποτ᾽ ἀρχαίων ἠνήνατο φῦλα γυναικῶν.
ἀλλ᾽ ἀναμὶξ ἐκάθητο, καὶ ἀθανάτη περ ἐοῦσα.
καί ἑ δίκην καλέεσκον. ἀγειρομένη δὲ γέροντας,
ἠέ που εἰν ἀγορῇ, ἢ εὐρυχώρῳ ἐν ἀγυιῇ,
δημοτέρας * ἤδειδεν ἐπισπέρχουσα θέμιστας.

ἤδειδεν) Lego ἤδειξεν, pro ἔδειξεν. Nunquam enim memini me legiſſe ἤδειδεν.

οὔπω λευγαλέου τότε νείκεος ἠπίσταντο,
οὐδὲ διακρίσιος περιμέμφεος, οὐδὲ κυδοιμοῦ.
αὕτως δ᾽ ἔζωον. χαλεπὴ δ᾽ ἀπέκειτο θάλασσα,
καὶ βίον οὔπω νῆες ἀπόπροθεν ἠγίνεσκον,
ἀλλὰ βόες ἄροτρα. καὶ αὐτὴ πότνια λαῶν
μυρία πάντα παρεῖχε δίκη δώτειρα δικαίων.
τόφρ᾽ ἦν ὄφρ᾽ ἔτι γαῖα γένος χρύσειον ἔφερβεν.
ἀργυρέῳ δ᾽ ὀλίγη τε, καὶ οὐκέτι πάμπαν ἑτοίμη.
ὁμίλει, ποθέουσα παλαιῶν ἤθεα λαῶν.
ἀλλ᾽ ἔμπης ἔτι κεῖνο κατ᾽ ἀργύρεον γένος ἦεν.
ἤρχετο δ᾽ ἐξ ὀρέων ὑποδείελος ἠχηέντων
μουνάξ. οὐδέ τῳ ἐπεμίσγετο μειλιχίοισιν.
ἀλλ᾽ ὁπότ᾽ ἀνθρώπων μεγάλας πλήσαιτο κολώνας,
ἠπείλει δ᾽ ἤπειτα καθαπτομένη κακότητος.
οὐδ᾽ ἔτ᾽ εἰσωπὸς ἐλεύσεσθαι καλέουσιν.
οἵην χρύσειοι πατέρες γενεὴν ἐλίποντο

Eo quòd plauſtrum contrectare videtur Vrſæ.
Atque adeò totus perſpicuus eſt. ſub zona verò ſibi ipſe
Præ aliis Arcturus obuoluitur lucida ſtella.
Verùm ambobus ſub pedibus obſeruato bubulci
Virginem, quæ quidem in manibus gerit ſpicā ſplendidā.
Siue igitur Aſtræi illa proles, quem vtique ferunt
Aſtrorū primæuorum patrem eſſe, ſiue cuiuſpiam alius,
Secura verſetur, fabula certè incidit alia
Hominibus, quòd ferè in terra conuerſata quondam ſit.
Veniebat autē hominū in cōſpectū: nec vnquā virorum,
Nec vnquam veterum recuſabat cœtus mulierum:
Sed permixtum conſidebat, quamuis immortalis eſſet.
Atq; ipſam Iuſtitiam vocabant. Congregans autem ſenes,
Aut alicubi in foro, aut propatulo in compito,
Ciuiles monſtrabat ſtudioſa leges.
Nondum perniciofam tunc litem norant,
Nec diſceptationem contentioſam, neque ſeditionem:
Sed ſimpliciter viuebant. periculoſum autem procul aberat mare,
Atque victum nondum naues è longinquo ducebant,
Sed boues, aratra, etiam ipſa domina populorum
Copioſa omnia ſuppeditabat iuſtitia datrix iuſtorum.
Tā diu aderat, quàm diu itē terra genus aureū fouebat.
Τῶν δ' ἐν τῇ σφαίρᾳ κύκλων, οἱ μὲν εἰσι παράλληλοι, οἱ δὲ λοξοὶ οἱ δὲ διὰ τῶν πόλων. παράλληλοι μὲν, οἱ τοὺς αὐτοὺς πόλους ἔχοντες τῷ κόσμῳ. εἰσὶ δὲ παράλληλοι κύκλοι πέντε. ἀρκτικὸς, θερινὸς τροπικὸς, ἰσημερινὸς, χειμερινὸς τροπικὸς, ἀνταρκτικός. ἀρκτικὸς μὲν οὖν ἐστι κύκλος ὁ μέγιστος τῶν ἀεὶ θεωρουμένων κύκλων, ὁ ἐφαπτόμενος τοῦ ὁρίζοντος καθ' ἓν σημεῖον, καὶ ὅλος ὑπὲρ γῆν ἀπολαμβανόμενος. ἐν ᾧ τὰ κείμενα τῶν ἄστρων, οὔτε δύσιν, οὔτ' ἀνατολὴν ποιεῖται, ἀλλὰ δι' ὅλης τῆς νυκτὸς περὶ τὸν πόλον στρεφόμενα θεωρεῖται. οὗτος δὲ ὁ κύκλος ἐν τῇ καθ' ἡμᾶς οἰκουμένῃ ὑπὸ τοῦ ἐμπροσθίου ποδὸς τῆς μεγάλης ἄρκτου περιγράφεται. Θερινὸς δὲ τροπικὸς κύκλος ἐστὶν ὁ βορειότατος τῶν ὑπὸ τοῦ ἡλίου γραφομένων κύκλων. ἐφ' οὗ γινόμενος ὁ ἥλιος τὴν θερινὴν τροπὴν

# PROCLI SPHÆRA, THOMA LINACRO BRITANNO INTERPRETE.

## De Axi & Polis.

*Axis mundi vocatur dimetiens ipſius, circa quam voluitur. Axis extrema, poli mundi ſeu vertices ſunt nominati: horum alter ſeptentrionalis, alter auſtrinus dicitur. Septentrionalis, qui ſemper in noſtra habitatione apparet: Auſtrinus contrà, qui ſemper, vt ad noſtrum horizonta conditur. Sunt tamen in terra loca quædam, in quibus polus, qui ſemper nobis conſpicuus eſt, iis qui ibi degunt, haudquaquam cernitur. Qui verò nobis perpetuò occultus eſt, iiſdem conſpicuus euadit. Rurſus quoque locum quempiam in terris inuenies, vbi ambo poli æquabilem in horizonte ſitum habent.*

## De circulis ſphæræ.

*Circulorum ſphæræ, alij paralleli ſiue æquidiſtantes ſunt, alij obliqui per polos ducti. Æquidiſtantes ſunt, quibus iidem cum mundo poli ſunt. Sunt ij numero quinque: Septẽtrionalis, Solſtitialis, Æquator, Brumalis, Antarcticus. Septentrionalis igitur circulus is eſt, qui omniũ quos perpetuò cernimus, planè maximus eſt, quique horizonta ſolo puncto contingit, totus ſupra terram interceptus. In hoc quæcunque clauduntur aſtra, nec ortum nec occaſum norunt, ſed circa polum verti tota nocte cernuntur. Porrò is circulus in noſtro tractu, à priore maioris vrſæ pede deſcribitur. Solſtitialis autem circulus is eſt, qui omnium, qui à ſole deſcribuntur, maximè ſeptentrionalis habetur. In quem cùm ſe ſol receperit, æſtiuam reciprocationem peragit, longiſſimúſque totius anni dies, breuiſſimáque nox erit. Poſt hanc autem reciprocationem ne-*

ποιεῖται. ἐν ᾗ ἡ μεγίστη μὲν πασῶν τῶν ἐν τῷ ἐνιαυτῷ ἡμέρα, ἐλαχίστη δὲ ἡ νὺξ γίνεται. μετὰ μὲν τὴν θερινὴν τροπὴν, οὐκέτι πρὸς τὰς ἄρκτους παροδεύων ὁ ἥλιος θεωρεῖται, ἀλλ' ἐπὶ θάτερα μέρη τρέπεται τοῦ κόσμου. διὸ κέκληται τροπικός. Ἰσημερινὸς δὲ κύκλος ἐστὶν ὁ μέγιστος τῶν πέντε παραλλήλων κύκλων, ὁ διχοτομούμενος ὑπὸ τοῦ ὁρίζοντος, ὥστε ἡμικύκλιον μὲν ὑπὲρ γῆν ἀπολαμβάνεσθαι, ἡμικύκλιον δὲ ὑπὸ τὸν ὁρίζοντα. ἐφ' οὗ γενόμενος ὁ ἥλιος τὰς ἰσημερίας ποιεῖται, τήν τε ἐαρινὴν καὶ τὴν φθινοπωρινήν. χειμερινὸς δὲ τροπικὸς κύκλος ἐστὶν ὁ νοτιώτατος τῶν ὑπὸ τοῦ ἡλίου γραφομένων κύκλων, κατὰ τὴν ὑπὸ τοῦ κόσμου γινομένην περιστροφὴν, ἐφ' οὗ γενόμενος ὁ ἥλιος τὴν χειμερινὴν τροπὴν ποιεῖται. ἐν ᾗ ἡ μεγίστη μὲν πασῶν τῶν ἐν τῷ ἐνιαυτῷ νὺξ ἐπιτελεῖται, ἐλαχίστη δὲ ἡμέρα. μετὰ μὲν τὴν χειμερινὴν τροπὴν, οὐκέτι πρὸς μεσημβρίαν παροδεύων ὁ ἥλιος θεωρεῖται, ἀλλ' ἐπὶ θάτερα μέρη τρέπεται τοῦ κόσμου, διὸ κέκληται καὶ οὗτος τροπικός. ἀνταρκτικὸς δέ ἐστι κύκλος ἴσος καὶ παράλληλος τῷ ἀρκτικῷ, καὶ ἐφαπτόμενος τοῦ ὁρίζοντος καθ' ἓν σημεῖον, καὶ ὅλος ὑπὸ γῆν ἀπολαμβανόμενος, ἐν ᾧ τὰ κείμενα τῶν ἄστρων διὰ παντὸς ἡμῖν ἐστὶν ἀόρατα. Τῶν δὲ προειρημένων ε' κύκλων, μέγιστος μέν ἐστιν ὁ ἰσημερινὸς, ἑξῆς δὲ οἱ τροπικοί. ἐλάχιστοι δὲ, ὡς πρὸς τὴν ἡμετέραν οἴκησιν, οἱ ἀρκτικοί. τούτους δὲ τοὺς κύκλους δεῖ νοεῖν ἀπλατεῖς, λόγῳ θεωρητοὺς, ἐκ τῆς τῶν ἄστρων θέσεως καὶ τῆς αὐτῆς διόπτρας θεωρίας, καὶ τῆς ἡμετέρας ἐπινοίας διατυπουμένους, μόνος γὰρ ἐν τῷ κόσμῳ κύκλος ἐστὶν αἰσθητὸς ὁ τοῦ γάλακτος. οἱ δὲ λοιποὶ λόγου εἰσὶ θεωρητοί.

### Διὰ τί πέντε μόνον παράλληλοι ἐν τῇ σφαίρᾳ κύκλοι.

Πέντε δὲ παράλληλοι μόνοι καταγράφονται κύκλοι

*quaquam vltra ſeptentriones verſus ſolem progredi, quin potius ad diuerſa mundi regredi cernas. vnde & tropico græcè nomen. Æquator circulus is eſt, qui maximus æquidiſtantium circulorum ſtatuitur: ita nimirũ ab horizonte diſſectus, vt alter eius ſemicirculus ſupra terram, alter ſub terra condatur. In hoc ſol duplex æquinoctium, vernum autumnaléque facit. Brumalis circulus is eſt, qui omnium circulorum, qui à ſole mundi circumactu deſcribuntur, maximè ad auſtrum pertinet. In quo ſol brumalem reciprocationem facit: maximáque totius anni nox, minimúſque dies efficitur. Poſt hanc metam nequaquam vltrà progreditur ſol. ſed ad alteras mũdi partes reuertitur: vnde tropicus hic quoque, quaſi verſilis appellatur. Antarcticus verò circulus æqualis & æquidiſtans ſeptentrionali circulo eſt, & horizonta vno puncto contingens, totus præterea ſub terris merſus: in quo ſita aſtra ſemper nobis occulta manent. Maximus autem ex quinque memoratis circulis eſt æquator, deinde tropici. Minimi verò (quod ad noſtram habitationem dixerim) arctici. Porrò hos circulos citra omnem latitudinem intelligi conuenit ratione cognoſcibiles ex aſtrorum ſitu, & eodem dioptræ obtutu & noſtro intellectu deliniatos. Senſu enim vnus lacteus diſcerni in cælo poteſt. Reliqui omnes ratione.*

## Cur quinque duntaxat æquidiſtantes in ſphæra.

*Quinque verò æquidiſtantes circuli deſcribi in ſphæra ſolent: quod tamen non eo valet, quaſi ij ſoli in mundo æquidiſtantes ſint: quippe cùm ſol quotidie æquidiſtantem æquatori circulum (quod ſenſu animaduerti licet) mundi rotatu peragat. Quo fit, vt bis centum octuaginta duos æquidiſtantes circulos intra tropicos deſcribat: to-*

εἰς τὴν σφαῖραν, οὐ διὰ τὸ μόνον τούτους ἐν τῷ κόσμῳ παραλλήλους εἶναι, ὁ γὰρ ἥλιος καθ' ἑκάστην ἡμέραν ὡς πρὸς αἴσθησιν κύκλον παράλληλον περιστρέφεται τοῦ ἰσημερινοῦ κατὰ τὴν τοῦ κόσμου γινομένην περιστροφὴν, ὥς τε μεταξὺ τῶν τροπικῶν κύκλων ρπ΄ δὶς κύκλους παραλλήλους γράφεσθαι ὑπὸ τοῦ ἡλίου. τοσαῦται γὰρ ἡμέραι εἰσὶν αἱ μεταξὺ τῶν τροπῶν. φέρονται δὲ καὶ πάντες οἱ ἀστέρες ἐπὶ παραλλήλων κύκλων καθ' ἑκάστην ἡμέραν. οὔτοι συγκαταγράφονται δὲ οὕτως πάντες εἰς τὴν σφαῖραν, διὰ τὸ πρὸς ἄλλας πραγματείας τῶν ἐν τῇ ἀστρολογίᾳ πολλὰ συμβάλλεσθαι. οὐδὲ γὰρ κατασκευασθῆναι δυνατὸν καλῶς τὴν σφαῖραν ἄνευ πάντων τῶν παραλλήλων κύκλων, οὐδὲ τὰ μεγέθη καὶ τῶν νυκτῶν τῶν ἡμερῶν τε ἀκριβῶς εὑρεθῆναι ἄνευ τῶν προειρημένων κύκλων. πρὸς μέντοι τὴν πρώτην εἰσαγωγὴν τῆς ἀστρολογίας οὐδὲν ἀποτέλεσμα φερόμενοι, οὐ καταγράφονται ἐν τῇ σφαίρᾳ. οἱ δὲ πέντε παράλληλοι κύκλοι, διὰ τὸ ἀποτελέσματά τινα προσφέρεσθαι διωρισμένα εἰς τὴν πρώτην εἰσαγωγὴν τῆς ἀστρολογίας, κατεγράφησαν εἰς τὴν σφαῖραν. ὁ μὲν γὰρ ἀρκτικὸς κύκλος ἀφορίζει τὰ ἀεὶ θεωρούμενα τῶν ἄστρων. ὁ δὲ θερινὸς τροπικὸς κύκλος τὴν τροπὴν περιέχει, καὶ πέρας ἐστὶ τῆς τοῦ ἡλίου πρὸς ἄρκτον μεταβάσεως. ὁ δὲ ἰσημερινὸς κύκλος τὰς ἰσημερίας περιέχει. ὁ δὲ χειμερινὸς τροπικὸς κύκλος τέρμα ἐστὶ τῆς πρὸς μεσημβρίαν προόδου τοῦ ἡλίου. καὶ τὴν χειμερινὴν τροπὴν περιέχει. ὁ δὲ ἀνταρκτικὸς κύκλος τὰ μὴ θεωρούμενα τῶν ἄστρων ἀφορίζει. ἔχοντες οὖν κεφάλαια ὡρισμένα, καὶ ἀποτελέσματα πρὸς τὴν εἰσαγωγὴν τῆς ἀστρολογίας, εὐλόγως κατεγράφησαν εἰς τὴν σφαῖραν.

## Περὶ ἐπιφανείας καὶ κρύψεως τῶν πέντε παραλλήλων κύκλων.

Τῶν δὲ προειρημένων πέντε παραλλήλων κύκλων,

*tidem enim dies intra reciprocationes numerantur. quin & ſtellæ ipſæ vniuerſæ in æquidiſtantibus circulis quotidie feruntur. Non tamen hi omnes in ſphæram adhibentur. Qui tametſi multis aliis rebus in aſtrologia conducant (ſiquidem fieri nequit, vt vel aſtra probè in ſphæra locentur ſine omnibus æquidiſtantibus circulis, vel examuſsim dierum noctiúmque magnitudines ſine iiſdem inueniantur) tamen quod ad prima aſtrologiæ rudimenta non adeò vtiles exiſtimati ſunt, parum viſum eſt eos in ſphæram adſcribi. Quinque verò æquidiſtantes circuli ob certa compendia, quæ aſtrologiæ tyronibus afferunt, optimo iure in ſphæram ſunt adhibiti. Septentrionalis enim aſtra, quæ nobis perpetuò cernuntur, definit. Solſtitialis tropicus, ſolis reciprocationem continet, finiſq; eiuſdem ad boream tranſitus. Æquator circulus æquinoctia complectitur: Brumalis tropicus ſolis ad auſtrum progreſsi meta eſt, & brumalem eius reciprocationem in ſe habet. Antarcticus circulus aſtra, quæ noſtrum conſpectum fugiunt, determinat. Itaque cùm iis qui primis aſtrologiæ rudimentis imbuendi ſunt, certa emolumenta ſuggerant, meritò in ſphæram coniectos quis dubitet?*

## De occultatione & emerſu æquidiſtantium.

*Verùm ex memoratis quinque æquidiſtantibus circulis, Arcticus ſanè ſupra terram totus exiſtit: Solſtitialis autem tropicus bipertitò ab horizonte ſcinditur, maiore eius parte ſupra terram conſpicua, minore ſubter occulta. Neque tamē in omni tractu, vrbéve ſimiliter circulus hic ab horizonte ſecatur, ſed pro climatū varietate, variam ſectionū exuperantiā ſortitur: iis quoq; qui propius ſeptentriones agunt, inæquabilius ab horizonte ſcinditur:*

ὁ μὲν ἀρκτικὸς κύκλος ὅλος ὑπὲρ γῆν ἀπολαμβάνεται· ὁ δὲ θερινὸς τροπικὸς κύκλος εἰς δύο μέρη ἄνισα τέμνεται ὑπὸ τοῦ ὁρίζοντος. καὶ τὸ μὲν μεῖζον τμῆμα ὑπὲρ γῆν ἀπολαμβάνεται, τὸ δὲ ἔλασσον ὑπὸ τὴν γῆν. οὐ κατὰ πᾶσαν δὲ χώραν καὶ πόλιν ὁμοίως ὁ θερινὸς τροπικὸς κύκλος τέμνεται ὑπὸ τοῦ ὁρίζοντος, ἀλλὰ παρὰ τὰς τῶν κλιμάτων παραλλαγάς, διάφορον τὴν τῶν κλιμάτων ὑπεροχὴν συμβαίνει γίνεσθαι. καὶ τοῖς μὲν πρὸς ἄρκτον μᾶλλον ἡμῶν οἰκοῦσιν εἰς ἀνισώτερα μέρη συμβαίνει τέμνεσθαι τὸν θερινὸν ὑπὸ τοῦ ὁρίζοντος. καὶ πέρας ἐστὶ χώρα τις, ἐν ᾗ ὅλος ὁ θερινὸς τροπικὸς κύκλος ὑπὲρ γῆν γίνεται. τοῖς δὲ πρὸς μεσημβρίαν μᾶλλον ἡμῶν οἰκοῦσιν, εἰς ἰσώτερα μέρη ὁ θερινὸς τροπικὸς κύκλος ὑπὸ τοῦ ὁρίζοντος τέμνεται. καὶ πέρας ἐστὶ χώρα τις πρὸς μεσημβρίαν ἡμῶν κειμένη, ἐν ᾗ διχοτομεῖται ὁ θερινὸς τροπικὸς κύκλος ὑπὸ τοῦ ὁρίζοντος. κατὰ δὲ τὴν ἡμετέραν οἴκησιν ὁ θερινὸς τροπικὸς ὑπὸ τοῦ ὁρίζοντος τέμνεται οὕτως, ὥστε τοῦ ὅλου κύκλου διαιρεμένου εἰς η μέρη, ὁ μὲν τμήματα ὑπὲρ γῆν ἀπολαμβάνεσθαι, γ΄ δὲ ὑπὸ γῆν. πρὸς δὲ τοῦτο τὸ κλίμα δοκεῖ καὶ ὁ Ἄρατος συντεταχέναι τὴν τῶν φαινομένων πραγματείαν. περὶ γὰρ τοῦ θερινοῦ τροπικοῦ κύκλου διαλεγόμενος φησὶν οὕτως· τοῦ μὲν ὅσον τε μάλιστα δι᾽ ὀκτὼ μετρηθέντος, πέντε μὲν ἔνδια στρέφεται καθ᾽ ὑπέρτατα γαίης, τὰ τρία δ᾽ ἐν περάτῃ. θέρεος δὲ οἱ ἐντερπαί εἰσιν. ἐκ δὲ ταύτης τῆς διαιρέσεως ἀκολουθεῖ τὴν μεγίστην ἡμέραν ὡρῶν ἰσημερινῶν γίνεσθαι ιε, τὴν δὲ νύκτα ὡρῶν ἰσημερινῶν θ΄. ἐν δὲ τῷ κατὰ Ῥόδον ὁρίζοντι, ὁ θερινὸς τροπικὸς κύκλος ὑπὸ τοῦ ὁρίζοντος τέμνεται οὕτως, ὥστε τοῦ ὅλου κύκλου διῃρημένου εἰς μέρη μη, τὰ μὲν κ΄ καὶ θ΄ τμήματα ὑπὲρ τὸν ὁρίζοντα ἀπολαμβάνεσθαι, τὰ δὲ ιθ΄ ὑπὸ γῆν. ἐκ δὲ τῆς διαιρέσεως ταύτης ἀκολουθεῖ τὴν μεγίστην ἡμέραν ἐν Ῥόδῳ γίνεσθαι ὡρῶν ἰ-

*nec finis, donec eò loci ventum ſit, vbi totus ſupra terram emineat. Qui verò ad auſtrum magis vergunt, iis profectò per æquabiliores partes ab horizonte diuiditur, donec ad plagam quandam ventum ſit: nobis certè auſtralem, in qua tropicus ab horizonte per æquas partes ſecatur. At in noſtra habitatione, ita ſolſtitialis ab horizonte ſcinditur, vt vniuerſo circulo per octo partes diſſecto, quinque ſupra terram appareant, tres ſub terra lateant. Sanè ad hoc clima direxiſſe ſtylum Aratus videtur, cùm Phænomena conſcriberet. In quibus cùm de ſolſtitiali tropico diſſerit, ita ait:*

Huius in octonis diſſecti partibus, alta
Terrarum inuiſunt quinque, tres ima frequentant.
Alterni & Phœbi reditus celebrantur eodem.

*Ex hac diuiſione ſequitur, maximum diem horarum æquinoctialium quindecim eſſe, noctem verò nouem. In Rhodio autem horizonte ita tropicus ab horizonte dirimitur, vt cùm circulus vniuerſus in octo & quadraginta partes ſecetur, vnde triginta ſectiones ſupra horizontem appareant, vnde viginti ſub terra lateant. Ex qua diuiſione fit, vt apud Rhodios longiſſimus dies horas æquinoctiales quatuordecim habeat, nox nouem, additis hinc inde ſemiſsibus vnius horæ ſingulis. Æquator verò circulus per vniuerſum terrarum orbem ita ab horizonte diuiditur, vt ſemicirculus eius ſupra terra extet, ſemicirculus ſub terra linquatur. Quo fit, vt in hoc circulo æquinoctia fiant. Brumalis autem tropicus ea ratione ab horizonte interſectus eſt, vt minor è ſectionibus ſupra terram habeatur, maior ſub terra. Inæquabilitas verò ſe-*

σημερινῶν ιδ΄ καὶ ἥμισυ, τὴν δὲ νύκτα ὡρῶν ἰσημερινῶν θ΄ καὶ ἥμισυ. ὁ δὲ ἰσημερινὸς κύκλος καθ᾽ ὅλην τὴν οἰκουμένην διχοτομεῖται ὑπὸ τοῦ ὁρίζοντος, ὥς τε ἡμικύκλιον μὲν ὑπὲρ γῆν ἀπολαμβάνεσθαι, ἡμικύκλιον δὲ ὑπὸ γῆν. διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν ἐπὶ τοῦ κύκλου τούτου αἱ ἰσημερίαι γίνονται. ὁ δὲ χειμερινὸς τροπικὸς κύκλος ὑπὸ τοῦ ὁρίζοντος τέμνεται οὕτως, ὥς τε τὸ μὲν ἔλασσον τμῆμα ὑπὲρ γῆν γίνεσθαι, τὸ δὲ μεῖζον ὑπὸ γῆν. ἡ δὲ ἀνισότης τῶν τμημάτων τὴν αὐτὴν παραλλαγὴν ἔχει ἐπὶ πάντων τῶν κλιμάτων. ἥτις ἐγίνετο καὶ ἐπὶ τοῦ θερινοῦ τροπικοῦ κύκλου. διὰ παντὸς γὰρ τὰ ἐναλλὰξ τμήματα τῶν τροπικῶν κύκλων ἴσα ἀλλήλοις ἐστί. διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν ἡ μεγίστη ἡμερινὴ, ἴση ἐστὶ τῇ μεγίστῃ νυκτερινῇ· καὶ ἡ ἐλαχίστη ἡμερινὴ, ἴση τῇ ἐλαχίστῃ νυκτερινῇ. ὁ δὲ ἀνταρκτικὸς κύκλος ὅλος ὑπὸ τὸν ὁρίζοντα κρύπτεται.

## Περὶ μεγέθους τῶν πέντε παραλλήλων κύκλων.

Τῶν δὲ προειρημένων πέντε παραλλήλων κύκλων, τινῶν μὲν τὰ μεγέθη ἐφ᾽ ὅλην τὴν οἰκουμένην διαμένει τὰ αὐτὰ, τινῶν δὲ τὰ αὐτὰ μεγέθη μεταπίπτει παρὰ τὰ κλίματα, καὶ οἷς μὲν μείζονες, οἷς δὲ ἐλάττονες οἱ κύκλοι γίνονται. οἱ μὲν γὰρ τροπικοὶ κύκλοι καὶ ὁ ἰσημερινὸς καθ᾽ ὅλην τὴν οἰκουμένην ἴσοι εἰσὶ τοῖς μεγέθεσιν. οἱ δὲ ἀρκτικοὶ μεταπίπτουσι κατὰ τὰ μεγέθη, καὶ οἷς μὲν μείζονες, οἷς δὲ ἐλάττονες γίνονται. τοῖς μὲν γὰρ πρὸς ἄρκτον οἰκοῦσι μείζονες οἱ ἀρκτικοὶ κύκλοι γίνονται. τοῦ γὰρ πόλου μετεωροτέρου φαινομένου, ἀνάγκη καὶ τὸν ἀρκτικὸν κύκλον τὸν ἐφαπτόμενον τοῦ ὁρίζοντος, μείζονα ἀεὶ μάλιστα γίνεσθαι. τοῖς δὲ ἔτι πρὸς ἄρκτον οἰκοῦσι γίνεται ποτὲ ὁ θερινὸς τροπικὸς, ὥς τε τοὺς δύο κύκλους ἐφαρμόσαι ἀλλήλοις τὸν θερινὸν τροπικὸν κύκλον καὶ

*ctionum eandem in omnibus climatibus varietatem habet, quam etiam in ſolſtitiali tropico diximus: ſemper enim reſpondentes ex aduerſo tropicorum ſectiones æquales inter ſe ſunt. Eóque fit, vt maximus dies maximæ nocti, & minimus dies minimæ nocti æqualis euadat. Antarcticus autem circulus totus ſub horizonte latet.*

## De magnitudine æquidiſtantium.

*Sed ex quinque iam memoratis circulis, quorundam magnitudines per vniuerſum terrarum orbem eædem ſibi conſtant, nonnullorum pro climatibus mutantur, aliiſque maiores, aliis minores circuli euadunt. Tropici enim & æquator pares per totū orbem magnitudines ſeruant: Arctici magnitudine euariant, cùm alibi maiores, alibi minores cernantur. Quippe iis qui ſeptentriones verſus degunt, maiores ſeptētrionales fiunt, cùm polo magis in altum ſublato arcticum circulum, qui horizonta cōtingit, neceſſe ſit aſsiduè maiorē fieri. His verò qui magis etiam ad ſeptentriones vergunt, interdum ſolſtitialis tropicus in arcticum planè abit: fitque vt duo circuli, ſeptentrionalis, tropicúſque coëant, pro vnóque habeantur. Adeò cùm magis etiam ad ſeptentriones acceditur, maiores ſolſtitiali tropico ſeptentrionales redduntur. Nec finis donec eò ventum ſit, vbi polus ſupra verticem conſpicitur, ſeptentrionalis in horizontis locum cedit, eique in mundi rotatu coniungitur, æquatoris planè magnitudine: fitque vt tres circuli, ſeptentrionalis, æquator, & horizon, eundem ſitum poſitúmque obtineant. Rurſus autem iis qui ad auſtrum habitant, poli humiliores fiunt, ſeptentrionales verò circuli minores. Finis autem decrementi eſt, locus ad auſtrum nobis ſitus ſub æquatore, in quo poli ſub horizonte habentur, ſeptentrionales autem circuli*

τὸν ἀρκτικὸν, καὶ μίαν ἀναλαβεῖν τάξιν. πρὸς δὲ τοὺς ἀρκτικωτέρους τόπους καὶ τοῦ θερινοῦ τροπικοῦ κύκλου μείζονες οἱ ἀρκτικοὶ κύκλοι γίνονται. πέρας δέ ἐστι χώρα τις πρὸς ἄρκτον κειμένη, ἐν ᾗ ὁ μὲν πόλος κατὰ κορυφὴν γίνεται. ὁ δὲ ἀρκτικὸς κύκλος τὴν τοῦ ὁρίζοντος ἐπέχει τάξιν, καὶ ἀφαρμόζει αὐτῷ μετὰ τὴν στροφὴν τοῦ κόσμου, καὶ τὸ αὐτὸ μέγεθος λαμβάνει τῷ ἰσημερινῷ, ὥς τε τοὺς τρεῖς κύκλους τὸν ἀρκτικὸν καὶ τὸν ἰσημερινὸν καὶ τὸν ὁρίζοντα, τὴν αὐτὴν τάξιν καὶ θέσιν λαμβάνειν. πάλιν δὲ τοῖς πρὸς μεσημβρίαν οἰκοῦσιν, οἱ μὲν πόλοι ταπεινότεροι γίνονται, οἱ δὲ ἀρκτικοὶ κύκλοι ἐλάσσονες. καὶ πέρας ἐστί τις χώρα πρὸς μεσημβρίαν ἡμῶν κειμένη, αὕτη δὲ ἐστὶν ἡ λεγομένη ὑπὸ τὸν ἰσημερινὸν, ἐν ᾗ οἱ μὲν πόλοι ὑπὸ τὸν ὁρίζοντα γίνονται. οἱ δὲ ἀρκτικοὶ κύκλοι καθ' ὅλου ἀναιροῦνται, ὥς τε ἀντὶ τῶν πέντε παραλλήλων κύκλων τρεῖς παραλλήλους γίνεσθαι, τούς τε τροπικοὺς καὶ τὸν ἰσημερινόν. διὰ γὰρ τὰ προειρημένα οὐχ ὑποληπτέον καθολικῶς γίνεσθαι τοὺς πέντε παραλλήλους, ἀλλ' ὡς πρὸς τὴν ἡμετέραν οἴκησιν τὸ πλῆθος αὐτῶν ἐκκεῖσθαι. εἰσὶ γάρ τινες ὁρίζοντες ἐν οἷς τρεῖς μόνοι παράλληλοι γίνονται κύκλοι. εἰσὶ δὲ οἰκήσεις ἐπὶ τῆς γῆς, ὧν πρώτη μὲν οἴκησις, παρ' οἷς ὁ θερινὸς τροπικὸς κύκλος ἐφάπτεται τοῦ ὁρίζοντος, καὶ τὴν τοῦ ἀρκτικοῦ κύκλου τάξιν λαμβάνει. δευτέρα δὲ οἴκησις, ἡ λεγομένη ὑπὸ τῶν πόλων. τρίτη δέ ἐστιν οἴκησις, ὑπὲρ ἧς μικρὸν ὕστερον εἰρήκαμεν, ἡ προσαγορευομένη ὑπὸ τὸν ἰσημερινόν.

Περὶ τάξεως τῶν πέντε παραλλήλων κύκλων.

Ὅθεν οὐθ' ἡ τάξις τῶν πέντε παραλλήλων κύκλων ἡ αὐτὴ παρὰ πᾶσιν ἐστίν. ἀλλ' ἐν μὲν τῇ καθ' ἡμᾶς οἰκουμένῃ, πρῶτος μὲν ὀνομάζεται ἀρκτικὸς, δεύτερος δὲ ὁ θερινὸς τροπικός. εἶτα ἰσημερινὸς, καὶ χειμερινός. πέμπτος δὲ, ὁ ἀνταρκτικὸς τοῖς δὲ πρὸς ἄρκτον μᾶλλον ἡμῶν οἰ-

*prorſus euanuere. Ita ex quinque æquidiſtantibus tres denique ſuperant, nempe cum æquatore tropici duo. Neque enim ob ea quæ dicta ſunt, quinque perpetuos æquidiſtantes exiſtimandum, ſed pro noſtra habitatione numerum eorum exiſtere: quippe quibuſdam in horizontibus tres duntaxat æquidiſtantes inuenias. Sunt ſanè & ſupra terram habitationes, quarum prima eſt, in qua ſolſtitialis circulus, qui horizonta contingit, & pro arctico planè habetur: ſecunda, quam ſub polo appellant: tertia, de qua paulo antè retulimus, quam ſub æquatore nominant.*

## De ordine æquidiſtantium.

*Quo circa nec ordo quinque æquidiſtantium circulorum idem apud omnes eſt: ſed in noſtro tractu primum ſanè ſeptentrionalem dixeris, ſecundum ſolſtitialem, tertium æquatorem, quartum brumalem, quintum antarcticum. At iis qui propius quàm nos ſeptentriones incolunt, primus interdum ſolſtitialis tropicus numeratur, ſecundus ſeptentrionalis, tertius æquator, quatrus antarcticus, quintus brumalis circulus. Cum nanque ſeptentrionalis ſolſtitialis capacior euadit, neceſſe eſt memoratum ordinem ſeruari.*

## De poteſtate æquidiſtantium.

*Iam verò nec poteſtates eorūdem æquidiſtantium eædem. Nam qui nobis ſolſtitialis circulus habetur, Antipodibus certè brumalis efficitur, contrà qui illis ſolſtitialis eſt, nobis brumalis redditur. Sed qui ſub æquatore degunt, iis vniuerſi tres circuli viribus planè ſolſtitiales*

κασιν. ἐστὶ γὰρ ποτὲ πρῶτος, ὁ θερινὸς τροπικός, δεύτερος δὲ ὁ ἀρκτικός, τρίτος δὲ ὁ ἰσημερινός, τέταρτος δὲ ὁ ἀνταρκτικός, πέμπτος δὲ ὁ χειμερινὸς τροπικός, παρ' οἷς γὰρ ὁ ἀρκτικὸς κύκλος μείζων ἐστὶ τοῦ θερινοῦ τροπικοῦ, ἀνάγκη τὴν προειμένην τάξιν ὑπάρχειν.

Περὶ δυνάμεως τῶν πέντε παραλλήλων κύκλων.

Ὁμοίως δὲ οὐδ' αἱ δυνάμεις τῶν πέντε παραλλήλων κύκλων αἱ αὐταί εἰσιν. ὁ γὰρ παρ' ἡμῖν θερινὸς τροπικὸς κύκλος, τοῖς ἀντίποσι χειμερινὸς τροπικὸς κύκλος ἐστί· ὁ δὲ παρ' ἐκείνοις θερινὸς τροπικὸς κύκλος. παρ' ἡμῖν ἐστὶ χειμερινὸς τροπικός. τοῖς δὲ ὑπὸ τὸν ἰσημερινὸν οἰκοῦσι, τῇ μὲν δυνάμει οἱ τρεῖς κύκλοι θερινοὶ εἰσὶ τροπικοί. ὑπ' αὐτὴν γὰρ τὴν πάροδον τοῦ ἡλίου κεῖνται. τῇ δὲ πρὸς ἀλλήλους παραλλαγῇ γένοιτ' ἂν θερινὸς μὲν τροπικός, ὁ παρ' ἡμῖν ἰσημερινός. χειμερινοὶ δὲ οἱ δύο τροπικοί. φύσει γὰρ λέγοιτ' ἂν καὶ καθολικῶς πρὸς ἅπασαν τὴν οἰκουμένην θερινὸς τροπικὸς κύκλος ὑπάρχειν, ὁ ἔγγιστα τῆς οἰκήσεως ὑπάρχων. διὰ ταύτην αἰτίαν τοῖς ὑπὸ τὸν ἰσημερινὸν οἰκοῦσι θερινὸς τροπικὸς ἐστὶν ὁ ἰσημερινός. τότε γὰρ αὐτοῖς κατὰ κορυφὴν ἐστὶν ὁ ἥλιος. ἰσημερινοὶ δὲ κύκλοι γίνονται παρ' αὐτοῖς πάντες οἱ παράλληλοι, ἰσημερία γὰρ διὰ παντός ἐστι παρ' αὐτοῖς. πάντες γὰρ οἱ παράλληλοι κύκλοι διχοτομοῦνται ὑπὸ τοῦ ὁρίζοντος.

Περὶ διαστάσεως τῶν πέντε παραλλήλων κύκλων.

Οὐδ' αἱ διαστάσεις αἱ ἀπ' ἀλλήλων τοῖς κύκλοις αἱ αὐταὶ διαμένουσι καθ' ὅλην τὴν οἰκουμένην, ἀλλὰ πρὸς τὴν καταγραφὴν τῶν σφαιρῶν διαιροῦνται οὕτως, τοῦ παντὸς μεσημβρινοῦ κύκλου διαιρουμένου εἰς μέρη ξ, ὁ ἀρκτικὸς ἀπὸ τοῦ πόλου καταγράφεται ἀπέχων ξ ϛ. ὁ δὴ αὐτὸς ἐπὶ θάτερα μέρη ἀπὸ τοῦ θερινοῦ καταγράφεται, ἀπέχων ξε. ὁ δὲ ἰσημερινός, ἀφ' ἑκατέρων τῶν τροπικῶν ξδ. ὁ χειμερινὸς τροπικὸς κύκλος ἀπὸ τοῦ ἀνταρκτικοῦ ἀπέχων ξε

*ſunt, vtpote ſub ipſam ſolis orbitam incolentibus. Quanquam ſi ad ſe inuicem conferantur, qui nobis pro æquatore ſtatuitur, ſolſtitialis vicem obtinet: ambo verò tropici pro brumalibus cenſentur. Namque is demum natura ſolſtitialis circulus, perpetuáque ratione in toto terrarum orbe dici poteſt, qui proximè habitationem habetur. Quo fit, vt iis qui ſub æquatore agunt, æquator ipſe pro ſolſtitiali ſtatuatur: vtpote in quo ſol ſupra verticem agitur: pro æquatoribus autem omnes æquidiſtantes circuli, velut per æquas partes ab horizonte diſſecti.*

## De interuallo æquidiſtantium.

*Sed nec interualla circulorum in toto orbe à ſe inuicẽ ſtata ſunt: verùm pro ſphærarum deſcriptione ad hunc modum diſpenſari ſolent. Diuiſo in ſexaginta partes meridiano quouis circulo, ſeptentrionalis circulus à polo ſexageſimarum partium ſex interuallo deſcribitur. Idem in alteram partem à ſolſtitiali circulo ſexageſimarum partium quinque interuallo notatur. Æquator ab vtroque tropicorum ſexageſimis quaternis diſtat. Brumalis circulus ab antarctico ſexageſimis quinque. Antarcticus à polo ſexageſimis ſex. Neque tamen in omni plaga vrbéve eandem intercapedinem inter ſe ſeruant: ſed tropici ab æquatore parem in omni inclinatione diſtantiam vendicant. Idem autem ab arcticis non parem per omnes horizontas, ſed alibi minorem, alibi maiorem. Ita demum & arctici à polis non parem in quauis inclinatione diſtantiam ſeruant, ſed alibi maiorẽ, alibi minorem habent. Sphæræ tamen omnes ad Græciæ horizonta deſcribuntur.*

## De Coluris.

*Sunt & per polos ducti circuli, quos nonnulli coluros vocant. Iis accidit, vt in ambitus ſuos mundi polos reci-*

ὁ δὲ ἀνταρκτικὸς ἀπὸ τοῦ πόλου ξϛʹ. κατὰ πᾶσαν δὲ χώραν καὶ πόλιν οὐ τὰς αὐτὰς διαστάσεις ἔχουσιν ἀπ' ἀλλήλων. ἀλλ' οἱ μὲν τροπικοὶ ἀπὸ τοῦ ἰσημερινοῦ κατὰ πᾶν ἔγκλιμα τὴν αὐτὴν ἀπόστασιν ἔχουσιν. οἱ δὲ τροπικοὶ κύκλοι ἀπὸ τῶν ἀρκτικῶν οὐ τὴν αὐτὴν ἔχουσι διάστασιν κατὰ πάντας τοὺς ὁρίζοντας, ἀλλ' οἱ μὲν ἔλασσον, οἱ δὲ πλεῖον διεστᾶσιν. ὁμοίως δὲ οἱ ἀρκτικοὶ ἀπὸ τῶν πόλων οὐ τὴν ἴσην ἀπόστασιν ἔχουσι κατὰ πᾶν ἔγκλιμα, ἀλλ' οἱ μὲν ἐλάττω, οἱ δὲ πλείω. καταγράφονται μέν τοι πᾶσαι αἱ σφαῖραι πρὸς τὸν ἐν τῇ ἑλλάδι ὁρίζοντα.

## Περὶ κολούρων κύκλων.

Διὰ τῶν πόλων δέ εἰσι κύκλοι ὑπό τινων κόλουροι προσαγορευόμενοι, οἷς συμβέβηκεν ὑπὸ τῶν ἰδίων περιφεριῶν τοὺς τοῦ κόσμου πόλους ἔχειν. κόλουροι δὲ κέκληνται, διὰ τὸ μέρη τινὰ ἀθεώρητα αὐτῶν γίνεσθαι. οἱ μὲν γὰρ λοιποὶ κύκλοι κατὰ τὴν περιστροφὴν τοῦ κόσμου ὅλοι θεωροῦνται. τῶν δὲ κολούρων κύκλων μέρη τινά ἐστιν ἀθεώρητα, τὰ ἀπὸ τοῦ ἀνταρκτικοῦ ὑπὸ τὸν ὁρίζοντα ἀπολαμβανόμενα. γράφονται δὲ οὗτοι οἱ κύκλοι διὰ τῶν τροπικῶν σημείων, καὶ εἰς μέρη λʹ ἴσα διαιροῦσι τὸν διὰ μέσων τῶν ζωδίων κύκλον.

## Περὶ ζωδιακοῦ κύκλου.

Λοξὸς δέ ἐστι κύκλος, ὁ τῶν ιβʹ ζωδίων. αὐτὸς δὲ ἐκ τριῶν κύκλων παραλλήλων συνέστηκεν. ὧν οἱ μὲν τὸ πλάτος ἀφορίζειν λέγεται τοῦ ζωδιακοῦ κύκλου, ὁ δὲ ἐκ διὰ μέσον τῶν ζωδίων καλεῖται. οὗτος δὲ ἐφάπτεται δύο κύκλων ἴσων καὶ παραλλήλων, τοῦ μὲν θερινοῦ τροπικοῦ κατὰ τὴν τοῦ καρκίνου πρώτην μοῖραν, τοῦ δὲ χειμερινοῦ τροπικοῦ κατὰ τὴν τοῦ αἰγοκέρωτος πρώτην μοῖραν. τὸ δὲ πλάτος τοῦ ζωδιακοῦ κύκλου ἐστὶ μοῖραι ιβʹ. λοξὸς δὲ κέκληται ὁ ζωδιακὸς κύκλος, διὰ τὸ τέμνειν τοὺς παραλλήλους κύκλους.

*piant. Coluri autem dicti ſunt, quòd partes aliquas in ſe minimè conſpectas habent. Reliqui enim circuli in mundi circumactu integri cernuntur: ſed colurorum partes quæpiam, quæ videlicet ab arctico ſub horizonte latent, cerni non poſſunt. Signantur autem ÿ circuli per tropica puncta, diuidúntque per duas æquas partes circulum, qui per media ſigniferi ducitur.*

## De ſignifero.

*Obliquus circulus is eſt, qui duodecim ſigna continet, ex tribus æquidiſtantibus circulis conſtans: quorum duo latitudinem ſigniferi determinant, vnus per media ſigna ductus vocatur: hic adeò duos pares & æquidiſtantes circulos, ſolſtitialem in prima Cancri parte, brumalem in Capricorni principio. Latitudo ſigniferi continet partes duodecim. Dictus eſt autem hic circulus obliquus, quòd æquidiſtantes ad inæquales angulos interſecet.*

## De horizonte.

*Horizon verò circulus eſt, qui conſpectam mundi partem ab inconſpecta dirimit. Itaque in duas partes vniuerſam ſphæram ſecat, vt alterum hemiſphærium ſupra terram, alterum ſub terra relinquat. Eſt verò horizon duplex, alter qui ſenſu vſurpatur, alter qui ſola ratione percipitur. Ergò ſenſilis horizon eſt, qui à noſtro viſu in termino viſionis circumſcribitur. Hic adeò non amplius duum milium ſtadiorum demetientem habet. Qui autem ratione percipitur, ad fixarum ſtellarum ſphæram pertinet, mundúmque totum in duo ſecat. Nec verò per omnem tractum vrbémve idem horizon eſt: ſed ſenſu idem quadringentis ferè ſtadiis manet,*

## Περὶ ὁρίζοντος.

Ὁρίζων δέ ἐστι κύκλος, ὁ διορίζων ἡμῖν τό, τε φανερὸν καὶ τὸ ἀφανὲς μέρος τοῦ κόσμου, καὶ διχοτομῶν τὴν ὅλην σφαῖραν τοῦ κόσμου, ὥς τε ἡμισφαίριον μὲν ὑπὲρ γῆν ἀπολαμβάνεσθαι, ἡμισφαίριον δὲ ὑπὸ γῆν. εἰσὶ δὲ ὁρίζοντες δύο, εἷς μὲν ὁ αἰσθητός, ἕτερος δὲ ὁ λόγῳ θεωρητός. αἰσθητὸς μὲν οὖν ἐστιν ὁρίζων, ὁ ὑπὸ τῆς ἡμετέρας ὄψεως περιγραφόμενος κατὰ τὸν ἀποτερματισμὸν τῆς ὁράσεως, ὡς οὐ μείζονα τὴν διάμετρον ἔχειν σταδίων δισχιλίων. ὁ δὲ λόγῳ θεωρητὸς ὁρίζων ἐστὶν. ὁ μέχρι τῆς τῶν ἀπλανῶν ἀστέρων σφαίρας διήκων, καὶ διχοτομῶν τὸν ὅλον κόσμον. οὐ κατὰ πᾶσαν δὲ χώραν καὶ πόλιν ὁ αὐτός ἐστιν ὁρίζων, ἀλλὰ πρὸς μὲν τὴν αἴσθησιν σχεδὸν ἐπὶ σταδίους τετρακοσίους ὁ αὐτὸς ὁρίζων διαμένει, ὥς τε καὶ τὰ μεγέθη τῶν ἡμερῶν, καὶ τὸ κλίμα καὶ πάντα τὰ φαινόμενα τὰ αὐτὰ διαμένειν. πλειόνων δὲ σταδίων γινομένων κατὰ τὴν παραλλαγὴν τῆς οἰκήσεως, ἕτερος ὁρίζων γίνεται καὶ τὸ κλίμα διαφέρων, καὶ πάντα τὰ φαινόμενα μεταπίπτει. δεῖ μέντοι γε τὴν παραλλαγὴν τῆς οἰκήσεως τὴν ὑπὲρ τετρακοσίους σταδίους διαλαμβάνεσθαι κατὰ τὴν πρὸς ἄρκτον μεσημβρίαν τε πάροδον. τοῖς μὲν γὰρ ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ παραλλήλου οἰκοῦσιν ἀπὸ μυρίων σταδίων ὑπάρχουσιν, ὁ μὲν ὁρίζων ἐστὶ διάφορος, τὸ δὲ κλίμα τὸ αὐτό, καὶ πάντα τὰ φαινόμενα παραπλήσια. αἱ μέντοι ἀρχαὶ καὶ τελευταὶ αἱ τῶν ἡμερῶν οὐχ ἅμα πᾶσιν ἔσονται τοῖς ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ παραλλήλου οἰκοῦσι. κατὰ δὲ τὴν πρὸς τὸν λόγον ἀκρίβειαν ἅμα τῷ στιγμιαίαν πάροδον γίνεσθαι καθ᾽ ὁποιονοῦν μέρος τοῦ κόσμου, μεταπίπτει καὶ ὁ ὁρίζων καὶ τὸ ἔγκλιμα, καὶ πάντα τὰ φαινόμενα διάφορα. οὐ καταγράφεται δὲ ὁρίζων ἐν ταῖς σφαίραις δι᾽ αἰτίαν τοιαύτην, ὅτι οἱ μὲν λοιποὶ κύκλοι πάντες, φερομένου τοῦ κύκλου ἀπ᾽ ἀνατολῶν ἐπὶ τὴν δύσιν, συμπεριστρέφονται καὶ αὐτοὶ τῇ τοῦ κόσμου κινήσει.

*Quo fit, vt dierum longitudo, & clima, & apparentiæ omnes eædem ſibi conſtent. Aucto verò ſtadiorum numero, pro habitationis diuerſitate Horizon, clima, omnes denique apparentiæ mutantur. Conuenit tamen, vt habitationis vltra quadringenta ſtadia mutationem ad auſtrum boreámve accipiamus. Siquidem qui eundem æquidiſtantem incolunt, in quamlibet magno ſtadiorum numero horizonta quidem diuerſum habent, clima verò idem, & apparentias omnes ſimiles. Dierum tamen exitus initiáque haudquaquam iis qui eundem æquidiſtantem habitant, eodem temporis momento euenient. Verùm ſi exactæ rationis examini ſtare velimus, pro quolibet puncto, in quauis orbis parte mutati ſitus horizon, clima, & apparentiæ omnes euariant. Horizon verò ea ratione in ſphærarum deſcriptionem non adhibetur, quòd reliqui circuli omnes ab ortu ad occaſum circumacto mundo vnà rapiuntur. Horizon ſuapte natura quietem amat, eodem ſemper ſeruato ſitu. Si ita horizon in ſphæras adderetur, circumactis iis etiam eum moueri, & nonnunquam ſupra verticem eſſe accideret. Id quod certè tum captum omnem ſuperat, tum à ſphæræ ratione abhorret. Verùm non incommodè ſitus eius ab alueo, in quo ſphæra reuoluitur, intelligi ſolet.*

## De meridianis circulis.

*Meridianus circulus eſt, qui per mundi polos & punctum, quod nobis ſupra verticem eminet, ducitur. In quem cùm ſol incidit, medios dies, mediáſque noctes efficit. Hic etiam circulus, immotus in mundo eſt, vno eodémque in tota mundi vertigine ſeruato poſitu.*

ὁ δὲ ὁρίζων ἐστὶ φύσει ἀκίνητος τὴν, αὐτὴν τάξιν διαφυλάττων διὰ παντός. εἰ οὖν κατεγράφοντο οἱ ὁρίζοντες ἐν ταῖς σφαίραις, στρεφομένων αὐτῶν, συνέβαινεν ἂν τὸν ὁρίζοντα κινεῖσθαι, καὶ κατὰ κορυφὴν ποτε γίνεσθαι, ὅπερ ἐστὶν ἀδύνατον, καὶ ἀλλότριον τοῦ σφαιρικοῦ λόγου. ὑπὸ μέντοι γε τῆς σφαιρικῆς θήκης ἡ τοῦ ὁρίζοντος θέσις κατανοεῖται.

## Περὶ τῶν μεσημβρινῶν κύκλων.

Μεσημβρινὸς δέ ἐστι κύκλος, ὁ διὰ τῶν τοῦ κόσμου πόλων καὶ τοῦ κατὰ κορυφὴν σημείου γραφόμενος κύκλος, ἐφ᾽ οὗ γινόμενος ὁ ἥλιος, τὰ μέσα τῶν ἡμερῶν καὶ τὰ μέσα τῶν νυκτῶν ποιεῖται, καὶ οὗτος δέ ἐστιν ὁ κύκλος ἀκίνητος ἐν τῷ κόσμῳ, καὶ τὴν αὐτὴν τάξιν διαφυλάσσων ἐν ὅλῃ τῇ τοῦ κόσμου περιστροφῇ. οὐ καταγράφεται δὲ οὗτος ὁ κύκλος ἐν ταῖς κατεστηριζομέναις σφαίραις, διὰ τὸ καὶ ἀκίνητος εἶναι, καὶ μηδεμίαν ἐπιδέχεσθαι μετάπτωσιν. ἀλλὰ πρὸς μὲν τὴν αἴσθησιν σχεδὸν ἐπὶ σταδίους τριακοσίους ὁ αὐτὸς μεσημβρινὸς διαμένει. πρὸς δὲ τὴν ἐν τῷ λόγῳ ἀκρίβειαν, ἅμα τῷ τὴν παράστασιν γίνεσθαι πάροδον, ἢ πρὸς ἀνατολὴν, ἢ πρὸς δύσιν, ἕτερος γίνεται μεσημβρινός. κατὰ μὲν γὰρ πρὸς ἄρκτον καὶ μεσημβρίαν πάροδον, κἂν μεταξὺ μύριοι στάδιοι ὑπάρχωσιν, αὐτὸς μένει μεσημβρινός. κατὰ δὲ τὴν ἀπ᾽ ἀνατολῆς πρὸς δύσιν πάροδον, διαφοραὶ μεσημβρινῶν.

## Περὶ γαλακτικοῦ κύκλου.

Λοξὸς δέ ἐστι κύκλος καὶ ὁ τοῦ γάλακτος. οὗτος μὲν οὖν μείζονι πλάτει λελόξωται τῷ τροπικῷ κύκλῳ. συνέστηκε δὲ ἐκ βραχυμερίας νεφελοειδοῦς, καί ἐστιν ἐν τῷ κόσμῳ μόνος θεωρητός. οὐχ ὥρισται δὲ αὐτοῦ τὸ πλάτος, ἀλλὰ κατὰ μέν τινα μέρη πλατύτερός ἐστι, κατὰ δέ τινα στενότερος διὰ τὴν αἰτίαν ἐν ταῖς πλείσταις σφαίραις οὐδὲ καταγράφεται ὁ τοῦ γάλακτος κύκλος. εἰσὶ δὲ καὶ οὗτοι

*Nec in ſphæris, quæ aſtris inſigniuntur, adſcribitur, quòd & immotus ſit & nullam mutationem recipiat: ſed (quod ſenſu vſurpari poſſit) trecentis ferè ſtadiis idem meridianus manet. Rationis tamen ſcrupuloſiore indagine ad quemuis greſſum, qui ortum verſus occaſumve dirigitur, nouus meridianus notatur. Ad auſtrum enim boreámve quantumuis progrediare, etiamſi decem milium ſtadiorum interuallum interſit, idem meridianus ſeruatur, cùm ab ortu ad occaſum itur, mutatur.*

## De lacteo circulo.

*Obliquus etiam eſt & lacteus circulus. Hic itaque ſupra tropicos obliquatus cernitur. Conſtat autem ex tenui nebuloſa ſubſtantia, vnus certè cœleſtium circulorum conſpicuus, nec certa latitudine definitus, ſed aliqua ſui parte latiore, aliqua anguſtiore: quo minùs equidem in pleraſque ſphæras adſcribi ſolet. Eſt autem vnus è numero maximorum circulorum: quippe cùm maximi circuli in ſphæris dicantur, quibus idem centrum cum ſphæra eſt. Sunt porrò maximi circuli ſeptem: Æquator, Signifer, qui per media ſigna ducitur, qui per polos ducitur, cuiuſque habitationis Horizon, Meridianus, Lacteus.*

## De quinque Zonis.

*Totius terræ ſuperficies ſphærica eſt, & diuiditur in Zonas quinque. Ex quibus duæ ſunt, quæ circa polos deſcribuntur, frigidæ dictæ, quòd maximè abſunt à ſolis orbita: eædem ob frigoris iniuriam parùm habitatæ. De-*

τῶν μεγίστων κύκλων. μέγιστοι γὰρ ἐν σφαίραις λέγονται κύκλοι, οἱ τὸ αὐτὸ κέντρον ἔχοντες τῇ σφαίρᾳ. εἰσὶ δὲ μέγιστοι κύκλοι ἑπτά, ἰσημερινός, ζωδιακός. καὶ ὁ διὰ μέσων τῶν ζωδίων, ὁ διὰ τῶν πόλων, ὁ καθ' ἑκάστην οἴκησιν ὁρίζων ὁ μεσημβρινός, ὁ τοῦ γάλακτος.

Περὶ τῶν πέντε ζωνῶν.

Ἡ τῆς γῆς σύμπασα ἐπιφάνεια σφαιροειδὴς ὑπάρχουσα, διαιρεῖται εἰς ζώνας πέντε ὧν δύο μὲν αἱ περὶ τοὺς πόλους· πορρωτάτω δὲ κείμεναι τῆς τοῦ ἡλίου παρόδου, κατεψυγμέναι λέγονται, καὶ ἀοίκητοι διὰ τὸ ψῦχος εἰσίν. ἀφορίζονται δὲ ὑπὸ τῶν ἀρκτικῶν πρὸς τοὺς πόλους, αἱ δὲ τούτων ἑξῆς, συμμέτρως μὲν κείμεναι πρὸς τὴν τοῦ ἡλίου πάροδον, εὔκρατοι καλοῦνται. ἀφορίζονται δ' αὗται ὑπὸ τῶν ἐν τῷ κόσμῳ ἀρκτικῶν καὶ τροπικῶν κύκλων, μεταξὺ κείμεναι αὐτῶν. ἡ δὲ λοιπή, μέση τῶν προειρημένων κειμένη δ' ἐπ' αὐτὴν τοῦ ἡλίου πάροδον, διακεκαυμένη καλεῖται. διχοτομεῖται δ' αὐτὴ ὑπὸ τοῦ τῆς γῆς ἰσημερινοῦ κύκλου, ὃς κεῖται ὑπὸ τὸν ἐν τῷ κόσμῳ ἰσημερινὸν κύκλον. τῶν δὲ εὐκράτων δύο ζωνῶν ἡ ὑπὸ τῶν ἐν καθ' ἡμᾶς οἰκομένη κατοικεῖσθαι συμβέβηκεν, ἐπὶ μὲν τὸ μῆκος οὖσα ὡς ἔγγιστα περὶ δέκα μυριάδας σταδίων, ἐπὶ δὲ τὸ πλάτος ὡς ἔγγιστα τὸ ἥμισυ.

Περὶ τῶν κατεστηριγμένων ζωδίων.

Τὰ κατεστηριγμένα ζώδια διαιρεῖται εἰς μέρη τρία. ἃ μὲν γὰρ αὐτῶν ἐπὶ τοῦ ζωδιακοῦ κύκλου κεῖται, ἃ δὲ λέγεται βόρεια ἃ δὲ προσαγορεύεται νότια. τὰ μὲν οὖν ἐπὶ τοῦ ζωδιακοῦ κύκλου κείμενα, ἐστὶ τὰ ιβ' ζώδια, ὧν τὰς ὀνομασίας προειρήκαμεν ἐν ἄλλοις, καὶ ἐν τοῖς ιβ' ζωδίοις τινὲς ἀστέρες διὰ τὰς ἐπ' αὐτοῖς γινομένας ἐπισημασίας ἰδίας προσηγορίας ἠξιωμένοι εἰσίν. οἱ μὲν γὰρ ἐπὶ τοῦ ταύρου, ἐπὶ τοῦ νώτου αὐτοῦ κείμενοι ἀστέρες, τὸν ἀριθμὸν ἕξ, καλοῦνται πλειάδες. οἱ δὲ ἐπὶ τοῦ βουκράνου τοῦ ταύρου

*terminantur autem polos verſus arcticis circulis. Quæ verò poſt has deinceps habentur, quòd mediocriter ad prætereuntem ſolem ſunt ſitæ, temperatæ appellantur, habéntque in cœlo limites arcticos, tropicóſque circulos, quibus interiacent. Reliqua, quæ inter memoratas quatuor medium locum tenet, quòd ſub ipſo ſolis tranſitu iacet, torrida nuncupatur, à terreſtri æquatore in duas partes diuiſa. Is porrò ſub mundi æquatore porrigitur. Sed ex temperatis altera à noſtri orbis hominibus incolitur: ipſa longa propè centum millibus ſtadiorum, lata ferè dimidio.*

## De ſignis cœleſtibus.

*Signa ſtellis inſignita diuiduntur in partes tres: quædam enim in ſignifero locata ſunt, quædam ſeptentrionalia vocantur, quædam auſtrina. Quæ itaque in ſignifero ſita ſunt, duodecim animalia ſunt, quorum nomenclaturas alibi diximus. In iis duodecim ſtellæ quædam ſunt, quæ ob quaſdam quas referunt notas, proprias appellationes meruerunt. Siquidem ſex numero, quæ in tauri dorſo viſuntur, Pleiades nominantur. Quinque verò, quæ in capite Tauri cernuntur, Hyades dicuntur. Stella verò quæ pedes Geminorum præcedit, Propus, quaſi præpes vocatur. Quæ verò in Cancro nubeculam referunt, Præſepe vocant. At duæ, quæ iuxta Præſepe collocatæ ſunt, Aſelli dicuntur. Prænitens autem ſidus, quod in corde leonis notatur, ſimili cum loco nomine, Leonis cor dicitur: à nonnullis regia ſtella, quòd qui ſub ea naſcuntur, regiam natiuitatem ſint nacti. Sed quæ in virginis ſumma ſiniſtra manu hæret, fulgida ſanè ſtella, Spicam nominant. Stellula verò, quæ iuxta vir-*

κείμενοι ἀστέρες, τὸν ἀριθμὸν καὶ αὐτοὶ ε΄, καλοῦνται ὑάδες. ὁ δὲ προηγούμενος τῶν ποδῶν τῶν διδύμων ἀστὴρ, προσαγορεύεται πρόπους. οἱ δὲ ἐν τῷ καρκίνῳ νεφελοειδεῖ συστροφῇ ἐοικότες, καλοῦνται φάτνη. οἱ δὲ πλησίον αὐτῆς δύο ἀστέρες κείμενοι, ὄνοι προσαγορεύονται. ὁ δὲ ἐν τῇ καρδίᾳ τοῦ λέοντος κείμενος λαμπρὸς ἀστὴρ ὁμωνύμως τῷ τόπῳ ἐφ' οὗ κεῖται, καρδία λέοντος προσαγορεύεται, ὑπὸ δέ τινων βασιλίσκον καλεῖται· ὅτι δοκοῦσιν οἱ περὶ τὸν τόπον τοῦτον γενόμενοι, βασιλικὸν ἔχειν τὸ γενέθλιον. ὁ δὲ ἐν ἄκρᾳ τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ τῆς παρθένου κείμενος λαμπρὸς ἀστὴρ, στάχυς προσαγορεύεται. ὁ δὲ περὶ τὴν δεξιὰν τῆς παρθένου πτέρυγα κείμενος ἀστερίσκος, προτρυγητὴς ὀνομάζεται. οἱ δὲ ἐν ἄκρᾳ τῇ δεξιᾷ χειρὶ τοῦ ὑδροχόου τέσσαρες ἀστέρες, κάλπη καλοῦνται. οἱ δὲ ἀπὸ τῶν οὐραίων μερῶν τῶν ἰχθύων κατὰ τὸ ἑξῆς κείμενοι ἀστέρες, λίνοι προσαγορεύονται. εἰσὶ δὲ ἐν μὲν τῷ νοτίῳ λίνῳ ἀστέρες θ΄, ἐν δὲ τῷ βορείῳ λίνῳ ε΄. ὁ δὲ ἐν ἄκρῳ τῷ λίνῳ κείμενος λαμπρὸς ἀστὴρ, σύνδεσμον προσαγορεύεται. βόρεια δέ ἐστιν, ὅσα τοῦ τῶν ζωδίων κύκλου πρὸς ἄρκτους κεῖται. ἔστι δὲ τάδε. ἡ μεγάλη ἄρκτος, ἡ μικρὰ, δράκων ὁ διὰ τῶν ἄρκτων, ἀρκτοφύλαξ, στέφανος, ἐνγόνασιν, ὀφιοῦχος, ὄφις, λύρα, ὄρνις, οἰστὸς, ἀετὸς, δελφὶς, προτομὴ ἵππου καθ' ἵππαρχον, ἵππος, κηφεὺς, κασσιέπεια, ἀνδρομέδα, περσεὺς, ἡνίοχος, δελτωτόν. καὶ ὁ ὕστερον κατηστερισμένος ὑπὸ Καλλιμάχου βερενίκης πλόκαμος. πάλιν δὲ καὶ ἐν τούτοις ἀστέρες τινὲς, ἰδίας ἔχουσι προσηγορίας, διὰ τὰς ὁλοσχερεῖς ἐπ' αὐτοῖς γινομένας ἐπισημασίας. ὁ μὲν γὰρ ἀνὰ μέσον τῶν σκελῶν τοῦ ἀρκτοφύλακος κείμενος ἐπίσημος ἀστὴρ, ἀρκτοῦρος ὀνομάζεται. ὁ δὲ περὶ τὴν λύραν κείμενος λαμπρὸς ἀστὴρ, ὁμωνύμως ὅλῳ τῷ ζωδίῳ λύρα προσαγορεύεται. οἱ δὲ ἐν ἀριστερᾷ ἄκρα χειρὶ τοῦ περσέως κείμενοι ἀστέρες, γοργόνιον καλοῦνται. ὁ δὲ ἐν ἀριστερᾷ ἄκρα χειρὶ τοῦ περσέως κεί-

ginis dextram alam figitur, Protrygetes dicitur. At quatuor ſtellæ, quæ in ſumma Aquarij dextra viſuntur, Vrnæ nomen habent. Quæ verò à Piſcium caudæ partibus ſitæ deinceps ſunt, græcè lini, latinè linea, vel vt quibuſdam placet, lineolæ nuncupantur. Sunt itaque in auſtrina linea ſtellæ nouem, in ſeptentrionali quinque. Sed præfulgens ſidus, quod in ſumma linea conſpicitur, græcè ſyndeſmos, latinè nodus nuncupatur. Septentrionalia ſunt, quæcunque ad ſeptentrionem ſigniferi ſitum habent. Sunt autem hæc: Vrſa maior, Vrſa minor, Draco qui inter Vrſas locatur, Arctophylax, Corona, Engonaſin, Serpentarius, Serpens, Lyra, Auis, Sagitta, Aquila, Delphinus, Protomehippi, hoc eſt, prior equi portio, iuxtà Hipparchum equus Cepheus, Caſſiopeia, Andromeda, Perſeus, Auriga, Deltoton, & qui poſtea à Callimacho in aſtra relatus eſt, Berenices crinis. In iis rurſus ſtellæ quædam, ob notas quaſdam integras, quas in ſe continent, proprias appellationes ſunt ſortitæ. Nam inſignè ſidus, quod ſupra media Arctophylacis crura iacet, Arcturus appellatur. Clara autem ſtella, quę iuxta Lyram poſita eſt, totius ſigni nomine Lyra dicitur. Quæ verò in Perſei ſumma ſiniſtra ſpectantur, Gorgonæ nomen habent. Sed quę in ſumma eius dextra notantur, ſtellulę certè crebrę paruęq́, falcem conficiunt. At illuſtre ſidus, quod in aurigæ ſiniſtro humero cernimus, Capram nominamus. Duas verò exiguas ſtellas, quę in ſumma eiuſdem aurigę manu figuntur, Hædos dicimus. Auſtrina ſigna ſunt, quęcunque ad meridionalem ſigniferi partem ſunt poſita. Eorum nomina hęc ſunt: Orion, Procyon, Lupus, Argo, Hydra, Cratera, Coruus, Centaurus, Fera, quam Centaurus tenet, Thyrſolocus quem Centaurus preſert, Thuribulum, Auſtrinus piſcis, Cetus, A-

μενοι ἀστερίσκοι πυκνοὶ καὶ μικροὶ, εἰς τὴν ἄρκτον καταστηρίζονται. ὁ δὲ ἐν τῷ εὐωνύμῳ ὤμῳ τοῦ ἡνιόχου κείμενος λαμπρὸς ἀστὴρ, αἲξ προσαγορεύεται. οἱ δὲ ἐν ἄκρᾳ τῇ χειρὶ ἀστερίσκοι δύο, ἔριφοι καλοῦνται. νότια δέ ἐστιν ὅσα τοῦ τῶν ζωδίων κύκλου πρὸς μεσημβρίαν κεῖται. ἔστι δὲ τάδε, ὠρίων, προκύων, λαγωὸς, ἀργὼ, ὕδρος, κρατὴρ, κόραξ, κένταυρος. θηρίον ὃ κρατεῖ ὁ κένταυρος, θυρσόλογχος ὃν κρατεῖ ὁ κένταυρος, θυμιατήριον, νότιος ἰχθῦς, κῆτος, ὕδωρ τὸ ἀπὸ τοῦ ὑδροχόου. ποταμὸς ὁ τοῦ ὠρίωνος, νότιος στέφανος, ὑπόλινων οὐρανίσκος προσαγορευόμενος, κηρύκιον καθ' ἵππαρχον. πάλιν δὲ καὶ ἐν τούτοις τινὲς ἀστέρες ἰδίας ἔχουσι προσηγορίας. ὁ μὲν γὰρ ἐν τῷ προκύονι ὢν λαμπρὸς ἀστὴρ, προκύων καλεῖται. ὁ δὲ ἐν τῷ στόματι τοῦ κυνὸς λαμπρὸς ἀστὴρ, ὃς δοκεῖ τὴν ἐπίτασιν τοῦ καύματος ποιεῖν, ὁμωνύμως ὅλῳ τῷ ζωδίῳ, κύων προσαγορεύεται. ὁ δὲ ἐν ἄκρῳ τῷ πηδαλίῳ τῆς ἀργοῦς κείμενος λαμπρὸς ἀστὴρ, κάνωβος ὀνομάζεται. οὗτος μὲν ἐν ῥόδῳ μόλις θεώρητός ἐστιν, ἢ παντελῶς ἀφ' ὑψηλῶν τόπων ὁρατός. ἐν ἀλεξανδρείᾳ δὲ ἐστὶ παντελῶς ἀφανής. σχεδὸν γὰρ τέταρτον μέρος ζωδίου ἀπὸ τοῦ ὁρίζοντος μετεωρισμένος φαίνεται.

Τέλος τῆς τοῦ πρόκλου σφαίρας.

*qua, quę ab aquario funditur, Flumen, quod ab Orione defluit, Auſtralis corona, quam nonnulli Vraniſcum vocauere, ac ſi à cœlo diminutiuum declines: & iuxta Hipparchum, Caduceus. In iis quoque ſtellę quędam propria ſibi nomina vendicauere: quippe lucida ſtella, quæ in Procyone cernitur, Procyon appellatur: quę verò in ore canis conſpicuo ſplendore aſpicitur, quódque ęſtus incrementa ſecum afferre putatur, canis eodem, quo totum ſignum, nomine cenſetur. At ſidus, quod in ſummo Argus gubernaculo fulget, Canobus nominatur: hic in Rhodo ægrè conſpicitur, aut certè ab editis locis: in Alexandria verò prorſus non cernitur, vtpote vix quarta ſigni portione ſupra horiZontem extante.*

FINIS SPHÆRÆ.

# APOLLODORI ATHENIENSIS GRAMMATICI BIBLIOTHECES SIVE de Deor. origine,

## LIBER PRIMVS.

*Benedicto Ægio Spoletino Interprete.*

CŒLVS primus orbis vniuerſi imperio præfuit, quíque ducta vxore Tellure, priores ex ea filios ſuſtulit, quos centimanos appellarunt, Briareum, Gyan, ac Cœum: Qui, quòd ſinguli centum manus, & capita quinquaginta haberent, corporis cum magnitudine, tum robore cæteris mortalibus antecelluerunt. *Cœlus primus princeps. Telluris filij Cẽtimani cur dicti.*

Poſt hoſce autem è Cœlo Tellus, Cyclopas, Harpen, Steropem, & Brontem, ſingulos ſingulis & his quidem in media frõte locatis oculis peperit. Sed hos Cœlus vinctos deiecit in tartarum; is locus eſt ad inferos tenebroſiſſimus, qui tantum à terra diſtat, quantum à cœlo terram abeſſe ferunt.

Cœlus item ex eadem coniuge procreauit Oceanum, Cœum, Hyperionem, Crium, * Impetúmque, cognomento Titanas, & nouiſſimum omnium Saturnum ſuſcepit. Præterea filias Tethyn, Rheam, Themin, Mnemoſinem, Phœbem, Dionénque, ac Thiam, quas Titanidas nominarunt. Mox verò Terra indigniſſimè ferẽs, filiorum in tartara deiectorum internecionem, Titanas, vt patrem dolo aggrederentur, inducit. Saturnóque adamantinam falcem ſuggerit. Tum ij omnes præter vnum Oceanum in patrem impetum faciunt, & Saturnus præſecta Cœli genitalia deiecit in pelagus, déque viriliũ ſanguinis profluentibus guttis, Erinnyes, Alecto, Tiſiphone, ac Megæra enatæ ſunt. Cœlo demum è Regno expulſo, & reuocatis ab ima Tartari profũditate germanis fratribus, Saturnum imperio ſuffecerunt. At hic rur- *Iapetum.*

ſus Titanas fratres cõpeditos demiſit in tartarũ, Rheã inde ſororem ſibi in matrimonium copulauit. Poſt vbi Cœlus, ac terra illum filij ſui viribus imperio deturbatum iri prædixerunt, ſingulos, vt quiſque in lucem prodibat, atque naſcebatur, ita deuorabat. Et Veſtam prius, Cererem deinde, & Iunonem: poſt has Plutonem & Neptunum deglutiuit. Quamobrem irata coniux Rhea in Cretam, quo tempore Iouem in vtero ferebat proficiſcitur, vbi in antro * Dibæo illum parit, & Curetibus, Adraſteæque, ac Idæ Nymphis Meliſſarum filiis alendum dedit: Hæ verò Amaltheæ lacte puerum educunt. At * Curetes in antro armati infantem aſſeruantes haſtilibus ſcuta, ne vagientis pueri vocem Saturnus audiret, concutiebant. Rhea verò inuolutum faſciis lapidem pro nato patri filio deuorandum dedit.

*Dictæo.*

*Corybantes Strabonis li. 10 κούρητες*

*Saturnus pro Ioue lapidē deuorat.*

Mox, vbi Iupiter iuſtæ, atque integræ fuit ætatis, Metin Oceani filiam ſociam capit, quæ Saturno Pharmacum bibendum propinat: cuius ille vi coactus lapidem prius, deinde, quos antea filios, deuorarat, euomit: quorum adiumento Iupiter aduerſus patrem Saturnum, ac Titanas bellum geſſit. Verum decimo poſt huiuſce inter eos belli anno, Tellus victoriam Ioui, ſi in Tartarum deiectos ſibi in ſocietatem adſciuerit vaticinata eſt. Tum is, Campe cuſtode interfecta, illos è vinculis liberauit. Iam tum etiam * Cyclopes Iouem tonitru, fulgetráque, & fulmine, Plutonem autem Galea, & Neptunum tridente condonarunt. His illi telis armati Titanas ſubigunt, & coniectos in vincula, atque in Tartarum detruſos, centimanis cuſtodiendos dederunt: Quo facto iidem rerum imperium ſorte inter ſe partiuntur: ac Ioui quidem cœli regnum, Neptuno maris, & Plutoni inferorum loca obtigerunt.

*Fulminũ fabricatores.*

*Saturni filij patrium regnũ inter ſe ſorte partiũtur.*

Cæterùm Titanibus procreantur, Oceano quidem & Tethyde, Oceanidum terna millia, Aſia, Styx, Electra, Doris, Eurynome, Amphitrite, Metis. Cœo autem ex Phœbe, Aſteria, & Latona; ex Hyperione, ac Thea, Aurora, Sol, Luna, Crio ad hæc & Eurybœe Pluti filia nati ſunt Aſtræus, Pallas, Perſes.

Iapeto autem ex Aſia Oceani filia naſcitur Atlas, qui ſuis humeris cœlum ſuſtinet, Prometheus item, & Epimetheus, ac Menœtius, quem in Titanico bello fulminatum Iupiter in Tartarum detruſit.

Sed è Saturno, ac Philyra geniti ſunt, Chiron geminus centaurus ex Aurora verò, & Aſtræo nati ſunt Venti, & Aſtra. Perſes ex Aſteria Hecaten genuit. Pallanti & Stygi ex Oceeano procreati ſunt Nice, Cratus, Zelus, Bia.

Iupiter ſtygis aquam de ſcopulo per inferorum loca fluentem, iuriſiurandi religione decorauit: quòd ipſi contra Titanas, vnà cum filiis opem tulerit.

Ponti verò & Terræ hi ſunt filii, Phorcus, Thaumas, Nereus, Eurybœa, Ceto.

Ex Thaumante autem, & Electra Oceani filiis natæ ſunt, Iris, Harpyiæ, Aello, & Ocypete.

Ex Phorco & Cetone gignuntur Phorcyades, Gorgones, de quibus dicendum erit: vbi de Perſei rebus conſcribemus.

Nerei, & Doridis, quos Oceanus genuit, Nereides filiæ fuerunt: quæ hiſce nominibus appellantur, Cymothoë, Spiò, Glaucothoë, Nauſithoë, Thalia Eratò, Saò, Amphitrite, Eunice, Thetis, Eulimene Agaue, Eudora, Dotò, Pheruſa, Galatea, Arctæa, Protomeduſa, Hippothoë, Lyſianaſſa, Cymò, Pione, Halimede, Pleſaure, Eucrate, Proto, Ploto, Calypſò, Panope, Crantò, Neomeris, Hipponoe, Deianira, Polynoe, Autonoe, Melie, Dione, Iſæa, Derò, Euagore, Pſamathe, Eumolpe, Ione, Dynamene, Cetò, Limnorea.

Iupiter autem Iunonem ſibi connubio iunxit, ex eaque Heben, Ilithyian, & Argen procreauit. ad hæc multis cùm mortalibus, tum immortalibus mulieribus admiſcetur. Ex Themide igitur Cœli filia, Horas creat, Irenen, Eunomiam, Dicen. Parcas Clothò, Lacheſin, Atropon. Ex Dione Venerem: ex Eurynome, Oceani filia, Gratias, Aglaiam, Euphroſinen, & Thaliam: De Styge Proſerpinam: è Mnemoſyne, Muſas, quarum Princeps omnium eſt Calliope, deinde Cliò, Melpomene, Euterpe, Eratò, Terpſichore, Vrania, Thalia.

*Muſarũ nomina, Calliope Muſarũ princeps.*

& Polymnia.

*Orphei melos.*

Atqui Calliopes, & Oeagri Linus, dictus Apollinis, filius fuit, quem Hercules interemit, & Orpheus, qui citharœdicam exercuit: cuius cantu lapides, arboréſque promouebat. Hic, poſt Euridicem coniugem ſerpentis morſu è medio ſublatam, ad Plutonis reuocaturus ipſā deſcendit, ab eóque perſuaſus, ei reducendæ vxoris poteſtatem facit, ea lege, ac pacto vt inter redeundum

*Orphei ad inferos deſcenſus.*

Orpheus coniugis cōſpiciendæ gratia antea nunquam reſpiceret, quàm, cùm iam domum perueniſſet ſuam. Ille autem haudquaquam fidens, conuerſus Eurydicen vxorem inſequentem ſpectauit: Quæ tum ad* Plutonis remeauit. Poſt hæc Orpheus, Dionyſij myſteriis inuentis, diſcerptus à Mænadibus ad pieriam ſepultus fuiſſe proditur.

*Plutonem.*

*Orpheus ſcerptus.*

Cliò Pierum Magnetis filium, Veneris ira, quòd ei Adonidis amorem exprobraſſet, deperiuit, cuius compreſſu Hyacinthum filium concepit.

Huius amore Thamyris Philammonis, & Argiopes nymphæ filius inflammatus fuit. Hic maſculam Venerem primus incepiſſe dicitur: Sed Hyacinthum amaſii diſco percuſſum Apollo inuitus occidit.

Thamyris cum forma corporis præſtans, tum fidibus clarus, de cantu Muſas prouocauit, omniúmque concubitum victor, victus autem illarum arbitratu ſe multatum iri paciſcitur. Muſæ itaque *ſuperatum Thamyrin oculorum luce, & citharœdica priuant.

*Thamiras à muſis occæcatus.*

Cæterum Rheſus fuit Euterpes, ac Sirymonis amnis filius, quem in bello Troiano Diomedes obtruncauit. Nec deſunt, qui hunc Calliope natum eſſe ſcribunt.

*Curetes.*

*Corybantes ex Apolline, & Thalia geniti ſunt. At Melpomene, & Acheloo, Syrenes, de quibus vbi de Vlyſſe agetur, dicemus.

*Iuno citra cōcubitū parit.*

Iuno citra cuiuſquam cōcubitum peperit Volcanum. Sed Homeri teſtimonio, & hunc Ioue natum eſſe confirmatur: Quem Iupiter matri in vincula coniectæ opem ferentem de cœlo præcipitem dedit. Nam coniugem, quòd Herculi ad Ilium deuaſtandum nauiganti tempeſtatem intuliſſet, ex Olympo ſuſpenderat, Volca-

num verò in Lemno inſula deiectum, & eo caſu claudũ factum Thetis ſeruauit incolumem.

Iupiter ad hæc Thetidi varias alternanti formas, quo illius vitaret amplexus, immiſcetur: Quam cum grauidam eſſe perſenſiſſet abſorbere occupat: quoniam poſt natam ex ea puellam, filium ſe parituram dicebat, qui cœli dominatione potiturus eſſet. Id futurum veritus eam abſorbuit. Vbi verò pariendi tempus aduenit, Prometheus, ſiue, vt alij tradunt, Volcanus eius caput ſecuri percuſſit. déque illius vertice ſecus * Tritonem amnem armata Pallas exiliuit. *Thetis à Ioue compreſſa.* *Palladis ortus vnde Tritonia.*

Cæterum de Cœi filiabus Aſteria * fugiens Iouis complexum, in coturnicem mutata ſeipſam demiſit in pontum, & ab ea, quæ Aſteria vrbs prius appellata fuit, poſtea Delos nomen accepit: Siquidem Latonam ab Ioue compreſſam per vniuerſum terrarum orbem Iuno inſectata eſt, donec Delum peruenit. atque ibi Dianam prius peperit, qua obſtetrice adiuta mater Apollinẽ deinceps edidit. Enimuero Diana venationis ſtudio delectata, virgo permanſit. Apollo autem diuinandi facultatem edoctus à Pane Iouis & Contumeliæ filio Delphos, (quo tempore Themis illic oracula dabat) ſe contulit. At cùm templi cuſtos Pytho ſerpens ab hiatus aditu prohiberet Apollinem, hoc perempto Deus templum occupat, neque longo pòſt tempore Tityum quoque Iouis ex Elara Orchomeni filia natum interemit. quam Iupiter vbi impleuit, Iunonis metu ſub terram occuluit, conceptúmque filium Tityum innuſitatæ magnitudinis in lucem edidit: Hic igitur in Pythonem contendens, Latonam conſpicatus, eiúſque deſiderio detentus abripit. Hæc filiorum opem implorat, ij Tityum ſagittis conficiunt, qui vel mortuus cruciatur. Vultures enim apud inferos eius cor depaſcere nunquã deſiſtunt. *Aſterie.* *Ortus Apollinis.*

Apollo etiam Marſyam Olimpi filium occidit, Hic enim, cùm tibias inueniſſet, quas Minerua, quòd informem vultum efficerent, abiecit: Apollinem de muſica prouocare non dubitauit. Hoc de compacto in certamen deſcendũt, vt victor arbitratu ſuo deuinctum afficiat. Inito igitur certamine conuerſa cithara certabat *Suppliciũ Tityi apud inferos.*

Apollo, idémque vt Marſyas faceret, imperauit, quod cum ille tibiis nequiret, Apollo præſtãtior eſt inuentus. Quare ſuſpenſum Marſam è proximæ ac patulæ pini ramo detracta pelle ita confecit.

Marſya mors.

Sed, & Diana Orionem in Delò necauit, hunc Terra natum vaſtiſſima corporis magnitudine fuiſſe memorant: eum Neptuni ex Euryale filium Pherecydes eſſe refert. Huic à Neptuno patre in ſummo mari pedibus incedendi facultas data fuit. Hic Siden vxorem habuit, quam Iuno ſecum de forma certare auſam ad inferos detruſit: Quíque cum remeaſſet in Chium, Meropen Oenopionis filiam in connubium poſtulauit: Hunc Oenopion per ebrietatem ſomno ſepultum excæcauit, & ſecus littora eiecit. Hic autem officinam ærariam ingreſſus, puerum abripuit, ac ſuis humeris impoſuit, ſéque verſus orientem ſolem vt ductaret, imperauit, quò cum veniſſet, Solis radiis excalefactus priſtinam oculorum lucem recuperauit, inde confeſtim aduerſus Oenopionem contendit. Sed & Neptuno quidem Volcani artificio ſubterraneum domicilium fecit. Ad hæc Aurora eius amore capta Orionem rapit ac ſecum in Delum tranſtulit: Nam Venus, quòd cum Marte concubuerat, perpetuo illam ardore cruciabat. Nec deſunt, qui ſcribant Orionem, quòd Dianam, vt ſecum diſco luderet, inuitaſſet, occiſum fuiſſe. Sed aliis proditur, inferentem vim Opi vni è virginibus, quæ ab Hyperboreis venerunt, à Diana ſagittis confixum fuiſſe. Neptunus autem Amphitritem Oceani filiam ſibi coniugio copulauit: ex qua Triton, ac Rhode, quæ Soli nupſit, orti ſunt.

Pluto.

* Pluto Proſerpinæ amore ſuccenſus incredibili, eam Iouis adiumẽto furtim rapuit. At Ceres accenſis facib⁹, noctes, atque dies vniuerſum terrarum orbem veſtigando luſtrauit: quæ, vbi renuntiatur, à Plutone filiam fuiſſe præreptam, diis irata cœlum reliquit, mortalique aſſimilata mulieri Eleuſinem contendit, ac primò quidem Agelaſtum de ſuo mœrore appellatum, non procul à Callichoro puteo lapidem inſedit: Inde ad Celeum iam tum Eleuſiniorum Regem, profecta, ad illius mulieres introducta eſt: à quibus, cùm, vt aſſideret,

rogaretur, anus quædam, cui Iambe nomen fuit, Deam ſcommatib. laceſſiuit: eáque ratione, riſum illi excuſſit: qua de re in Theſmophoriis mulieribus ſcommatum licentiam enatam fuiſſe memoratur. Celeo tum ex Metanira coniuge filius erat: hunc in ſinu ſuo aſſumptum Ceres alebat, quem cùm immortalem facere vellet, per noctes in igne deponebat infantem, ac eum in modum, quidquid in illo mortalitatis inerat, adimebat.

Puer autem, cui * Deiphonti nomen erat, in dies ſupra quàm credi poſſet, adoleſcebat: mater, quid nam Dea faceret, obſeruat, cúmque igne coopertum deprehendiſſet filiolum, exclamauit, Quocircà puer ab igne fuit abſumptus, ſeque ipſam Dea agnoſcendam dedit: ac Triptolemo Metaniræ natorum maximo currum ab alatis trahendum draconibus comparat, triticúmque conceſſit, quod per aërem vectus vniuerſo terrarum orbi ſerendum condonaret.

*Triptolemo.*

*Quidã dicũt non triptolemũ ſed Eleuſiũ parẽ peruiſſe.*

*Cereris beneficium.*

Atqui Panyaſis, Triptolemum, Eleuſynis inquit, filium: ad eum enim Cererem perueniſſe refert. Pherecydes autem ipſum Oceano, & Terra natum eſſe ait. Inter hæc Iupiter Plutoni, vt Proſerpinam remitteret, imperauit. Quare Pluto, ne penes matrem ea diu remaneret, punici mali granum dedit illi comedendum. Hæc autem, cùm quid mãderet, minimè præuideret, id ipſum confecit.

Ceres Aſcalapho Acherontis, & Gorgyræ filio, quòd falſum in eam teſtimonium dixiſſet, graue ſuper impoſuit ſaxum apud inferos.

*Aſcalaphi ſupplicium.*

Sic demum Proſerpina tertiam ſingulorum annorum partem cum Plutone manere compellitur. Quod ſuper eſt illi cũ ſuperis degendum erat. Hæc itaq; ſunt, quę de Cerere traduntur.

Opis adhæc Titanibus irata gigantes è Cælo non modo corporis magnitudine præcellentes, ſed viribus etiã inuictiſſimos procreauit: qui terribili planè vultu, promiſſo è capite capillo, & prolixa è mento barba præditi eſſe videbantur, & anguineos pedes habuiſſe produntur. Sunt, qui in Phlegræis cãpis, alij verò ad Pellenen eos habitaſſe ferunt. In cælum ſaxa, atque accenſas

*Gigantum procreatio.*

arbores iaculabantur, in quibus Porphyrionem, & Halcyoneum omnium facilè principes fuiſſe legimus. Qui, ea, in qua natus eſſet, terra dimicans, erat immortalis. Hic etiam ſolis boues ex Erythia abegiſſe dicitur. Cęterum inter Deos rumor erat, gigantum poſſe occidi neminem: Verum ſi mortalium quiſpiam in ſocietatem arceſſatur, eos interituros eſſe. Quod cùm Terra præſenſiſſet, ne mortalis cuiuſpiam viribus gigantes occiderent, remedium quæritabat. Tum Iupiter Auroræ, Lunæ, ac Soli, ne proderent imperauit. Ipſe itaque remedium ne Terra comperiret anteuertens præcidit. Siquidem ad ſe conſilio Palladis Herculem ſocium accerſiuit. Qui primus omnium Halcyoneum ſagitta confoſſum interemit: Hic autem longè plus, quàm antea, virium reſumebat à Terra, donec Minerua ſubmonente ipſum extra Pellenam vrbem abſtraxit: & ſic eum obiiſſe traditur.

*Hercules Halcyoneũ ſagitta confodit.*

Porphyrio autem in Herculem, & Iunonem pugnans impetum facit. Cui tum Iupiter Iunonis deſiderium iniecit: quæ cùm ſibi peplum diſcindi, ac vim parari videt, opem quæritat. Tum gigas ab Ioue fulminatus, & ab Hercule ſagittis transfixus occubuit. Inter cęteros Apollo læuum Ephialtæ oculum, dextrum Hercules ſagittarum ictu effoderunt. Eurytum verò querno telo peremit. Clytium ab Hecate, ſeu potius à Volcano candenti ferro occiſum fuiſſe ſcribitur. Minerua Encelado fugienti Siciliam inſulam obiecit. Pallanti autem pelle detracta in pugna ſuum ſibi corpus contexit. Polybotes item per maris fluctus Neptuno inſectante in Co tandem peruenit. In hunc Deus inſulæ partem reuulſam pro telo coniecit: quæ Niſyros inſula facta eſt. Mercurius Orci galea tectus pugna cõfecit Hippolytum, Grationem Diana, Agriũ deinde Parcæ, & Thoonem æneis clauis pugnantes contuderunt.

*Porphyrionis interitus*

*Gigãtum interitus.*

Reliquos autem fulmine ictos Iupiter interfecit. Sed & Hercules ita pereuntes ſagittis confodit. Poſt igitur debellatos à ſuperis Gigantas, Terra longè atrocius indignata Tartaro immiſcetur, ac Typhonem duplici natura, humana ſimul, atque ferina conſtantem in Sicilia parit. Hic & corporis vaſtitate, & robore cęteris omni-

*Ortus Typhonis gigantis.*

bus,quos Terra genuerat,antecellebat.Huic etiam crurum tenus immenſa humanæ formæ magnitudo erat, vt omnium montium cacuminibus altior eſſe videretur:cuius etiam caput ſæpenumerò aſtra pertingebat. Sed & eiuſdem manuum altera ad Heſperum vſque, & altera ad orientem pertinebat. Ex his centum draconum capita eminebant:in cruribus maximas viperarum ſpiras ille continebat: quarum volumina ad verticem ipſum vſq; protendebantur eæque viperæ ingentem ſibilum excitabant. Typhonis corpus erat totum pennis circumdatum.

Squalentes autem è capite crines,& mento barba impexa, prolixáque ventilabant. Igne oculi emicabant. Talis itaque,tantúſq; Typhon candentes in cælum lapides iaculatus cum ſibilo ſimul, atque boatu ferebatur. Magna etiã ex ipſius ore ignis procella deferuebat.Hũc vbi dij in cælum proſpiciunt irrũpentem,acti in fugam in Ægyptum properabant, & vbi illum inſequentem vident,in varias animantium formas ſeſe quiſque tranſmutabat.

Iupiter autem procul à ſe Typhonem conſpicatus fulmine percuſſit, vbi verò cominus fuit, adamantina illum falce deterruit,ac fugientem ad Caſium vſque extremæ Syriæ montem perſecutus eſt, ibique cum ſaucium eſſe cognouiſſet,manus conſeruit. Typho autem ſpirarum volumine circumplexum Iouem detinuit, eique Harpe adempta pedum, manuúmque neruos diſſecuit,impoſitúmque humeris in Ciliciam vſque tranſuexit:quò cùm perueniſſet intra Corycium antrum depoſuit, ſimilique modo,& neruos præciſos in vrſi pelle occultatos ibidem collocauit, ac Delphynen ſerpentem, (ſemifera hæc erat puella) velut cuſtodem appoſuit. Interim verò Mercurius, & Ægypan neruos ſuffurari clanculum Ioui rurſus compegerunt. Mox Iupiter receptis priſtinis viribus alatos equos currui repente iungit,eúmque actutum conſcendit, ac Typhonem ad Nyſam vſque montem fulminibus impetendo eſt perſecutus,vbi Parcæ, quem Deus inſecutus eſt fruſtratæ ſunt.Nam,cum ſibi in animum induxiſſet, ſe valentioré fore,matura,ac mitia poma guſtauit. Proinde

cùm Iouem rurſus inſequentem videret, contendit in Thraciam, pugnáque ad Hæmum commiſſa ſolidos montes iaculatus eſt. Hi verò contrà, noua fulminum vi deturbantur multúmque in ipſo monte ſanguinis exundauit: à quo Hæmi nomen factum fuiſſe ferunt. Quique cum per Siculum mare fugere incepiſſent, Iupiter Aetnam Siciliæ montem ſuper iniecit: Hic miræ vaſtitatis eſt, à quo in hanc vſque tempeſtatem ob frequentem fulminum tactum, ignium in eo fieri ſpiramenta videntur. De his autem hæc hactenus à nobis dicta ſunt.

Interea verò Prometheus formatis ex aqua, & terra hominibus clam Ioue ignem in ferula furatus immiſit. Quòd vbi ſenſit Iupiter, * Volcano ad montem Caucaſum religandum, affigendúmque dedit. Scythiæ Mons eſt Caucaſus, vbi Prometheus clauis confixus multorum annorum curriculo religatus permanſit. Ad quem Aquila quotidie deuolans huius hepatis fibras per noctem ſuccreſcentes depaſcebatur. Igitur ob ignis furtum hanc pœnam Prometheum dediſſe memorant: donec Hercules eum vinculis liberauit. Quemadmodum in rebus ab Hercule geſtis demonſtrauimus.

*nonnulli: Mercurio.*

Cæterum Deucalion Promethei filius fuit: Hic imperio tenens eam partem, quæ ad Phthiam iacet, Pyrrham Epimethei, & Pandoræ filiam vxorem ducit, quam mulierem omnium primam Dij finxerunt. Poſt, vbi prolem æneam tollendam Iupiter cenſuit, Deucalion Promethei conſilio fabrefacta è lignis arca, in eámque ad vitam tranſigendam rebus neceſſariis impoſitis, cum Pyrrha ingreſſus eſt. Mox Iupiter largè effuſis de cælo imbribus, maximam Græciæ partem cooperuit, vt quidquid in ea mortalium foret, interierit, præter admodum paucos, qui in altiſſimos circa montes confugerant: Tum verò Theſſalicos montes aquarum diluuij immunes fuiſſe ferunt. Nec non, quæ ſunt Iſthmum extra & Peloponneſum loca vndarum vi omnia contecta fuerunt: quo tempore Deucalion nouem dies, totidémque noctes pelago circumlatus Parnaſſum demum appellit: ibíque poſt imbrium

*Pyrrha omnium mulierum prima.*

*Cataclyſmus.*

pauſam egreſſus Ioui Phryxio, qui ad eum confugientibus opem ferre conſueuit, ſacris operatur. Iupiter interea demiſſo ad Deucalionem Mercurio, vt rogaret, quid ab eo vellet, iniunxit. Quo facto Deucalion humani generis reparationem depoſcit, inde Iouis monitu ſumptos de Terra lapides trans caput iactauit: tum quos miſit Deucalion, virorum faciem traxerunt, qui verò, Pyrrhæ iactu tranſmiſſi ſunt, in fœminas abiere. *Iactu lapidũ homines procreantur.* Hinc itaque λαοί, quod eſt populi, tranſlatione quadam dicti ſunt, quaſi lapidei: λᾶας enim Latinis lapidem ſignificat. Porrò ex Deucalione, ac Pyrrha nati ſunt, Hellen ante alios, quem ab Ioue ortum eſſe nõnulli tradũt. *Vnde nomẽ λαός.* Inde Amphictyon, qui cum Cranao Atticæ imperauit. Huic inſuper Protogenea filia fuit: ex qua, & Ioue Aëthlius procreatur. Ex Hellene verò, & Orſeide nympha Dorus, Xuthus, & Æolus. Is quidem de ſe Hellanas qui poſtea græci vocati ſunt, nominauit, filiis, & hic loca partitus eſt. Xuthus adeptus Peloponneſum ex Creuſa Erichthei filia, Achæum genuit, & Iouem, à quibus Achiui, & Iones nuncupantur. *Vnde Achæi & Iones.* Dorus autem, quæ trans Pelopõneſum eſt, terram nactus, incolas ſuo de nomine Dorienſes appellauit. Æolus verò locis Theſſaliam proximis imperans, populis Æolenſib. nomen impoſuit. *Vnde dores & Æoli.* Qui ducta Enarete Demachi filia, ſeptem ex ea filios procreauit, Chriteum, Siſyphum, Aſthamantem, Salmoneum, Deionem, Magnetem & Perierem. Sed & filias quinque Canachen, Halcyonem, Piſidicen, Calycem, ac Perimedem. Ex Acheloo verò, & Perimede Hippodamas, & Oreſtes. Ex Piſidice, & Myrmidone Antiphus, & Acton nati ſunt.

Cæterum Halcyonem, Ceyx Luciferi filius ſibi in matrimonium duxit. Hi ob ſuperbiam extincti fuerunt. Ille enim Iunonem ſibi coniugem eſſe prædicabat: hæc verò Iouem virum eſſe ſibi iactitabat. Vtrúmque Iupiter in aueis, illam in halcyonem, hunc in mergum transformauit. *Halcyone & ceyx ob ſuperbiam extincti.*

Atqui Canache, & Neptunus Opleum, Nereum, Opopeum, Aloëumque, & Triopem genuerunt.

Sed Aloeus Iphimediam Triopis filiam, quæ Neptunum exarſit, vxorem habuit: ea continenter ad mare ſe

conferens, & hauſtos manibus fluctus intra ſinum ferebat: quæque à Neptuno compreſſa geminos peperit, Otum, & Ephialtem, quos Aloidas appellarunt. Hi quotquot annis latitudine cubitum, longitudine verò vlnam increſcebant: qui vbi nonum expleuere annum, latitudinem cubitum nouem, & vlnarum totidem magnitudinem adepti, Ioui bellum inferre nō erubuerūt. Proinde Olympo Oſſam impoſuerunt, Pelióque ſuper Oſſam impoſito, eum in modum cælum conſcenſum ire minitari. Ingeſtis ad hæc montibus dę mari continentem, deque terra rurſus maria ſe reddituros dictitabant. Quinetiam Ephialtes Iunonem, Otus autem Dianam ſibi coniugem depoſcebant. Martem inſuper in vincula coniecere: quem demum Mercurius furto eripuit. Diana interim Aloidas per dolum de curru peremit: nam in ceruam mutata per eorum medium exiliuit. Tum hi velut in feram collimaturi alter alterum, telis coniectis occiderunt.

*Olympus Oſſa dictus.*

*Aloidū Interitus.*

Ad hæc Endymion Calyces, & Æthlij filius qui eductis Æolenſibus è Theſſalia Elidem tranſmigrauit. Nec deſunt, qui eum Ioue natum eſſe memorarunt, hunc ob eximiam corporis pulchritudinem Luna flagrantiſſimè deperiuit: Cui data ab Ioue, quæcunque vellet, deligendi poteſtate, cum ſomno perpetuo immortalem ſibi iuuentutem concedi poſtulauit.

*Vide prouerbiū Endymionis ſomniū dormire.*

Cæterum Æolus Endymionis, & Seidis Nymphæ, aut Neidis, ſiue, vt quidam aiunt, Iphianaſſæ filius fuit. Qui cum peremiſſet Apim Phoronei filium, atque in Curetidem terram aufugiſſet, occiſis hoſpitibus Phthię, & Apollinis filiis, Doro, & Laodoco, ac Polipœte, ſuo de nomine terram Ætoliam appellari cenſuit. Sed ex Ætolo, & Pronoë Phorbi filia, Pleuron, & Calydon nati ſunt, à quibus, quæ ſunt illis cognomina in Ætolia vrbes, nomen acceperunt.

Pleuro ducta vxore Xantippe, Dori filia, Agenorem procreat, & filias Steropen, Stratonicénque, & Leophontem.

Calyaon autem ex Æolia Amythaonis filia, Epicaſten, & Protogeneam, ſuſcepit, ex qua, & Marte naſcitur Oxylus. Agenor Pleuronis filius Epicaſten Ca-

lydone natam coniugem duxit, de qua Parthaonem, & Demonicen genuit, quæ de Marte marito, Euenum, Molum, Pylum, Theſtiúmque conceptos peperit.

Euenus ſanè Marpeſſam, quam cum Apollo ſibi collocari in matrimonium quęritaret: Idas Apharei proles, ſumpto à Neptuno curru pennato rapuit, inde è curru inſequens Euenus ad amnem Lycormam venit, neque aſſequendi voti compos factus equos iugulauit, ſeque ipſum deinceps in fluuium pręcipitem dedit: eique Euenus nomen inditum fuit. *Euenus fluu. vnde ſic dictus.*

At Idæ Meſſenem proficiſcenti obuiam factus Apollo virginem aufert, qui cum inter ſe de puellę matrimonio concertarent, Iupiter eorum lite dirempta, virgini, vtri collocari vellet, optionem dedit. Hæc verita ne ſe anum factam Apollo deſereret, Idam ſibi virum eſſe maluit.

Theſtius verò ex Eurythemide Cleobœa filia fœminei ſexus quidem. Althæam, & Hypermneſtram ſuſtulit: mares autem Iphiclum, Euhippum, Plexippum, Eurypylúmque creauit.

Parthaonis verò, & Eurytes Hippodamantis filij fuere, Oeneus, Agrius, Alchathous, Melas, & Leucopeus, filia Sterope, de qua, & Acheloo Sirenas ortas eſſe dicunt. *Sirenum ortus.*

Sed Oeneus Calydone imperans vitis plantam à Dionyſio primus accepit, ac ducta vxore Althæa Theſtij filia Toxeum gignit, quem ipſe, quòd foſſam tranſilierit, interfecit, & poſt hunc Thyreum & Clymenum, filiam quoque Gorgen, quæ nupſit Andræmoni, ac Deianiram, quam nonnulli Althæam ipſam ex Dionyſio genuiſſe ferunt. Hæc autem aurigandi perita rem bellicam exercebat, de cuius matrimonio Hercules cùm Acheloo dimicauit. *Oeneus vxorem interficit.*

Sed Althęa ex Oeneo Meleagrum cõceptum peperit: quem Marte ſatum quidam fuiſſe tradunt. Ad quem ſeptem dies natum, ipſas iam aduenisse Parcas, ac dixiſſe aiunt, Tum Meleagrum extinctum iri, cum ſtipes in foco accenſus peruſtus fuerit: quod vbi mater audiuit, ſtipitem ex igne ſublatum, intra arcam aſſeruandi cauſſa condidit. Porrò Meleager cum natura eſſet inuulne- *Meleager*

*inuulnerabilis.* rabilis ac generoſus hunc in modum occubuiſſe dicitur. Cùm annuæ in agro fruges rediiſſent, rerum primitias Oeneus diis omnibus, vna tantum Diana per obliuionē prætermiſſa, dono dedit. Quocirca irata Dea aprum immiſit, & magnitudine, & robore inſignem, qui terram coli, ac in ea ſata fieri minimè ſinebat, pecoráq; omnia, & obuium quémque tollebat è medio. In hunc itaque aprum, valentiſſimum quémque conuocauit, eique, qui feram tam immanem occidiſſet, pellem pulcherrimi facinoris præmium ſe daturum pollicetur. Qui verò ad apri venationem conuenerint, hi fuere: Meleager Oenei, Dryas Martis, hi Calydonij ſunt. Idas, & Lynceus Apharei, Meſſenij. Caſtor, ac Pollux fratres, Iouis, & Ledæ filij, Lacedęmonij. Theſeus Ægei Athenienſis. Admetus Pheretis domo Pheris. Ancæus, Cephuſque, Lycurgi ex Arcadia. Iaſon Æſonis ab Iolco. Iphicles Amphitryonis, Thebanus. Pirithous Ixionis, Lariſſæus. Peleus Æaci à Phthia. Telamon Aeaci Salaminius. Eurytion Actoris, Phthius. Atalanta Schœnei ab Arcadia. Amphiaraus Oiclei, Argiuus. Quibus cum & Theſtij filij conuenerūt: hos, vbi coiuiſſent, Oeneus nouem dies hoſpitio ſuſcepit: Decimo autem poſt die Cepheum, Ancæúmque, ac nonnullos alios venatum ire cum fœmina indignum facinus eſſe reputanteis, Meleager Cleopatræ Idæ, & Marpeſſæ filiæ maritus, quòd ex Atalanta quoque liberos procreare deſiderabat, iam cum ipſa ſimul in venationem exire compulit. Deinde verò, cùm clariſſimi illi venatores aprum ipſum circumſtitiſſent, Pyleus, atque Ancæus à bellua crudeliter vulnerati interierunt. Sed Pyleus Eurytionem nolens iaculo confodit: & Atalanta omnium prima feram in tergo ſagitta percuſſit, ab illa verò Amphiaraus aprum in oculo vulnerauit: inde Meleager transfoſſo latere belluam interfecit. Mox detractam pellem Atalantæ muneri dedit. Tum Theſtij filij quòd viris pręſentibus fœminę præmia concedantur, improbantes, pellem Atalantæ donatam abripiunt: quam ſibi iure ſanguinis obuenire ſi Meleager eam capere nolit, affirmabant.

*Ira Dianæ ob ſui cultus contemptum.*

*Meleager aprum occidit.*

Quamobrem irarum plenus Meleager Theſtij filios obtruncauit, ac pellem Atalantæ reſtituit. Interea verò

Althęa mœrore confecta de fratrum cæde, ſtipitem rurſus accendit, quo facto Meleager extemplo contabuit. Sunt autem, qui Meleagrum non ita extinctum fuiſſe dicant. Sed cum Theſtij filij de fera ita contenderent, quòd primus omnium Iphicles aprum ſauciaſſet, Curetibus, & Calydoniis bellum conflatum eſſe. Inde in medium progreſſus Meleager nonnullos, etiam è Theſtij filiis occidit. *Meleagri mors.*

Tum Althæam filium execratam fuiſſe aiunt, eum verò ob conceptam iram domi manſitaſſe. De hinc hoſtibus ad mœnia proximè accedentibus, & ciuibus ipſum ſuppliciter, vt patriæ laboranti opem ferret, orantibus, ægrè ab vxore perſuaſum tandem domo exiiſſe memorant: atque vbi reliquos Theſtij filios occidit pugnando, in humanis eſſe deſiiſſe. Poſt autem Meleagri interitum, Althæa, & Cleopatra ſeſe dilaniarunt. Et, quæ mortuum deplorauere mulieres in aueis ſunt commutatæ. *Althea & Cleopatra mors.*

Oeneus, Althæa vbi è vita diſceſſit, Peribœam Hipponoi filiam duxit vxorem. Hanc autem, qui Thebaidem conſcripſit expugnata, inquit, Oleno cepiſſe Oenea munus. Sed Heſiodus ex Oleno Achaiæ oppido, defloratam ab Hippoſtrato Amaryncei filio, Hipponoum patrem miſiſſe ad Oeneum qui tum procul à Græcia agebat, vt ipſam longè aliquò amandaret, præcepiſſe.

Sunt quoque qui referant, Hipponoum, cùm filiam ſuam ab Oeneo vitiatam fuiſſe, cognouiſſet, grauidam ipſam ad hunc ablegaſſe, quæ demum Oeneo Tydeum peperit. Piſander autem ipſam ex Gorge ortam eſſe ait, Oeneúmque Iouis nutu filiam ardentiſſimè deperiſſe.

Tydeus verò, cum iam vir fortiſſimus euaſiſſet, interfecto, vt quidam docent, Oenei fratre Alcathoo, in exilium fuit eiectus. Sed is, qui Alcmæodinem tragœdiam ſcripſit, teſtatur Melanis filios Oeneo inſidiantes, nempe Phineum, Euryalum, Hyperlaum, Antiochen, Eumedem, Sternopem, Xantippum, ac Sthenelum, vt verò Pherecydes ait, Olenium fratrem ipſum ſuum: Agrio autem ipſi dicam impingente confugiſſe ad Argiuos,

Adraſtúmque adiſſe, ductáque eius filia Deipyle in matrimonium, Diomedem procreaſſe. Tydeus itaque aduerſus Thebas cum Adraſto in bellum profectus pro Melanippo vulneratus occubuit. Sed Agrij filij Therſippus, Oncheſtus, Prothous, Celeutor, Lycopeus, Melanippus occupatum Oenei regnum patri attribuerunt, quinetiam viuentem adhuc Oeneum in vincula coniectum flagris cædebant. Deinde verò Diomedes ab Argis regreſſus cum altero clanculum, Agrij quidem filios præter Oncheſtum, Therſippúmque, omneis è medio ſuſtulit, quoniam illi in Peloponneſum ex fuga ſeſe antea recepiſſent. Atqui regnum, cum iam ſenio confectus Oeneus eſſet, Andræmoni Oenei filiæ marito conceſſit habendum, Oeneúmque in Peloponneſum abduxit.

*Tydei mors*

Sed qui periculum euaſerant, Agrij filij in inſidiis latitantes, circa Telephi Veſtam in Arcadia ſenem occiderunt.

Verùm vita functum Diomedes Argos tranſlatum, hic, vbi, nunc ab eo vrbi nomen eſt inditum Oenoë, ſepeliuit: & ducta vxore Ægialea Adraſti filia, ſiue (vt aliis placet) Ægialei, contra Thebas, Troiámque bellum intuliſſe perhibent.

Cæterum ex Æoli filiis Athamas Bœotiæ Regulus, ex Nephele marem genuit Phrixum, filiam verò Hellen, & is vxore Nephele * mortua, Iunonem ſibi cõnubio iungit: de qua Learchum, & Melicertam filios habuit. Sed inſidias nectens à Nephele natis Ino, triticum vt torrerent mulieres, perſuaſit, quo ſumpto clàm viris, imperata faciunt. Terra, quòd fruges toſtas excepiſſet, annonam minimè tribuebat. Quocirca Delphos Athamas de caritate, ac penuria rerum vitanda miſit, qui ſciſcitaretur oraculum. Ino verò, miſſos ad id reſpondendum induxit, vt ſi ſterilitate liberari velint, Apollinem præcepiſſe referant, Ioui Phrixum eſſe iugulandum. Quod vbi accepit Athamas, cum ab agrorum colonis impelleretur, Phrixum ad aram conſtituit. *Nephele interim ipſum cum filia eripuit, & à Mercurio aurei velleris arietem acceptum dedit, quò cum per aerem veherẽtur, quidquid terræ, ac maris interiacebat, ſuperarunt. Poſt, cum ad id freti, quòd Sigeum inter, & Cherſonneſum exiſtit,

**Nubes,*
** Nubes.*
** Nubes.*

existit, veniſſent, Helle in profundum decidit, ibique extincta ab ea Helleſpontus appellatur. Phrixus autem in Colchos vſque penetrauit, huc ſcilicet, vbi Aeetes Solis, ac Perſeides filius imperabat: hanc Circes, & Paſiphaes, quam Minos coniugem habuit, ſororem fuiſſe perhibent. Aeetes itaque Phrixum hoſpi tio ſuſcepit, eique Chalciopem filiam nuptui dedit. Hic autem Ioui Phyxio velleris aurei arietem ſacrificauit, & eius pellem Aeetæ ſocero dono dedit. Is autem ad quercum in Martis luco clauis confixit. Phrixus verò ex Chalciope Aeetę filios quatuor extulit, Argum, Melanem, Phrontidem, & Cytorum. Athamas deinde ob Iunonis iram, & filiis etiam, quos ex Inone ſuſtulerat, orbatus fuit. Ipſe enim furore percitus Learchum ſagitta interemit. Ino autẽ Melicertam ſecum ipſa in mare deiecit. Is è Bœotia pulſus Deum rogauit, vbi nam gentium eſſet habitaturus, oraculo monitus eſt eo in loco, vbi ab agreſtibus animantibus hoſpitio exceptus fuerit, ſedem poneret, Qui, cùm multum terrarum peragraſſet, lupis, qui ouium femorib. paſcebantur, fit obuius: quem cùm illi vidiſſent, quæ dilaniabant, relictis, in fugam ſeſe dederunt. Poſt Athamas, loco exædificato à ſe nomen Athamantiã impoſuit, Deinde Themiſtonem Hypſei filiam cepit vxorem, ex eáque Leuconem, Erythoem, Schœneum, & Proum genuit.

*Vnde Helleſpontus dictus.*

*Athamantia.*

Siſyphus autem Æoli filius condita Ephyra, cui nunc Corintho eſt nomen, Meropen Atlantis filiam ſibi vxorem coniungit: ex iis Glaucus oritur, qui Bellerophontem ex Eurymede ſuſcepit. Hic igniuomam Chimæram occidit. Ad hæc Siſyphus apud inferos ſaxo manib. & capite ſubuoluendo cruciatur, idque, vbi in ſumma reportauit: deintegro mox ad ima deuoluitur. Sunt, qui hanc pœnam ob Æginam Aſopi illatam fuiſſe dicant. Quòd occultum illius raptorem Iouem Aſopo filiam veſtiganti detexiſſe fertur.

*Siſyphi apud Inferos ſupplicium.*

Deion autem Phocidis Rex Diomedam Xuthi filiam ducit vxorem: quæ illi filiam Aſteropeam parit, & mares Ænetum, Actorem, Phylacum, & Cephalum, qui Procrin Erechthei filiam ſibi coniugauit. Hunc autem contrà Aurora impatienter amans rapuit.

Perieres Meſſena potius Gorgophonem Perſei filiam in matrimonium accepit : de qua Aphareus, Leucippus, Tyndareus & Icarius filij orti ſunt. Plerique verò Perietem aſſerunt non Æoli, ſed Cynortæ, qui Amyclæ filius fuit, natum. Proinde, quæ de Perieris nepotibus traduntur, vbi de Atlantis genere agetur, dicemus.

Magnes autem Æoli filius Naïdem nympham ducit vxorem, ex qua filios gignit Polydectem, ac Dictyn. Hi Seriphum incoluere.

Salmoneus autem prius quidem circa Theſſaliam habitauit, ac reuerſus ipſe in Elidem, vrbem ibi condidit. Qui cum contumelioſus ſuopte foret ingenio ſeque Ioui adæquaret, ſuæ ipſius impietatis pœnas luit. Nam ſe Iouem eſſe prædicabat, & quæ illi dedicari ſolebant, ea ſibi immolari iubebat. Necnon pelles detractas in quadriga cum lebetibus æneis agitans tonitrua ſe concitare dictitabat, necnon iaculans in cælum ardenteis faces fulgura ſe imitati iactitabat. Hinc ipſum Iupiter fulminat: vrbémque ab eo conditam, extinctis ciuibus omnibus ſolo æquauit.

*Salmoneus ob cõtumeliam fulminatus.*

Cæterùm Tyro Salmonei filia ex Alcidice, quæ, cùm apud Cretheum Salmonei fratrem aleretur, Enipei fluminis amore flagrauit, atque ad illius fluenta continenter accedens propter amnem conqueri minimè deſinebat. Neptunus interim ſumpta Enipei forma cum ipſa concubuit. Hæc autem, cum geminos clanculum peperiſſet, infantes exponit. A diacentibus autem pueris, & equariis paſtoribus prætereuntibus, equarum vna, cùm infantium alterum vngula, caſu quodam tetigiſſet, faciei partem liuidulam reddidit, Tum equarius infanteis ambos ſuſcepit alendos, &, cui liuidula reddita eſt faciei pars, Peliam nominauit, quaſi Liuium dixeris, alterum verò Neleum vocat.

Qui cum ad iuſtam, integrámque ætatem perueniſſent, agnita matre, nouercam, quòd eius opera parentem malè affectam percepiſſent, facto in eam impetu occiderunt: quæ, tametſi intra Iunonis templum confugere anteuertiſſet, eam tamen Pelias ſuper aram ipſam iugulauit.

Eámque ob rem nullo vnquam honore Pelias Iunonem affeciſſe memoratur. Atqui poſtea inter ſe diſcordiam exercere non deſierunt. Neleus demum regno pulſus Meſſenam commigrauit, & Pylo vrbe condita Chloridem Amphionis filiam ſibi copulauit: de qua Peronem puellam genuit, ſed mares hoſce, Taurum, Aſterium, Pylaonem, Deimachum, Eurybium, Epidaum, Eurymenem, Euagoram, Alaſtorem, & Neſtorem, & Periclymenum, cui iam Neptunus in varias ſeſe formas tranſmutandi poteſtatem fecit, hinc pugnans, quo tempore Pylum vrbem Hercules vi cepit, modò in leonem, modò in ſerpentem, nunc in apem faciem conuertens ab Hercule tamen cum cæteris Nelei filiis occiſus eſt: Solus autem Neſtor ſeruatus eſt incolumis, quippe qui apud Geremos educabatur, & ducta vxore Anaxibia Cratiei filia feminas Piſidicem, & Polycaſtem, Mares autem Perſeum, Stratichum, Aretum, Echephronem, Piſiſtratũ, Antilochum & Thraſymedem ſuſcepit.

Pelias inſuper Theſſaliam incolebat ducta Biantis filia Anaxibia, ſiue, vt quidam volunt, Phylomache ex Amphione orta filium Acaſtum genuit, & feminei ſexus Piſidicen, Pelopean, Hippothoen, & Alceſtin.

At Cretheus condita Iolco Tyronem Salmonei filiam cepit vxorem: ex qua ſibi filij naſcuntur, Æſon, Amythaon, & Pheres, Amythaon igitur Pylum habitans, Idomenem Pheretis filiam ſibi coniugio ſociauit, cui ex ea liberi oriuntur Bias, & Melampus, qui, cum ruri ageret, ac pro ſuis ædibus quercus exiſteret, in eáque ſerpentium latebra eſſet, occiſis à miniſtris ſerpentibus, cætera quidem reptilia congeſtis lignis concremauit, atqui ſerpentium partus educauit: qui cum ad iuſtum corporis modum ſuccreuiſſent, ipſum iam dormientem circumſiſtunt, & ex vtroque humero illius aures linguis extergebant: tandem expergefactus, excitatúſque, ac perterrefactus, ſuper volitantium auium voces intelligebat, & quæ ab iis futura edocebatur, mortalibus prædicebat, per haruſpicinam præterea vaticinari

*Melampus vaticinãdi peritiſſim⁹.* non ignorabat. Ad hæc Apollini propter Alphæum obuiam factus, de cætero vaticinandi peritiſſimus euaſit.

Bias verò Amythaonis filius Peronem Nelei filiam vxorem depopoſcit. Hic, permultis filiam ſuam expetentibus, eam nulli, niſi, qui Phylaci ad ſe boues abegiſſet, ſe traditurum, dictitabat. Eæ verò ad Phylacam vrbem cuſtodia canis ſeruabantur, ad quem neque mortalium quiſquam, neque ferarum vlla proxime accedere audebat. Quare cùm vi boues abigi nulla poſſent, Melampodis fratris opem ſibi conſtituit implorandam: Id illi Germanus ſe præſtiturum pollicetur, eíque abigeum deprehenſum iri prædixit, Qui, ſi iam annum planè exactum in vinculis iacuerit, ita demum boues habiturum ſe cecinit. Poſt, eiuſmodi pollicitationem ad Phylacen contendit, atque, vt prædixerat, deprehenſus in furto, coniectus in vincula domi cuſtodiebatur. Deinde verò toto propè anni circuitu reuoluto, teredinum in ſummo tecti culmine trabem corrodentium ſonum audit, & quantum è trabe deroſum eſſet, percontante, domeſticis teredinibus tum minimum ſupereſſe reſpondentib. aliò ſe extemplo traduci iubet. Quo vix dum facto, domicilium illud corruit, id admiratus Phylacus, vbi vatem illum optimum aſſe animaduertit, ſolutum vinculis, qui poſſet Iphyclus filius prolem habere, vt vaticinetur, efflagitat. Tum ille, quatenus boues recipiat, ſe vaticinaturum pollicetur. Inde mactatis duobus tauris, corúmque viſceribus particulatim conciſis, ad inaugurandum aueis euocauit, ad quem cùm vultur aduolaſſet, ab eo iam cognoſcit, quòd olim Phylacus arietes in agro ſeceſpita præſecans non procul ab Iphyclo ſanguine adhuc madentem cultrum locauit.

Quare puer metu perculſus cùm ſeſe in fugam conieciſſet, in ſacra quercu, ſeceſpitam defixit, eámque obductus cortex operuit. Inuento itaque cultro, ſi decuſſam, inquit, ferri rubiginem, denos dies Iphyclo in vino potandam dederit, filium de ſe prolem eſſe geniturum. Hæc à vulture prædoctus Melampus ſeceſpi-

tam repetit, & Iphyclo decuſſam ex illa rubiginem denos propriè dies bibendam propinauit, & is Podarcem filium procreauit, ac boues Pylum perduxit, fratrique Peronem Nelei filiam cõſequutus in coniugium collocauit,& Meſſenæ aliquandiu manſit.Poſtea verò, quàm Bacchus Argiuis mulieribus furorem iniecit, pactus regni partem,eas veſania liberauit,quo etiam cum Biante fratre commigrauit.

Porrò Biantis, & Peronis filius Talaus fuit,de quo,& Lyſimache Abantis Melampodis filij, nati ſunt, Adraſtus, Parthenopæus, Pronax, Meciſteus, Ariſtomachus, Eriphyle, quæ nupſit Amphiarao. Parthenopæus autem Promachum creat, qui cum Epigonis in bello contra Thebanos militauit.Meciſteus Euryalum genuit. Qui aduerſus Troiam nauigauit, ex Pronacte natus eſt Lycurgus.

Sed Adraſtus ex Amphithea Pronai filia, fœminei quidem ſexus Argiam,Deipylem,Agialeam ſuſtulit. Mares autem Agialeum,Cyanipumque habuit.

Pheres Crethei filius, qui Pheras vrbem Theſſaliæ condidit: Admetum,ac Lycurgum procreauit.Lycurgus circa Nemeam habitauit,qui ducta Euridice,vel,vt alij narrant, Amphithea vxore Opheltem cognomento Archemorum genuit.Cęterùm Admeto Pheris regnanti,Apollo mercede conductus ſeruiuit, quo tempore Peliæ filiam vxorem depoſcebat.

Pelias ab eo currum, à leone, & apro trahendum poſtulat: Admetus Apollinis ope leonem,& aprum iunctos ad regem perduxit: & Alceſtin capit, qui cum in nuptiis de more ſacra faceret,Dianæ immolare oblitus, aperto thalamo, magnum draconum globum inuenit. Cui tum Apollo numinis iram placandam eſſe monuit: & à Parcis deinde depopoſcit, vt cum Admetus in humanis eſſe deſiturus eſſet, tum mortis periculum euaderet,ſi quis pro eo ſiue pater, ſiue mater, aut vxor mortem vltrò ſubierint. Poſt, vbi illi moriendi dies aduenit, parentes pro filio è vita migrare noluerunt: Alceſtis autem pro marito ſuo mori non dubitauit, & eam Proſerpina rurſus in vitam remiſit: ſed, vt quibuſdam placet Hercules commiſſa cum Plutone pugna ad ſu-

peras auras reduxit.

Iaſon autem Æſone, Crethei, & Polymedes Autolyci, filio natus, Iolcum vrbem habitabat. Pelias Iolci poſt Cretheum regnauit: cui de regni ſucceſſore ſciſcitanti reſpondit Apollo, qui alterum pedem duntaxat calceatum habeat, cauendum eſſe, primò cum id genus oraculi minimè intellexiſſet, paulò poſt reipſa percepit. Nam, cùm in litore Neptuno immolaret, tũ permultos, tum etiam Iaſonem eò accerſiuit.

Is verò, quòd rei ruſticæ deſiderio teneretur, ruri agens ad eadem ſacra properauit: & Anaurum amnem traijciens, alterum in amnis alueo amiſit calceum. Id vbi Pelias vidit, oraculum memoria repetens, propius eum accedit, rogátque, Quidnam habens poteſtatem, feciſſet, quando ſibi ex oraculo prædictum fuerat, à ciuium aliquo mortem ſibi illatum iri.

Hic autem ſiue forte quadam ſuperuenit, ſiue Iunonis ira, vt Medea malum veniret Peliæ, quippe qui Iunonem nullo dignabantur honore: pellem velleris aurei, vt ille afferret, imperarem, reſpondit Iaſon, quòd vbi Pelias audiuit, Iaſonem ad pellem eiuſmodi ire ſtatim præcepit. Hæc autem in Colchis ſuſpenſa è quercu in Martis luco viſebatur: ac ſub inſomnis draconis cuſtodia aſſeruebatur: Ad hanc igitur miſſus, Iaſon Argum Phrixi inuitauit. At is Mineruæ conſilio nauim remorum quinquaginta conſtituit, eámque à fabri no-

Argonauta mine Argo appellauit: ad cuius proram, tabulam vocalem è facto Dodonidis ſiluæ accommodauit. Naui itaque confecta, Iaſonem ſciſcitantem oraculũ Deus ad velaturam faciendam cohortatur, qui iam totius Græciæ optimum quemque in vnum congregarat, quorum nomina hæc ſunt:

Typhys Hagnij filius, cui nauis gubernaculum delegatum fuit, Orpheus Oeagri, Zetes, & Calais Boreæ filij. Caſtor & Pollux Iouis. Telamon, ac Peleus Æaci. Hercules Iouis. Ægei Theſeus. Idas, & Lynceus, Apharei. Amphiaraus Oiclei. Cænei Coronus. Palæmon Volcani: Ætoliue. Cepheus Alei: Laertes Arceſij. Autolycus Mercurij. Atalanta Schœnei, Menœtius Actoris. Actor Hippaſi. Admetus Pheretis,

Acaſtus Peliæ. Eurytus Mercurij. Meleager Oenei. Ancæus Lycurgi. Euphemus Neptuni. Pœas Thaumaci. Butes Teleontis. Phanus,& Staphylus Dionyſi. Erginus Neptuni. Periclymenus Nelei. Augeas Helij. Iphyclus Theſtij. Argus Phrixi. Euryalus Meciſtei. Peneleus Hippalmi. Leitus Alectoris. Iritus Nauboli. Aſcalaphus, & Almenus Martis. Aſterius Comatæ. Polyphemus Elatæ. Hi igitur nauarcho Iaſone euecti in Lemnum appellunt.

Hæc inſula tum viris omnibus orbata Hypſipyles Thoantis filiæ imperio regebatur, cuius rei cauſam hanc legimus: Lemniæ mulieres Venerem nihili faciebant, quæ ea de cauſa teterrimum illis graueolentiæ virus iniecit. Et viri è Thracia Lemno proxima abductas captiuas ancillas ſubigebant. Tum Lemniæ quòd à coniugibus ſpernerentur non modò patres ipſos, ſed & viros, ſuum quæque iugularunt, vna tamen omnium Hypſipyle Thoantem patrem abſconditum, ſeruauit illæſum. Mox Argonautæ in Lemnum, quæ tum à mulieribus tenebatur: appulſi, illis admiſcentur. Hypſipyle verò ab Iaſone compreſſa Euneum, ac Nebrophonum liberos gignit. A Lemno deinde ad Doliones, quibus tunc Cyzicus imperabat, peruenerunt. Hi eos benigniſſimè excepit. Qui noctu illinc auecti: reflantium ventorum impetu noctu neſcij rurſus Doliones appulerunt. Qui, dum finitimorum pelagiſcorum hoſtium copias eſſe arbitrarentur (continenter enim cum finitimis bellum gerebant) pugnam per noctem conſerunt ignari aduerſus ignaros. Cæſis itaque Dolionum pleriſque, & Rege Cyzico, Argonautæ, vbi per diem rem cognouerunt multis cum lacrymis ac detonſo ſibi capillo, Cyzicum magnificè tumularunt, quo facto abiere: nec longo poſt tempore in Myſiam deuenerunt. Hic Herculem cum Polyphemo reliquerunt.
Quoniam Hylas Thiodamantis filius, & Herculis amaſius, aquatum emiſſus ob eximiam ipſius formæ præſtantiam à Nymphis raptus eſt. Et Polyphemus, cùm illum reclamantem audiſſet, nudato enſe à latronibus abduci putans, perſecutus eſt, idque Herculi obuiam facto indicat. Interea verò dum puerum Hylam vter-

que perquirunt naui vento rapta deſerti ſunt. Mox Polyphemus condita in Myſia ab ſe vrbe Cio regni ſedem ibi collocauit. Verùm Hercules Argos remeauit, quem Herodotus neque iam tum ſtatim nauigaſſe, ſed apud Omphalem ſeruitutem ſeruiſſe affirmat, Pherecydes autem illum in Aphetis Theſſaliæ vrbe relictum fuiſſe refert: propterea quod Argo huiuſce grauitatem perferre haudquaquam poſſe dictitabat: Atqui Demaretes ipſum in Colchos vſque nauigaſſe tradidit: Dionyſius Herculem & Argonautarum ducem fuiſſe recenſuit. Inde à Myſia in Bebrycum terram contendiſſe ſcribitur, vbi Amycus Neptuni, ac Bithynidis filius regnabat, Is Amycus cùm viribus egregiis polleret, qui in ſua regna veniret: ſecum cæſtibus contendere cogebat, & deuictos ita perdebat.

Tum igitur inuectus in nauim Argos, præſtantiſſimum quémque in pugilatus certamen prouocabat. Pollux cum eo ſe pugnaturum eſſe pollicitus, percuſſo illi' cubito hominem interfecit. Inde cum Bebryces in Pollucem impetum feciſſent, abreptis armis viri fortiſſimi, eorum pleróſque in fugam actos obtruncant. Hinc autem auecti Salmydeſſum, quæ Thraciæ vrbs eſt, vbi vates Phineus oculorum luce orbatus, habitabat, deuenerunt. Hunc alij Agenoris filium eſſe ferunt, alij verò Neptuni, cúmque excæcatum fuiſſe produnt à Diis alij, quod futura mortalibus prædiceret: nonnulli verò à Borea, & Argonautis, quod à nouerca inductus filios ſuos oculorum luce priuaſſet. Nec deſunt, qui à Neptuno id factum dicant, propterea quod Phrixi filiis à Colchis in Græciam, nauigationem ſignificaſſet.

*Phineus occæcatus.*

Ad hæc etiam Dij Harpyias in illum immiſerunt: Eæ verò alatum ſunt animantium genus. Quæ vbi Phineo paratam eſſe menſam intuebantur, à cœlo deuolitantes maiorem ferculorum partem abripiebant: ac reliqua perpauca, & ea quidem tam graui odore fœdata remanebant, vt perferri minimè poſſent. Hic igitur Argonautis, quæ ad nauigationem ſuam ſpectarent, iam iam propoſituris, commodum, inquit, de nauigatione tum mihi verba faciatis, ſimulac me ab Harpyiarum iniuria, liberaueritis. Tum hi Phineo menſam ſter-

nunt, in qua ſimulac edulia appoſita erant: en repente Harpyiæ vaſtum clangorem fundentes deuolant, & eſculenta diripiunt.

Id verò vbi viderunt, Aquilonis filij Zetes, & Calais alati iuuenes nudatis enſib. illas per aerem inſequũtur. Cæterum planè Harpyiis Boreæ filiorum manibus tum moriendum erat: ſed & Boreæ filiis iam tum quoque, cum inſectarentur, & eas minimè adepti fuiſſent, erat pereundum. Cum itaque pueri perſequerentur Harpyias, earum altera ad Peloponneſum in amnem Tigrem decidit: qui nunc ab illa nominatur Harpys. Hanc autem alij Nicothoen, alij verò, Ællopum: ſunt, qui alteram Ocypetem nominent, ali, Ocythoen. At Heſiodus eam Ocypodem nuncupat. Hæc itaque per Propontidem fugiens ad Echinadas inſulas vſque peruaſit. Eæ nunc ab illa Strophades appellantur. Quippe quæ cùm ad eas perueniſſet, iter conuertit: quæ vbi littus attigiſſet, præ labore cum perſequenti decidit. Verum Apollonius in Argonauticis ad Strophadas inſulas vſque Boreæ filios, Harpyiarum inſectationem tenuiſſe refert: neque mali quidquam paſſas fuiſſe, quòd iureiurando, nihil poſt illæ in Phineum iniuriarum amplius ſe illaturas promiſerunt. Liberatus igitur Phineus Harpyiarum pœnis reliquam Argonautis nauigationem explanauit: necnon illos Symphlegadum ſcopulorum diſcriminis admonuit. Eas verò ingentes fuiſſe memorant, quæ cùm ventorum impetu agitatæ viciſſim concurrebant, maris tranſitum præpediebant. Magna inſuper ab ipſis nebulæ vis, ac magnus item ſtrepitus excitabatur, vt ne volatilibus quidem per eas tranſuolare liceret. Columbam itaque per Symplegadas medias ipſis mittendam præcepit, quam ſi incolumem tranſuolaſſe videant, per eas traiicere non dubitarent, ſi verò illa interiiſſet, nullis inter petras viribus tranſire conarentur. Quæ cùm accepiſſent ſoluta naui diſcedunt. & cum proximè Symplegadas perueniſſent de prora columbam dimittunt, quæ cum per medium concurrentium ſcopulorum impetum volitaret, ſummam caudam Symphlegades coeuntes deterſerunt. Obſeruato igitur ſcopulorum receſſu, acerrimo remigationis certa-

mine, Iunone opitulante ſumma tamen puppis parte mutilata incolumes traiecerunt. Itaque Symplegades ab eo tempore immotæ permanſerunt. Nam poſt huiuſce nauis tranſmiſſionem eas fore omnino ſtabiles numina decreuerant. Inde verò Argonautæ ad Mariandynos peruenerunt: vbi ab Lyco Rege ſumma cum benignitate excipiuntur. Hic Idmon vates ab apro percuſſus deceſſit. Tiphys hic etiam moritur, & Anceus nauim ſe gubernaturum pollicetur.

Dein prætervecti Thermodontem, Caucaſúmque, ad Phaſim amnem venerunt. Hic terræ Colchicæ flumen eſſe perhibetur. Naui in portum delata, ad Æeten contendit Iaſon, cui, quæ ſibi à Pelia imperata eſſent, enarrat, illum ad vellus aureum reddendum, cohortatur, quod ſe redditurum Æetes pollicetur, ſi ſolus æripides tauros ſub iugum miſerit, Hi autem duo erant, & feri, ac miræ magnitudinis, Volcani munere conceſſit: Qui æreis prædititi pedibus ignem ore ſpirabant. Ad hæc ipſi, vbi hoſce iugo iunxiſſet, vt draconis dentes ſereret, imperat, quippe qui à Minerua dono acceptos dimidiam eorum, quos antea Thebis Cadmus partem ſeuerat, ſecum Iaſon habebat. Ambigentem itaque Iaſonem, quánam arte tauros ſubiugaret, Medea ardentiſſimè deperire incepit: Hæc erat Æeteæ filia ex Idyia Oceano genita, veneficiis, & cantionibus inſignis.

*Iaſonis ad vellus aureũ profectio.*

Quæ verita, ne Iaſon à tauris perderetur. clam patre ſociam ipſi ſe fore ad eos perdomandos, atque etiam vellus aureum, ſi ſe vxorem ducturum, & in Græciam ſimul nauigantem peruecturum iuret, pollicetur. Id vbi præſtiturum ſe iurauit Iaſon, pharmacum, quo tauros ſub iugum mitteret, dedit, eóque clypeum, haſtámque, ac membra corporis ſui inungere præcepit. Hoc enim delibutum vnum duntaxat inquit illa, diem, nulla neque ignis, neque ferri violentia læſum iri aſſerebat, ſed & illi indicauit, vt ſatis dentibus viri è terra orituri eſſent, & armati quidem in ipſum incurſuri. Quos ſtatim quàm frequentes ſpectarit, inter eos eminus lapides coniiceret. Poſteà verò, quàm ea de re, inter ſe pugnam commiſerint, tum illos interimat. Sic itaque inſtructus Iaſon, & pharmaco inunctus in tem-

pli lucum penetrat, tauros perquirit, quos multa cum flammarum vi irrumpentes, edomuit. Satis deinde dentibus armati è terra viri proſiliere. Tum Iaſon, vbi plures eſſe vidit, coniectis inter eos occultè lapidibus pugnantes inter ſe adortus occidit. Porrò perdomitis tauris tantum abeſt, vt vellus aureum ex pacti, & conuenti formula tradat * Æetes, ſed & Argo nauim inflammare voluerit: necnon cum ea nautas ad vnum omnes occidi ſtuduerit. Quod vbi Medea reſciuit, ad Iaſonem ire anteuertit, eumque per noctem ad pellem deduxit & draconem cuſtodem veneficiis aggreſſa ſoporauit: inde ſumpto vellere, cum Iaſone in nauim Argo ſe contulit, eam verò Abſyrtus frater conſequebatur: At hi noctu cum hiſce auehuntur. Cæterum * Æetes cognita Medeæ audacia ad nauim perſequendam accingitur, quem vbi Medea in proxima veniſſe videt, fratrem iugulat, ac eius membra articulatim diuidit, eáque in profundum iacit: * Æetes autem filij membris colligendis occupatus filiam perſequi deſiit. Quocirca conuerſo itinere ſeruatos pueri artus ſepelit, eique loco ab illius diſſectis membris Tomis nomen fecit. Multos deinde Colchorum ad Argo nauim perquirendam emiſit, & niſi Medeam captam ad ſe retrahant, id illos ſupplicij, quod Medea ſubitura eſſet, daturos comminatur. Tum ij alius aliò diffuſi in perquirendis Argonautis occupantur, Eridanum amnem iam prætereuntibus. At Iupiter ob Abſyrti cædem iratus, ingenti immiſſa tempeſtate, Argonautis errores iniicit: ac dum ſecus Abſyrtidas inſulas nauigant, Argo nauis eos alloquitur his verbis: Iouis iram nunquam antea deſituram eſſe, quam in Auſoniam profecti Abſyrti necis ergò à Circe fuerint expiati. Hi autem Libyæ, Galliæque littora prætereuecti, & per Sardiniæ pelagus delati Hetruriam legunt. Inde ad Aeacam contendunt vbi à Circe expiantur. Qui cum circa Sirenas nauigarent, Orpheus, quòd contrariam occineret cantionem, Argonautas inhibuit. Verùm ſolus omnium Butes ad eas enatauit, quem raptum, Venus ad Lilybæum habitatum relegauit. Dehinc à Sirenibus nauim Charybdis

*Æeta.*

*Æeta.*

*Æeta.*

*Butes ſirenum cantu capitur.*

excepit, Scylláque, & errantia ſaxa, è quibus ingens flãmarum vis, ac fumus eructari videbatur. Atqui per ea Thetis cum Nereidibus Iunonis monitu incolumem nauim tranſuexit. Siciliam itaque prætervecti, vbi Solis boues inerant, in Corcyram Phæacum inſulam appellunt, vbi Rex Alcinous imperabat. Porrò cum Colchici Argo nauim nuſquam inueniunt, horum alij Phæacum montes incolendos occupant, alij ad maritima delati Abſyrtidas inſulas extruxerunt. Nonnulli autem ad Phæacas ierunt, ac nauim Argo tandem deprehendunt, Medeámque ab Alcinoo repoſcunt. Tum ille, ſi iam, inquit, vxor Iaſoni copulata ſit, eam illis ſe non daturum, at ſi nondum virum paſſa ſit, patri remiſſurum, ait. Verùm enimuerò Alcinoi coniux Arete anteuertens Iaſoni Medeam coniugauit. Hinc igitur Colchici cum Phæacibus ſimul habitare ſtatuerunt. Argonautæ verò cum Medea in altum auehuntur: qui cùm noctu nauigarent, in maximam inciderunt tempeſtatem. Inter hæc Apollo Menœtium impetens ſecundum iugulum ſagitta percuſſit, eumque in mare deturbauit. Hi verò cum proximam inſulam conſpiciunt, ad eam deueniunt, ac præter ſpem oſtentatum portum ingreſſi Anaphen nominarunt: vbi Apollini Æglæo aram ſtatuunt, ibíque peractis de more ſacrificiis, epulati ſunt, Quę verò ab Arete duodecim ancillæ Medeæ dono iam datę fuerant, fortiſſimos illos viros per luſum ſugillabant. Hinc & adhuc etiam vetus in ſacris deridendi conſuetudo mulieribus manet. Inde auecti in Cretam appellere prohibentur à Talo.

*Vulcanus.* Hunc ſanè alij ex Chalci æríſve genere produnt, Sunt, qui à * Volcano Minoi datum eſſe ferunt. Qui vir Æneus fuit, idémque ab aliis Taur' appellatur. Huic autem venam vnam à collo ad calcem pertinentem fuiſſe tradunt, atque in huiuſce venæ cute clauus æneus affixus eſſe videbatur. Hic igitur * Talus ter in die circũ inſulam currens, eam tuebatur. Quo circa iam tum Argonauim prætereuntem ſpectans, lapidibus impetebat. Demum Medeæ veneficiis circumuentus occubuit: ſiquidem, vt nonnulli memorant Medeæ poculis ad inſaniam redactus exceſſit è vita, ſed, vt alij, per

*Taurus.*

*Tali mors.*

immortalitatis pollicitationem, clauum illi Medeam extraxiſſe, omniqúe ex eius corpore effuſo ſanguine ipſum obiiſſe narratur. Nec deſunt, qui illum à Pœante ſagitta in calce vulneratum interiiſſe tradunt. Noctem autem vnam illic non amplius morati Argonautæ ad Æginam aquatum contendunt, vbi de aqua pugna conſeritur inter eos, inde verò per Eubœam, Locridémque nauigantes in * Iolcum, quarto demum menſe poſt initam velleris aurei expeditionem peruenerunt. Verùm Pelias, quòd Argonautarum reditum haud æquo animo ferret de Æſone obtrūcando cogitauit. Hic autem dum ſibi ipſi mortem conſciſcere quærit, immolati tauri ſanguinem intrepidè hauſit, & interiit. Atqui Iaſonis mater, Peliam execrata, relicto filio paruulo, velut ad bellum anteſignano, vitam ſuſpendio finit. Deinde Pelias & relictum ab ea filium iugulauit. Interea redit Iaſon, ac vellus aureum Peliæ dedit. Qui, cùm de iniuriis, quibus erat affectus, alienum ſibi cum eo expoſtulandi tempus foret, occaſionem expectandam eſſe cenſuit. Proinde ſumptis ſecū lectiſſimis heroibus in Iſthmum nauigauit, ac nauim Neptuno dedicauit. Inde Medeam monet, vt rationem ineat, qua Pelias illi tot iniuriarum pœnas luat. Tum illa Peliæ regiam ingreſſa: regis filias Aſteropeam nempè, & Antinoen ad patrem necandum, elixandúmque ſuaſu inducit ſuo, atque eundem in vitam mox ætate iuuenem ſuis ſe veneficiis reuocaturam eſſe pollicetur, Idque, vt facilius credi poſſit, arietem in fruſta diſſectum elixatúmque agnum reddidit. Tum illi credulæ, patrem occidunt, membratímque conciſum elixant. Acaſtus autem vnà cum Iolcienſibus patrem ſepeliuit: Iaſonémque, & Medeam Iolco eiecit. Hinc illi Corinthum commigrant: vbi decennium totum fortunatè tranſegerunt. Inde cum Glaucen Creon Corinthiorum Rex filiam Iaſoni deſpondiſſet, eam dimiſſa Medea, in matrimonium duxit. Tum illa, quos Iaſon Deos iuraſſet, obteſtata, ingratúmque illius in ipſam animum, ſubinde deteſtata, vxori quidem peplū venenis infectum miſit, quem ſimulac illa ſibi induit, cum adiutore patre valido igne correpta conflagrauit. Medea inſuper, quos ex Iaſone filios habebat, Merme-

*Iolcos.*

*Aſteropta & antinoa patrem diſſecant*

*Medeæ crudele facinus*

*in filios proprios.* rum nempe, ac Pheretem trucidauit, & ſumptum ab Sole alatorum draconum currum conſcendit, in eóq; profugit Athenas, qua in fuga, vt quidam ferunt, filios infantes adhuc, ſupplices ante Acrææ Iunonis aram conſtitutos omiſit: quos ſurgere iuſſos Corinthij multis vulneribus contrucidarunt. At Medea, quæ conuolarat Athenas, mox ibi Ægeo nupta filium, cui Medo nomen fuit, gignit. Poſtea verò, cum Theſeo comparaſſet inſidias, Athenis in fugam acta cum Medo filio eiicitur. Qui magnum apud Barbaros imperium cõſecutus, ſubiectam ſibi prouinciam vniuerſam Mediã vocari voluit: & bellum contra Indos inferens vitam cum morte cõmutauit. Sed Medea nulli ſuorum agnita ad Colchos remeauit. quæ cum Aeetem patrem Perſei fratris dolo à regia ſede eiectum inueniſſet, illi regnum recuperauit.

# APOLLODORI ATHENIENSIS GRAMMATICI BIBLIOTHECES, SIVE de Deor. origine,

## LIBER SECVNDVS.

*Benedicto Ægio Spoletino Interprete.*

QVONIAM verò Deucalionis genus, ac ſobolem enarrauimus, Inachi deinceps explicemus. Inachus igitur ex Oceano, & Tethye procreatur, à quo Inachus Argiuorum flumen nominatus eſt. *Inachus flu. vnde ſic dictus.* Huius, & Meliſſæ Oceani filiæ Phoroneus, ac Ægialeus filij fuerunt. Ægialeus tametſi nulla de ſe prole relicta ſit extinctus, Ægialeam tamen ab eo, cui præfuerat regioni, dictam fuiſſe terram legimus. *Ægialea vnde dicta.* Atqui Phoroneus terræ, cui poſteá nomen fuit Peloponneſo, totius imperio potitus, ex Laodice nympha, Apin, & Nioben procreauit. Apis itaque commutato in dominandi libidinem regno, vi cuncta gerens ac planè tyrannica manu adminiſtrans, Peloponneſum Apiam ſuo de

nomine vocari iuſſit. Is demum Thelxionis, ac Telchinis inſidiis proditus ſine liberis exceſſit è vita, & relatus inter deos Sarapis appellatus eſt. De Niobe autem, & Ioue, quã primam mortaliũ Iupiter iniuit, Argus natus eſt. Sed Acuſilai teſtimonio ex eo Pelaſgus etiam natus eſſe dicitur, à quo Peloponneſo Pelaſgia nomen fuit impoſitum. At Heſiodus Pelaſgum fuiſſe indigenam refert. Sed hac de re nos alibi rurſus dicturi ſumus.

*Peloponeſus cur poſtea dicta Pelaſgia.*

Argus itaque ſimul ac à Phorone regnum accepit. Peloponneſum à ſe Argos dici imperauit: qui poſtea ducta vxore Euadne Strymonis, ac Neæræ filia, Iaſum, Piranthum, Epidaurum, & Criaſum genuit, qui poſtea regno ſucceſſit. Ex Iaſo autem naſcitur Agenor, ex quo Argus Panoptes ortus eſt: hunc toto corpore oculatum fuiſſe legimus. Hic enim viribus præſtans, ſublato qui Arcadiam deuaſtabat, tauro, eius ſeſe corio circũtexit. Adhęc Satyrum: qui Arcadibus vim inferebat, eorúmque pecora abigebat, fortiter pugnans interfecit. Quinetiam Echidnam quam Tartari, ac Terræ filiam dicunt, quæ viatores corripiebat, dormientem nactus interimit, idémque ſublatis cædis auctoribus, Apidis interitum vltus eſt.

*Phoroneo.*
*Peloponneſus Argos dicitur.*

Argi verò, & Iſmenes Aſopi filiæ Iaſus eſt filius: ex quo Iouem ortam eſſe tradunt. At Caſtor, qui de temporum ignoratione conſcripſit: necnon complures tragœdiarum ſcriptores, Ionem Inachi filiam eſſe perhibent. Heſiodus, & Acuſilaus eam Pirenis filiam eſſe narrant, quam Iunonis ſacerdotio decoratam Iupiter vitiauit, à quo cùm violatam fuiſſe puellam hanc Iuno comperiſſet, in buculam candidam transformauit, cum qua Iupiter ſe concubuiſſe abiurauit. Quare Heſiodus inquit, amantium iuſiurãdum irritum eſſe, neque ad deorum iram quidquam pertinere. Iuno interim vaccam ab Ioue depopoſcit, acceptámque Argo Panoptæ cuſtodiẽdam dedit. Hanc autem Aſclepiades Areſtoris, Pherecydes verò Inachi, ſicvt Cercops Argi, & Iſmenes, quæ Aſopi fuit, filiam ſcribunt: ſed Acuſilaus è Pirene, vt dictum antea fuit, ortã eſſe refert. Hic eam ad oleã, quæ in Mycenæo luco erat alligabat. Cùm verò Iupiter eam Mercurio, vt furtim abduceret, imperaſſet, idque ab Hierace

*Argus Ionis cuſtos.*

detectum fuiſſet, neque celari amplius poſſet: lapide percuſſum Argum peremit. Hinc itaque Mercurius Argiphontes cognomentum accepit. Iuno demum bouem œſtro concitauit. Quo facto ea prima in ſinum ab ſe Ionium appellatum, penetrauit. Mox per Illyridem progreſſa Hæmum tranſcendit, ac per ea tempora traiectũ Thracium nominatũ, ab illa deinde Boſphorum dictum tranauit. Inde, cùm in Scythiam penetraſſet, & Cimmeriam terram, cumque per continentis multum, deerraſſet, multáque Europę maria, atque Aſię plura tranaſſet in Ægyptum tandem peruenit: vbi priſtina forma recepta ad Nili fluenta Epaphum peperit. Hunc Iuno, * Curetes vt alicubi puerum occulerent, precibus impetrauit. Quod factum vbi Iupiter reſciuit, Curetas occidit. Io interim ad filium, ſeſe veſtigandum accingit. Quæ cum Syriam propè vniuerſum peruagata eſſet, quòd illic Bybliorum Regis vxor filium educari ſignificabatur, & tandem Epapho inuento in Ægyptum remeauit, ac Telegono, qui tum Ægyptiorũ imperium adminiſtrabat, nupſit. Hic ipſa Cereri, quã Iſin vocarunt Ægyptij, ſtatuam collocauit. Et Ionem quoque Iſidem appellarunt.

*Argi mors.*

*Corybant.*

Epaphus autem Ægyptiis imperans Memphin Nili filiam ſibi coniugauit: déque vxoris nomine conditam vrbem, Memphin nominauit, ex éaque Lybiam filiam procreauit, à qua & pars vna terrarũ Libya vocitata eſt.

*Memphis conditor.*

Cæterùm ex Libya, Neptunóque gemini Agenor, ac Belus oriuntur. Agenor itaque in Phœnicem profectus, & inibi regni ſedem conſtituit: vbi, & magnæ ſobolis auctor extitit: quare de eo in præſentia dicere ſuperſedebimus. At Belus, quòd ex Ægypto minimè diſceſſiſſet: Ægypti regnum conſequitur: atque Anchinoen Nili filiam duxit vxorem, de qua ſibi filios geminos procreauit Ægyptum nempè, ac Danaum, ſed & Euripidis teſtimonio * Cepheum, Phineúmque etiam liberos habuit. Igitur Danaum Belus ad Libyam incolendam, Ægyptúmque, ad Arabiam habitandam miſit. Qui, cum deuaſtaſſet Melampodum terram, eam Ægypti nomine appellari de ſeipſo voluit. Porrò & Ægypto è pluribus coniugibus filij mares quinquaginta gignuntur. At fratri

*Celeum vel yneium.*

fratri Danao filiæ totidem. Qui cùm de regno inter ſe contenderent, Danaus Ægypti filios præter vnum, aut alterum, filiarum ſuarum opera necauit, nam ex oraculo cædem ſibi ab eorum vno imminere acceperat, metu perculſus Mineruæ conſilio nauim nominatam ab eo de filiarum ſuarum numero πεντηκόντορον, quaſi dixeris quinquagintiremem primus fabrefecit, in qua filiabus impoſitis aufugit. Inde in Rhodum appellens Mineruæ Lindiæ ſtatuam dedicauit. Hinc & Argos ſe contulit, & huic regnum tradit Helanor, qui tum Argis regnabat (at ipſe eius regionis potitus ſuo ipſius nomine incolas Danaos appellauit) ſed quod ea regio aquarum caritate laborabat, ex quo Neptunus iratus Inacho fontes ſiccauerat, quod eam Mineruæ terram eſſe teſtatus eſt, filias ſuas interim aquatum emiſit. Harum vna Amymone aquam diſquirens, telum in ceruum iacit, ac Satyrum dormitantem offendit: Quare ille ſomno expergefactus puellæ ineundæ miro deſiderio capitur. At Neptuni ſuperuentu Satyrus ſe dedit in fugam. Amymone autem cum illo concubuit eique Neptunus Lernæos fontes indicauit. Porrò Ægypti filij Argos profecti vt mutuam inter ſe ſimultatem compeſcerent, ſeſe cohortantur, & Danai filias ſibi in matrimonium dari obſecrant. Tum Danaus, ſimul, quòd parum crederet eorum pollicitationibus, ſimul quòd fugæ, exiliique ſui reminiſceretur iniuriæ, nuptias pactus ſortitò puellas diſtribuere cœpit. Hypermneſtram igitur natarum maximam Lynceo, & Gorgophonem Protheo ſelegit. Hos enim ex coniuge Regina Argyphia Ægyptus extulerat. Inde ſuam quiſque ſortiti ſunt.

*Danaus primus nauim fabrefecit.*

Buſiris quidem, & Enceladus, Lycúſque, ac Daiphron, Automaten, Amymonem, Agauen, Scæam, Danao ex Europa Regia matrona ſatas ducunt. At ex Elephantide ortæ fuerunt, Gorgophone, atque Hypermneſtra, ſed Lynceus Calycem ſortitus eſt. At Iſter Hippodamiam, Chalcodon Rhodiam, Agenor Cleopatram, Aſteriam Chætus, Hippodamiam Diacoryſtes, Alcis Glaucen, Alcmenon Hippomeduſam, Hippothous Gorgen, Iphimeduſam Euchenor, Rhoden Hippolytus: Hi decem ex Arabia vxore geniti ſunt. Sed puellæ

*Filiæ Danai Ægypti filiis nubunt.*

ex Hamadryadibus nymphis, aliæ ex Atlantea, aliæ ex Phœbe natæ ſunt, Agaptolemo Pirene, Cerceſtis Dorioni, Eurydamanti Pharte, Ægio Mneſtra, Euhippe Argio, Anexibia Archelao, Menacho Nelo obuenerunt: hi ſeptem è Phœniſſa coniuge orti ſunt: at puellæ, quæ Æthiopides erant, quod cognominis eſſent Memphidi haudquaquam ſortito inter ſe copulari voluerunt. Nam ex Tyria nati matre Clitus Cliten, Sthenelus Sthenelen, Chryſippus, Chryſippen duxit. Atque ex Caliande, & Naide nympha, filij duodecim nati erant, cum totidem Polyronis Naidis filiabus. illorum hæc ſunt nomina: Eurylochus, Phantes, Periſthenes, Hermus, Dryas, Potamon, Ciſſeus, Lixus, Imbrus, Bromius, Polyctor, Chthonius. Hæ verò ſunt ex nympha natæ Autonoe, Theano, Electra, Cleopatra, Eurydice, Glaucippe, Anthelea, Cleodora, Euippe, Erato, Stygne, Bryce. Qui vero de Gorgonibus Ægypto nati ſunt, eas, quæ de Pieria genitæ fuerunt, ſortiri duxerunt. Nam Periphanti obtigit Actæa, Oeneo Podarce, Ægypto Dioxippe, Menalce Adyte, Ocypete Lampo, Pylarge Idmom. Octo autem nouiſſimi ſunt, Idas, qui Hippodicen: Daiphron, qui Adianten duxit ex Herſe matre natas: Pandion, qui Calliдicen: Arbelus, qui Oemen: Hyperbius, qui Celæno: Hippocoryſtes, qui Hyperipten ſibi coniugarunt. Hi ex Hephæſtine oriuntur: at puellæ matre Crinone fuerunt. Poſt, vbi ſuam quiſque ſortitus, coniugem duxerunt, acceptos in conuiuium cunctos Danai filiæ datis à patre pugionibus ſomno ſepultos, ſuum quæque ſponſum occidunt, vna tamen modo excepta Hypermneſtra. Hæc enim ſola Lynceum, quòd eius virginitatem abſtinuiſſet, incolumem aſſeruauit.

*Omnes filiæ Danai ſuos viros præter vnam trucidant.*

Quamobrem hanc Danaus coniectam in vinculis cuſtodiri iubet. Reliquæ Danai filiæ præſecta ſponſorum capita in Lerna defoderunt, corpora verò ante vrbem deplorata ſepelienda curauerunt. Has autem Minerua, Mercuriúſque Iouis imperio expiarunt. Demum poſtea Danaus Hypermneſtram Lynceo in matrimonium copulauit, cæteras in gymnicum certamen productas victoribus habendas dedit. Amymo-

ne Neptuni ſemine prægnans Nauplium peperit. Hic quòd longæuus eſſet, mare nauigans morientium caſum permoleſtè ferebat. Sed & ipſi tandem aliquandò obiiſſe contigit, vel eo mortis genere, quo alios defungi mæſtiſſimè conſpiciat. Verùm antequam è vitâ deceſſit, vt Tragicorum auctoritate comprobatur, Clymenem Atrei filiam ſibi vxorem coiugari placuit. Qui verò Reditus conſcripſit, Philyran dixiſſe ait: Cercopis autem teſtimonio Heſionem cœpit. De qua Palameden, Oeacem, Nauſimedontem gignit.

Lynceus autem, qui poſt Danaum Argis dominatus eſt, ex Hypermneſtra quidem, Abantem filium genuit, ex quo & Ocalea coniuge Mantinei filia, gemini procreantur Acriſius, ac Prœtus, qui cum in vtero matris adhuc eſſent, inter ſe diſſidere cœperunt. Vbi verò per ætatem potuêre de regno certare non dubitarunt. Hique belligerantes primi clypeos inuenerunt. Inde victor Acriſius Prœtum Argis exegit: qui ad Iobatem in Lyciam peruenit, ſed vt alij produnt, ad Amphianactem confugit, cuius etiam filiam ducit. Homerus autem * Anteam dicit. At ſi tragædiarum ſcriptoribus fidem habemus, Sthenobœam. Hunc demum ſocer cum Lyciorum copiis reduxit, ac Tirynthem occupauit, quam ipſius gratia Cyclopes mœnibus cinxerunt, atque in partem aſſumpti Argiuam terram propè vniuerſam coluerunt. Sic Acriſius Argis imperat: & Prœtus Tirynthe. Ad hæc Acriſius ex Eurydice Lacedæmonis filia Danaen gignit. Prœtus vero de * Sthenobœa Lyſippen, Iphinoenque, & Iphianaſſam, quæ cùm adultæ iam ætatis eſſent, in inſaniam cōciderunt, quòd, vt Heſiodus inquit, Dionyſij ferias minimè receperunt. At Acuſilai ſententia, quòd Iunonis ſimulachrum nihili fecerunt. Sic itaque furore percitæ per omnem Argiuorum terram deerrabant. Inde iterum in Arcadiā, ac Peloponneſum reuerſæ nullo non dedecore labefactatæ per deſerta diſcurrebāt. Melampus autem Amythaonis filius, & Idomenes, quæ fuit Abātis, vaticinādi cognitione inſignis, & qui potionādi, expurgādiſq; rationē

*Clypeorum inuentores.*

**Antiam.*

**Antiā.*

primus inuenerat,ſe virginibus ſanitatem reſtituturum pollicetur:ſi tertiam regni partem accipiat. Proetus tãta mercede deterritus,filiarum curæ minimè aſſentitur. Quocirca virgines longè maiori veſania concitantur, immò verò etiam illarum veluti cõtagione offenſæ reliquæ mulieres cum virginibus ſimul furere:etenim deſertis propriis ædibus in ſuos ipſarum filios deſæuiebãt, atque in deſerta ſeſe fugientes abdebant. Cùm verò id calamitatis genus indies magis increſceret: poſtulatam mercedem Proetus Melampodi vltrò conceſſit. Tum ille eas ſe curaturum eſſe promittit, ſi regni tantundem fratri ſuo Bianti attribuatur. Inter hæc Proetus veritus,ne, ſi filiarum cura longius protrahatur, mercedem ille peteret ampliorem,poſtulatis aſſẽſus, filias Melampodi curandas commiſit. Quare Melampus,adhibitis validiſſimis adoleſcentibus eiubilatum ſimul,& entheã, quandam choream imitatus de mõtibus virgines ipſas, in Sicyonem eſt vſque inſecutus. Has dum perſequeretur, Iphinoe natu maxima vitam cum morte commutauit. Reliquæ verò repurgata veſania reſipuerunt: Harum,demum Melampodi vnam,& Bianti alteram Prœtus,in matrimonium collocauit : neque longo poſt tẽpore Megapenthem filium genuit. Cęterum Bellerophontes,Glauci,qui Siſyphi fuit,cum per imprudentiam Deliadem fratrem,ſiue,vt quidam ferunt,Pirenem, aut, vt,alij volunt Alcimenem peremiſſet, ad Proetum Argos confugit ab eóque expiatur. Mox autem cùm illius amore Sthenobœa,quæ & Antea dicebatur, deperiret,ſubmiſit, qui illum de concubitu interpellaret, qui, cum mulieris libidini minimè conſenſiſſet: Sthenobœa Prœto Bellerophontẽ quæſiti concubitus inſimulauit. Prœtus,vxori credulus dat illi ad Iobatem literas huiuſce argumenti:Vt Bellerophontẽ curaret occidendũ. At Iobates re cognita illi vt ad Chimæram extinguẽdã iret imperauit. Siquidẽ ita iuuenẽ à fera perditũ iri arbitrabatur,quãdo ea non vnius modo, ſed ne multorũ quidẽ viribus facilè perdomari poterat. Nam prima,in parte leo,poſtrema draco,media verò capraeſſe videbatur,quę flammas euomebat, ac proxima quæque diſperdebat,

*Proeti filias furere.*

*Antia.*

*Chimera figura.*

pecoráque inficiebat. Hæc.n.trium belluarum viribus ſub vna duntaxat natura communita erat. Aiunt hanc ipſam Chimæram ex Homeri teſtimonio Amiſodari cura enutritam fuiſſe,natámque ex Typhone,& Echidna,id quod Heſiodi carminibus comprobari legitur. Conſcenſo igitur Pegaſo, quem ex Meduſa, ac Neptuno ſatum,& aligerum habebat Bellerophontes, ſublatus in altum,ex eo Chimęram ſagittis impetebat. Qua demum peracta pugna Iobates eundem in Solymos pugnaturum miſit,vbi & id feliciter exegit,ad Amazonas expugnandas proficiſci imperauit. Quibus item deuictis collectam Lyciorum iuuentutem, quæ cæteris præcellere videretur, in inſidiis conſidere iubet, atque ita Bellerophontem occidi præcipit. Vbi autem & hoſce ad vnum omnes ab eo cæſos accepit,admiratus iuuenis præſtantiam,Iobates literas illi Prœti oſtendit. Inde, vt ſecum maneret, rogauit: Eique Philonoem filiam vxorem dedit. Qui demum,cùm fato conceſſiſſet,Bellerophōtem generum ſuum regni ſucceſſorem inſtituit.

Interim Acriſio de maribus filiis oraculum ſciſcitanti,numen reſpondit,puerum de filia oriturum eſſe, qui auo necem illaturus eſſet. Id igitur Acriſius pertimeſcens æneo ſub terra cubiculo conſtructo, incluſam Danaem cuſtodiri iubet. Hanc, vt nonnulli tradunt,vitiauit Prœtus: vnde inter ſe orta contentio eſt: ſed aliorum teſtimonio proditur: Iouem in aureum imbrem tranſmutatum per impluuium in Danaes ſinum delapſum cum ea concubuiſſe: mox vbi Perſeum de filia natum eſſe cognouit Acriſius,ab Ioue compreſſam filiā minimè credens, eam vnà cum filio in arca lignea concluſam in mare deiecit:quæ cum in*Seriphum inſulam delata fuiſſet:Dictys deſumptum puerum educauit. Cæterum Polydectes vterinus Dictyis frater, Seriphi Rex, Danaes amore correptus, cum ea(Perſeus.n.in virilem ætatem peruenerat) potiri nequiret, amicos, quibuſcum & Perſeum etiam conuocat, iíſque,ob Hippodamiæ Oenomai filię nuptias Eranū ſe celebraturum edicit. Cui tum Perſeus:quanam inquit in re conficies Eranum? equo Polydectes reſpondet. Atqui Perſeus,

*Vnde prouerbiū Seriphiarana Plinius lib. 8.cap. 58.

Gorgonis,ego inquit, capite. Tum Rex,contra nihil ſubiecit. Mox verò, ab aliis equos expoſcit,ſed,quòd equum à Perſeo habere non poſſet pro ſymbolo Gorgonis caput illi,vt afferret,imperauit. Tum Perſeus Mercurij,ac Mineruæ ductu Phorci filias adiit,Ento, Pemphredo,& Dino. Hæ fuere Cerúſque,& Phorci natæ. Gorgonum ſorores ab ortu ipſo ſtatim anus factæ,vnoque tres oculo, & dente vno præditæ,quibus, & viciſſim inter ſe vtebantur.

Hæc,vbi potitus eſt Perſeus, repoſcentibus illis,ſe redditurum pollicetur, ſi, quæ ad Nymphas, ipſa duceret,viam commonſtrarent. Erant autem hiſce Nymphis talaria,& cibiſis,quam peram quidam eſſe putant. Id Pindarus, & Heſiodus in Clypeo, vbi de Perſeo, ſic ait:

*Horrendæ totas ſcapulas caput occupat ingens*
*Gorgonis,idque intra cibiſin latet.*

Nam cibiſis, quòd inibi condantur indumentum, & cibaria, dicta eſſe videtur. Ad hæc Orci galeam, adhibuit.Reſtitutis itaq;Phorcidibus & dente, & oculo, quod viam demonſtraſſent, ad Nymphas, peruenit: Adeptus inde,quæ cupiebat,humeris ante omnia peram induxit, ac pedibus talaria accommodauit, poſtremo galeam capiti impoſuit. Hac igitur tectus, quoſcunque voluiſſet,ipſe inuiſus aliis,peruidebat.
Is, vbi à Mercurio adamantinam harpen accepit, ad Oceanum deuolauit, hic Gorgonas dormientes deprehendit.

His autem Euryalæ vni, Stheno alteri, tertiæque Meduſæ nomen fuit. In quibus ſolam Meduſam mortalem fuiſſe perhibent. Ad huiuſce itaque caput reportandum Perſeus emiſſus fuit. Erant Gorgonibus capita,ſquamoſarum anguium ſpiris obſita,dentes prætereà tantæ magnitudinis,quantæ ſuum eſſe videntur. Ad hæc manus æneæ,& alæ aureæ, quibus conuolabant, quæ, quicunque obtuerentur, eos in ſaxa omnes commutabant. Has demum Perſeus ſomno ſepultas adortus, cuius manus Pallas dirigebat, auerſus oculis in æreum clypeum defixis, per quem ipſam Gorgonis imaginem

*Figura Gorgonidum capitum*

reſpiciebat, Meduſæ caput amputauit. Quo reſecto Pegaſus alatus equus repente proſiluit, & Cryſaor Gerionæ pater. Hoſce autem è Neptuno procreauit. Igitur Perſeus repoſito ſuam intra peram Meduſæ capite receſſit. Verùm Gorgones ipſæ ſomno excitæ Perſeum inſectabantur, quem intueri ob Orci galeam minimè poterant. Quòd ea Perſeus contegebatur. Qui cùm in Æthiopiam peruolaſſet Cephei Regis filiam Andromedam maris Ceto iam iam deuorandam offēdit: quoniam Caſſiopeia Cephei coniux de corporis formæ præſtantia, quod ſe omnium formoſiſſimam iactitabat, Nereidas in certamen prouocauit. Quamobrem ea ſibi Nereidas iratas fecit. Tum etiam Neptunus ira percitus * Cephei regnum, & aquarum multitudine, ac Ceto immiſſo peruaſtauit. *Pegaſi ortus* ** Celei.*

Cepheus autem Ammonis oraculo monitus, tum demum tantæ calamitatis modum fore accepit, cum Caſſiopeæ filiam Andromedam Ceto deuorandam propoſuerit. Id igitur Cepheus Æthiopum vi compulſus, effecit, ſcopulóque filiam alligauit. Quam conſpicatus Perſeus, & illius amore ſuccenſus, Cepheo ſeſe Cetum ipſum interempturum pollicetur, ſi filiam ab imminenti periculo ereptam ſibi in matrimonium collocet: Pactis itaque iureiurando confirmatis, Perſeus monſtrum aggreſſus occidit, atque Andromedam ſoluit. Huic non ita multo poſt Phineus Cephei frater inſidias parat, is qui primus iam coniunx deſignatus erat, verum id vbi reſciuit Perſeus cum coniuratis omnibus Phineū Meduſæ capite oſtentato in ſaxa repente conuertit. Itaque Perſeus, reuerſus in Seriphum, *matrem ad aras cū Dictye, ob Polydectis violentiam confugiſſe, deprehendit. Inde impetu facto aggreſſus Regem concurrentium amicorum auxilio fretum auerſus Gorgonis caput oſtendit, idque quotquot aſpexerunt, qualicunque quiſque forma eſſet, in ſaxa commutatus eſt. *Siue lynci.* *Ceti mōſtri interitus.* ** Inſulam.* *Gorgonis capitis aſpectu homines in ſaxa mutantur.*

Mox vbi Dictyn Seriphi Regem conſtituit, Mercurio talaria, peram, & galeam reddidit, & Gorgonis caput Mineruæ dono dedit. Ea verò Mercurius omnia Nymphis reſtituit. Cæterùm Pallas in medio clypeo Meduſæ caput appoſuit.

Nec deſunt qui Gorgonis caput à Minerua præciſum fuiſſe dicant. Aiunt enim eam ſeſe pulcritudine Palladi comparare non erubuiſſe: Atqui Perſeus, cum Danae, & Andromeda Argos Acriſium viſurus properauit. Is autem oraculi metu Argos deſeruit, atque in Pelaſgiam terram commigrauit: interea Teutamia Lariſſeorum Rege patri iam vita functo gymnicum certamen edituro, ad id etiam Perſeus decertaturus aduenit: ac etiam quinquertium ludens, diſci iactu Acriſij pede percuſſo, actutum eum interfecit.

Poſt, vbi Perſeus oraculum iam expletum eſſe animaduertit, Acriſium quidem extra vrbem ſepeliuit. Verùm, quod Argos ad illius hereditatem adeundam, qui eius opera occubuiſſet, remeare iuſto quodam pudore teneretur, profectus Tirynthem ad Megapenthem Prœte filium cum regno viciſſim commutauit, nam illi Perſeus Argos tradidit, ac Megapenhtes Argiuorum regno præficitur. Perſeus verò Tirynthem adeptus, Mideámque, & Mycenas admuniuit. Porrò ex Andromeda Perſeus filios habuit antè, quàm in Græciam veniſſet. Perſem ſcilicet, quem apud * Cepheum reliquerat. Ab hoc Perſarum Reges originem duxiſſe feruntur. At Mycenis procreauit Acæum, Sthenelum, Helam, ac Meſtorem, & Electryonem: filiam inſuper Gorgophonem, quam Perieres vxorem duxit. Item ex Alcæo, atque Hipponome Menœcei filia naſcitur Amphitryo, & Anaxo filia.

*Vel celeũ

De Meſtore ac Lyſidice Delopis filia Hippothoe gignitur, quam, cum rapuiſſet Neptunus, atque in Echinadas inſulas intuliſſet, comprimit: ex eáque Taphium creat, qui Taphum colonos induxit habitaturos, quos Teleboas quod procul à patria iuerit, appellauit.

*Taphiã vel taphiuſſam*

Sed ex Taphio Pterelaus natus eſt. Hunc Neptunus aureo crine illius capiti impoſito, fecit immortalem. Cæterùm Pterelai ſeptem filij fuerunt, femina quidem Comætho, at mares, Chromius, Tyrannus, Antiochus, Gherſidamas, Meſtor, Eueres.

Atque Electrion ducta in matrimonium Anaxone Alcæi filia, ſuſcepit feminei quidem ſexus Alcmenam,

mares autem, Stratobatem, Gorgophonum, Philonomum, Celæneum, Amphimachum, Lyſinomum, Cherimachum, Anactorem, Archelaum: ſed poſt hoſce ſpurium ex Phrygia muliere Midea, Lycimnium.

E Sthenelo verò, & Nicippe, quæ Pelopis fuit, Alcinoe, & Meduſa procreantur, mox etiam eidem Euriſtheus natus eſt. qui Mycenis imperauit. Nam quo tempore Hercules gignendus eſſet, tum Iupiter inter Deos dixiſſe fertur, qui è Perſei prole oriturus eſt, Mycenis regnabit. Hinc Iuno perſuaſit ob inuidiam, Ilithyiæ, vt Alcmenes partum cohiberet: eámque vt Euryſtheus Sthenelei filius in lucem, iam ſeptimeſtris prodiret, ſubornauit.

Ad Electryonem autem Mycenis cum Taphio imperantem Pterelai filij profecti, ab eodem Meſtoris regnum auo materno repetunt, qui, quòd ab eorum poſtulatis maximè abhorreret Electryo, ipſius boues abegerunt. Tum Electryonis filij vim vi repellentes mutuo concurſu perimuntur, at ex Electryonis liberis Licymnius, quòd puer admodum eſſet adhuc, ſeruatur incolumis. Atque ex Pterelai natis Eucres, qui naueis aſſeruabat, ſuperſtes fuit. Tùm qui è Taphiis euaſiſſent, vela vento dederunt, & abactas ſecum boues Polyxeno Elienſium Regi commendarunt. Cæterùm Amphitryo redemptas de Polyxeno boues Mycenas abduxit. Interea verò Electryo filiorum cædem vlturus regno ſimul cum Alcmene filia in Amphitryonis poteſtatem tradito iuriſiurandi religione illum prius adegit, vt ad reditum vſque filiam virginem ſeruaret intactam. Bellum enim contra Teleboas conflare cogitabat. Is autem cùm boues reduceret, earúmque vna aufugeret, in ipſam Amphitryo tùm, quam manibus forte clauã geſtabat, immiſit. Quæ de bouis cornibus repulſa in Electryonis caput inſiliens ipſum vita priuauit. Sthenelus itaque hanc nactus occaſionem è tota Argiuorum terra Amphitryonem exegit. Inde non modo Mycenarum, ſed etiam Tirynthis ditione potitus eſt, mox autem Pelopis ad ſe filiis Atreo, Thyeſtáque accerſitis, Medeam commendauit. Amphitryo verò cum Alcmena, & Li-

cymnio Thebas profectus à Creonte fuit expiatus, ac Perimedem ſororem Licymnio tradit. Interea verò Alcmene dictitante ei nupturam ſe eſſe, qui fratrum ſuorum interitum vlciſceretur: tum Amphitryo pollicitus aduerſus Teleboas ſe bellum moturum, Creontem quoque ad id ſibi ſocium aduocauit. Tum is ſocium ſe belli fore inquit, ſi prius ille Cadmiam à vulpe liberaret, nam fera vulpes Cadmiam deuaſtarat. Hic & ſi recepiſſet, fato tamen cautum erat, eam à nullo vnquam mortalium captum iri.

Interim, dum fines ab hoſtibus diripiuntur, vnum ex vrbanis puerum Thebani in menſis curriculum ipſi multos rapturæ ne hoc fieret dari permiſerunt. Igitur Amphitryo Athenas profectus ad Cephalum Deionei filium Teleboarum ſpoliorum parte promiſſa, induxit, vt in venationem adduceret canem, quem Procris è Creta ſumptum à Minoe, duxerat, cui fato conceſſum fuerat, vt quamcumque feram inſectaretur, occideret. Quamobrem canem, cui Lælapi nomen fuit, cum vulpem inſequitur, Iupiter vtrumque lapides effecit. Amphitryo Cephalum à Thorico, qui Atticæ terræ populi nomen eſt, belli ſocium habens, & de Phocenſibus Panopeum, ab Elo Argiuorum Eleum Perſei filium, à Thebis Creontem, Taphiorum inſulas deuaſtat. Verùm Pterelaus donec in humanis fuit, *Taphum capere nunquam potuit. Poſt, vbi Cometho Pterelai filia, Amphitryonis amore inflammata eſt, aureum de patris capite capillum proſecuit, inde Pterelai morte inſecuta omnes ad vnam inſulas ſubegit Amphitryo. Qui interfecta poſt Comethone, captis ſpoliis Thebas renauigat, & inſulas Elio, Cephalóque tradidit. Mox illi conditas ſibi cognomines vrbes habitatum commigrarunt. Prius autem, quàm Amphitryo Thebas rediſſet, per noctem Iupiter ad Alcmenam contendit, cum qua trinoctio facto mutatus in Amphitryonis viri formam, concubuit; quæque aduerſus Teleboas geſta eſſent, omnia recenſuit. Vbi verò Amphitryo rediit, ac ſe à coniuge negligentiùs excipi videt, ab ea huiuſce rei cauſam poſtulat, cui, cùm Alcmena reſpondiſſet, quòd reuerſus priore nocte ſecum concubuiſſet: à Tireſia

*Taphiam

Iouis cum vxore concubitum factum reſciſcit. Alcmena verò duos peperit filios, Ioui quidem Herculem vna nocte grandiorem, atque Amphitryoni Iphiclem. At cùm Hercules octo iam menſes natus eſſet, Dracones duos inuſitatæ magnitudinis Iuno infantem perdituros in lectum dimiſit: Alcmena Amphitryonis opem implorante Hercules in pedes erectus vtraque manu conſtrictos ipſos necauit. Cæterùm Pherecydes ait, Amphitryonem, dum, vter eſſet eius de pueris filius, ſcire vellet, dracones hoſce in cunas, lectúmve inieciſſe: quo facto Iphicles planè in fugam ire conatur, at Hercules immotus ſtetit: atque ita Iphiclem ex ipſo genitum cognouiſſe refert. Hercules currus agitare ab Amphitryone, luctandi autem artem ab Autolyco, & ab Euryto ſagittandi rationem, à Caſtore ſub armis exerceri, demum à Lino citharœdicam didicit. Is Orphei frater fuit. Qui cùm Thebas commigraſſet, ac Thebanorum ciuium numero allectus fuiſſet cithara percuſſus ab Hercule, interiit: quòd ab eo velut præceptore vapulaſſet, ira ſuccenſus interemit. Cui cum quidam diem dicerent, & cædis, & commiſſi criminis poſtularent, ille contra Rhadamanthi legem recitans eiuſmodi, qui manibus iniuſtis irritantem punierit, inſons eſto, & hunc in modum Hercules euaſit incolumis. Veritus autem Amphitryo, nequid iterum eiuſmodi faceret, eum ad boum armenta amandauit, ibíque dum educatur, & virium præſtantia cæteris omnib. antecellebat. Ad hæc viſu terribilis erat, nempe Iouis filius, quíque cubitorum corporis, quatuor erat altitudine. Igneũ ex oculis ſplendorem effundebat, nec fruſtra aut ab arcu ſagittas emittebat, aut iaculo feriebat. Qui, cum inter boum armenta eſſet annum agens decimumoctauũ leonem Citheroneum interfecit. Hic è Citharone impetu facto, Amphitryonis, ac Theſtij boues, diſſipabat. Is autem Theſpienſium Rex erat, ad quem, leonis illius occidendi ergo ſe contulit Hercules: apud quem dies quinquaginta exceptus hoſpitio permanſit. Huic, quòd per diem venatum eunti noctibus ſingulis ſingulas filias ſubigendas dabat. Is autem filias quinquaginta ex

*Quidam dicũt vtroſq; Amphitryoni peperiſſe.*

*Figura Herculis.*

Megamede Arnæi filia natas habebat, qui ſumma ope nitebatur, vt Herculis ſemine repletæ omnes, ſibi nepotes procrearent. Hercules vnam, eandémque ſibi ſupponi puellam exiſtimans cum omnib. tandem coiuit: ac ſubacti ſuis viribus leonis pellem ſibi induit. & huius hiatum galeæ loco habuit. Redeunti verò illi à venatione Ergini legati miſſi à Thebanis tributum, vectigálve exacturi obuiam facti ierunt, Thebani verò Ergino hanc ob cauſſam vectigales, tributariíve erant. Clymenum Minyarum Regem Menœcei auriga, cui nomẽ fuit Perieres, lapidis ictu in Onchesto Neptuni luco vulnerat, & hic Orchomenum ſemimortuus delatus, ac moribundus Ergino filio mortem ſuam vlciſci iubet. Erginus itaque ingenti cum exercitu cõtra Thebas profectus, non paucis trucidatis pacem demum iureiurando ſtabilitam Thebanis dedit ea lege, vt ij ad annos viginti, boues centum quotannis tributi nomine ad eum mitterent. Hercules legatos ad id tributi petendum Thebas adeuntes forte quadam obuiam habens, ignominia affecit, deſectis auribúſque, & naribus quoque, & funiculis ſuas iis collo manus circumligans, hoc inquit, Ergino, & Minyis tributum reportare. Quas ob res indignatus Erginus in Thebas bellũ intulit, At Hercules armis à Minerua ſumptis, & bello præfectus Erginum quidem obtruncauit, Minyas autem in fugam vertit, ac Minyas geminatum tributum Thebanis pendere imperauit. Quo bello cum fortiſſimè pugnaret Amphitryo interficitur. Porrò Hercules à Creonte ob rem preclarè geſtam natu maximam filiam, Megaram vxorem accepit, de qua filios tres Therimachum, Creontiadem & Deicoontem habuit. Iuniorem verò filiã Creon Iphiclo, qui iam Iolaum filium ex Authomeduſa Alcathoi filia, ſuſceperat, coniugauit. Rhadamanthus autem Iouis filius poſt Amphitryonis cædem Alcmenam duxit. Quíque Ocaleam Bœotiæ in exilum eiectus habitatum conceſſit. Hercules per Eurytum ſagittandi peritiam antea conſecutus: enſem à Mercurio: ab Apolline ſagittas, *à Volcano thoracem aureum, & à Mineruá peltam accepit. Nam clauam ipſe ſibi in Nemea ſilua cæſam comparauit. Poſt confectam cum Minyis pu-

*Vulcano.

gnam Iunonis odio in furorem incidit ac ſuos ipſe filios ex Megara procreatos, vnà cum duobus Iphicli liberis, in ignem coniecit, qua de cauſa ſe ipſum exilio mancipauit: Expiatur demum à Theſtio. Inde Delphos profectus Deũ ſciſcitatur, vbi nã habitatum iturus eſſet.

Pythia tum primùm Herculem ipſum appellauit, nã prius Alcides nomine vocabatur, eumq́ue Tirynthem habitaturum eſſe dixit.

Euryſtheóque annos duodecim ſeruiturum, & imperatos labores totidem confecturum. Ad poſtremum verò peractis ærumnis ipſum immortalitate donatum iri prædixit. Id vbi Hercules accepit, Tirynthem commigrauit, ac quidquid ab Euryſtheo iubebatur, exigebat. Primùm itaque illi Nemeæi leonis pellem afferre iubet: id verò animal Typhone genitum inuulnerabile fuit. *Primum facinus.*

Hercules contendens in leonem Cleonas peruenit, vbi Molorchus vir, * qui manibus ſuis victum ſibi quæritabat, ipſum hoſpitio excepit: Cuíque hoſtiam immolare volenti, eam ad diem trigeſimam ei ſeruare iubet. Nam, ſi de venatione incolumis reuerteretur, Ioui eam ſeruatori mactaret: ſi verò occubuerit, ſibi tum per eam velut Heroi inferias ageret. Poſt, vbi in Nemeam peruenit, quæſitúmque leonem reperit, ac ſagittis illum prius impetiuit. Vt verò nullis poſſe vulneribus occidi cognouit, protenta claua feram perſequitur, quæ cum in * ſpelæum anceps confugiſſet, eius alterum oſtium obſtruxit, ac per alterum irrupit in feram, & circumpoſitis collo manibus, eò vſque aſtrictam tenuit donec eam præfocauit, impoſitámque humeris Mycenas importauit. Sed vbi extrema ſui reditus die Molorchum, vt mortuo hoſtiam immolaturum deprehendit, Seruatori Ioui ſacris peractis leonem Mycenas intulit. Cæterùm Euryſtheus cognitis Herculis viribus, ipſum vrbẽ ingredi poſtea nunquam permiſit. At pro portis res ab eo geſtas oſtentare præcepit. Ad hæc aiũnt metu perculſum, dolium ſibi æneum ſub terra occultè comparaſſe. Deinde Copreum caduceatorem Elienſis Pelopis mittit, qui quos ille labores exantlaturus eſſet, iniunxit. Hic, poſt interfectum à ſe Iphitum, Mycenis exulauit. Ibique

*Paſtor.* *Specus.*

*Secundũ facinus. vnde prouerbium Hydra portētoſa fortuna.* poſtquam ab Euryſtheo expiationem eſt conſequutus, habitauit. Porrò ſecundum Herculi certamen Hydram Lernæam obtruncandam imperauit. Hæc intra paludem Lernam enutrita plana omnia, & campeſtria eruptione facta diſperdebat, in pecora, atque agros ſæuiebat. Hydra mira corporis magnitudine fuit nouem capitib. munita, quorum octo morti obnoxia fuiſſe dicuntur. Quod autem omnium medium erat, immortale fuiſſe ferunt. Hercules igitur, curru conſcenſo, Iolai aurigæ opera vſus ad Lernam contendit, quò cùm peruenillet, equos ſiſtit, Hydram in tumulo quodam nactus, propter Amymones fontes, vbi ea latitare conſueuerat. Quam cum ignitis ſagittis impetiſſet, de latebris exilire compulit. Egreſſamque ipſam manu præhenſat, præhenſamque tenet, ea verò pedibus ſtatim circumplicita cohibebatur. Hercules capita contundens claua, nequicquam elaborabat, nanque vno contuſo, duo ſubnaſcebãtur. *Hercules cũ Iolao Lernã interficit.* Inſuper Hydræ peruaſti corporis Cancer admorſo Herculis pede opem ferebat. Quocirca interfecto cancro, Iolai, & ipſe opem implorauit. Qui cum proximæ ſiluæ partem ſuccẽdiſſet ignitis torribus renaſcentia Hydræ capita inurens, eum in modum renaſcentium capitum ortus ſuboriri prohibebat: victor caput illud morti haud obnoxium reciſum defodit, eique ingentis ponderis lapidem ſuperimpoſuit, ſecus viam, quæ per Lernam Eleuntem ducit. Ad hæc Hydræ corpore minutiſſimè conciſo ſagittas eius felle tinxit. At Euryſtheus hunc Herculis laborem duodecim ærumnis annumerãdum eſſe negauit, propterea quòd Hercules non ſolus, ſed Iolai adiumenta Hydram ſuperauerat. *Tertium.* Tertium verò facinus hoc illi gerendum imponit, vt cornutam ceruam Mycenas viuam adferret. Erat. n. ad Oenoen auratis cornibus inſignis ceruа Dianæ ſacra, Quocirca Hercules, quòd eam neque occidere, neque vulneribus afficere vellet, annum totum eſt inſecutus: Poſtea verò, quàm fera Herculis perſecutione laſſatam ſe eſſe ſenſit, in Artemiſium montem confugit, & illinc ad Ladonem amnem, quem cum iam iam tranatura eſſet, ſagitta percuſſam cepit, humeris ſublatam ferens, & per Arcadiam iter agebat, cui, cum Apolline Diana ſimul obuiam

facta, ceruam recipit, atque Herculem quod ſacrum ſibi animal occidere voluiſſet, obiurgauit, tum ille neceſſitate rei damnata Euryſtheum auctorem rei fuiſſe affirmauit, placata Deæ iracundia, feram viuam adhuc Mycenas importauit.

Quartum inde ei certamen imperauit, Erymanthium Aprum ad ſe viuum ferat. Hæc autem fera Pſophidem vſque ab Erymantho monte prorumpens deuaſtabat. Hercules itaque Pholoem inter eundum à Pholo Centauro Silem, ac Meliæ Nymphę filio hoſpitio excipitur. Hic hoſpiti toſtas carnes edendas appoſuit. Ipſe verò crudis veſci maluit. Herculi interim vinum poſcenti vereri ſe, inquit, commune Centaurorum dolium relinere: at bono illum eſſe animo Hercules iubet, ac ipſe dolium releuit. Neque ita multò poſt: Centauri quòd vinum ſubuoluiſſent, affuere lapidibus armati, & abietibus in Pholi antrum irrumpunt, E quibus Anchium, & Agrium, quod primi intrare ſpelæum auſi fuiſſent, Hercules accenſis torribus percuſſos euertit: reliquos autem ad Maleam vſque ſagittis perſecutus eſt. Inde verò ad Chironem confugere, qui à Lapithis eiectus è Pelio monte, ad Maleam habitauit. In hunc Hercules, cum circa delapſos Centauros ſagittis impeteret, telũ emiſit, quod delatum per Elati brachium in Chironis genu infigitur. Tum Hercules triſtitia affectus accurrit, ac ſagittam extrahit, datúmque à Chirone remedium vulneri impoſuit. Ille vero irremediabili vulnere ſauciatus in ſpelæum ſe recipit, quod in eo vita excedere vellet, qui, cùm per immortalitatem, qua donatus erat, minimè interire poſſet, tamen Prometheo Iouis permiſſu, immortalitatem adepto Chironis loco, tandem eſſe deſiit. Cætera verò Centaurorum multitudo, alius aliò ex fuga ſeſe receperunt. Nec defuerunt, qui in *Maleam montem confugerint. Eurytion verò in Pholoen, atqui Neſſus ad Euenum amnem, reliquos autem Neptunus excipiens ad Eleuſinem* montem occuluit. Porrò Hercules ad Pholoen regreſſus, ac Pholũ multis cum aliis morientem conſpicatus, eruta de mortui corporis ſagitta. quo pacto tantos tam parua ſagitta accidiſſet, admirabatur. Hæc autem è manu ſua delapſa

*Quartum*

*Maliã. Vnũ de prouerbiũ cum ad maliã deflexeris, domeſticos obliuiſcere.*

in illius pedem decidit, atque actutum ipſum interemit. Igitur Hercules Pholo humi condito ad Apri venationem contendit. Quem è fruteto quodam ingenti cum clamore excitatum, per altam niuem defeſſum, ac vinculis præpeditum Mycenas inuexit. Quintum deinde laborem imperauit, vt Augeæ pecoris fimum vnius diei curriculo exportaret. At Augeas Rex Elidis fuit, ſunt, qui illum Solis filium fuiſſe dicant. Nec deſunt, qui Neptuni, & qui Phorbantis. Hunc multas porcorum greges habuiſſe ferunt, ad quem, cùm Hercules adiiſſet, nulla de Euryſthei mandato mentione facta, vna die fimum omnem exportaturum ſe pollicitus eſt: ſi decimã pecoris vniuerſi ipſi condonaret. Augeas autem huic minimè credulus, ſe illi tamen poſtulata conceſſurum promittit. Hercules inde atteſtatus Phyleum Augeæ filium, ſtabuli fundamentum euertit, Alpheúmque, & Peneum, flumina præterfluentia per foſſam deducta, corriuatáque immiſit: ita, vt per alienum à priore alueũ defluerent, effecerit. Augeas, vbi de Euryſthei imperio confectum fuiſſe accepit, non modò mercedem pactam non perſoluebat, ſed etiam quidquam ſe promiſiſſe negabat: eaque de re iudicum ſententię ſe ſtaturum eſſe dictitabat. Conſidentibus itaque iudicibus Phyleus ab Hercule citatus in patrem teſtimonium dixit, quod iſte mercedem Herculi ſe daturum pactus fuerit, proinde Augeas ira inflammatus antè, quàm iudicum ſuffragiis ſententia ferretur, vti & Phyleus, & Hercules ab Elide faceſſerent, imperauit. Phyleus, itaque Dulichium commigrauit. Hercules autem Olenum ad Dexamenum abiit, atque ibidem habitauit. Vbi illum neceſſitate compulſum, vt Eurytioni Centauro Mneſimachem filiam vxorem dare deprehendit, à quo, vt ſibi opem ferret, exoratus Hercules Eurytionem, qui ad ſponſam ducendam venerat, obtruncauit, ſed Euryſtheus neque id inter duodecim, certamen admiſit, quippe qui mercede hoc feciſſe, aſſerebat. Sextum ei laborem, vt Stymphalidas aues fugaret, iniunxit. Erat autem ad Stymphalum Arcadiæ vrbem Stymphalis palus multis contecta atque vmbroſis arboribus addenſata, quare in hanc magna auium multitudo, luporum vim pertimeſcentes ex

*Quintum.*

*Sextum ſacrum.*

fuga

ex fuga ſeſe recipiebant. Herculi itaque, quánam ratione aueis è ſilua diſpelleret, ambigenti: Pallás ænea crepitacula Volcani munera accepta dedit. Hæc ille quaſſans ſub monte quodam paludem proximo aues territabat. Quæ ſonitum minimè ſuſtinētes præ metu ſubuolabant: eúmque in modum Hercules ipſas ſagittis imperiuit. Septimum inde laborem Cretenſis Tauri abducendi impoſuit. Hunc Acuſilaus quidem eſſe refert, qui Europam ad Ionem tulit. Nonnulli verò à Neptuno è mari ſubmiſſum, quo tempore Minos id ſe Neptuno immolaturū dixit, quod è mari apparuiſſet. atq; aiunt conſpicatum ipſum Tauri formam, ac ſpecimen, tunc planè inter hunc armenta dimiſiſſe: pro quo alium Neptuno ſacrificaſſe: Quibus in rebus iratum numen tauro feritatem immiſiſſe. In hunc igitur Hercules profectus in Cretam, quoniam capere volenti Minos inquit, Vbi expugnarit, ſibi caperet. Poſt, vbi illum cepit, Euryſtheo tranſlatum oſtendit. Cætera verò ſacrum, numiníque dedicatum abire permiſit. Hic Sparteque, & Arcadia vniuerſa peragrata; Iſthmum traiecit ac in Marathonem Atticæ terræ profectus incolas peſſimè habebat. Octauum certamen Diomedis Thracis equas Mycenas abigendi fuit. Is Martis, & Cyrenes filius Biſtonum Thracij generis, ac pugnaciſſimi, Rex fuit: Cui tum equæ erant, quas mortalium corporibus paſcebat. Ad quem cum Hercules volonum multitudine ſtipatus nauigaſſet, perdomitis qui equarum præſepibus præerant, eas ad mare abegit. Inter hæc, Biſtonibus ſumptis armis ad opem ferendam accurrentibus: equas Abdero cuſtodiendas commiſit.

*Septimum.*

*Octauum.*

*Diomedis equæ homi-nivoræ.*

Hic autem Erimi fuiſſe filius dicitur, genere Locrus ab Opunte, Herculis amaſius, quē æquæ diſcerptum interemerunt. Hercules deuictis Biſtonibus, atque occiſo Diomede reliquos in fugam abire compulit. Inde Abdera vrbe, ad Abderi perempti ſepulchrum condita ab actas equas Euryſtheo tradidit, Quæ poſtea ab Euryſtheo ſunt in Olympum montem tranſmiſſæ, eò cùm perueniſſent, à feris dilaniatæ ſunt. Nonus labor eſt, quo Hippolytæ cingulum ad ſe ferri iuſſit Euryſteus. Hæc erat Amazonum Regina: quę circa Thermodōtē amnē

*Nonum certamen.*

habitabant, hæc gens erat bello gerendo præſtantiſſima, quippe quę viriliter fortitudinem exercebāt, ac ſi quando viris admiſtæ peperiſſent, partus femineos educabāt. Dextras ad hæc mammas, ne iaculis emittendis impedimento forent, in nihilum redigebant, læuas autem alē- di filiorum gratia ſuccreſcere patiebantur. Cæterùm Hippolyte Martis baltheum argumento, vt omnibus aliis præeſſet, habebat. Ad hoc igitur Hercules capiendum emittebatur, vt illud cupienti Admetæ filiæ Euryſtheus obſequeretur. Impoſitis itaque voluntariis ſociis vna in naui, Hercules ſeſe nauigationi accingit, ac mox ad inſulam Paron appellit. Vbi tum Minois filij Eurymedon, Chryſes, Nephalion, & Philolaus habitabant. Ex omnibus, quos ſecum in naui vehebat Hercules, duo à Minois filiis interfecti fuerunt: quorum interitum iniquiſſimè ferens Hercules hoſce ſtatim è medio ſuſtulit, at reliquos intra oppidum concluſos, obſidione premebat: donec per legatos ab Hercule precibus impetrarunt, vt pro duobus è ſuis neci datis, quos ipſe vellet, acciperet.

*Amazones bellicoſiſſimæ.*

Tum ille ſoluta obſidione, atque Androgei filiis Alcæo, Sthenelcóque, acceptis, in Myſiam ad Lycum Daſcyli filium contendit, atque ab Amyco Bebrycum Rege hoſpitio exceptus, pugna inita à Bebrycibus, Lycum adiuuans multos trucidauit, in quibus, & Mygdonem Regem Amyci fratrem occidit, mox exciſa Bebrycum vrbe, terram Lyco attribuit. Hic autem omnem illam Heracleam vocauit. Inde verò Hercule ad Themiſcyræ portum appulſo, ad eumq́ue profecta Hippolyte atque eius aduentus cauſam percunctata, & Zonam ſe daturam pollicente, Iuno, ſumpta Amazonum vnius forma multitudinem adit: nuntians Reginam ab aduectis hoſpitibus rapi. Tum illæ captis armis in nauem, equo vectæ decurrunt. Hercules, vt armatas Amazonum copias proſpexit, arbitratus, id iam non ſine dolo fieri, Hippolytem necat, & Zonam aufert: ad hæc reliquis deuictis, renauigat, & Troiam appellit. Tum fortè accidit, per Apollinis, & Neptuni iram, vt ciuitas infeliciter ageret. Quoniam Apollo, Neptunúſque Laomedontis iniuriā vlciſci volentes, mortalibus aſſimilati, ac veluti

mercenarij Pergama ſe ædificaturos paciſcuntur, quibus, cùm opere abſoluto conſtitutam mercedem Laomedon minimè ſolueret, tum Apollo peſtem, ac Neptunus cum inundatione Cetos immiſit, quod, quidquid mortalium in campis offendit, corripiebat, cùm verò ex oraculis, malorum finem tum demum fore diceretur, cum Laomedon Heſionem filiam ſuam Ceto deuorandam appoſuerit: tum ille in proximis pelago ſaxis illigatam, propoſuit. Hanc ita expoſitam vt vidit Hercules, ſe ſeruaturum pollicetur, ſi ſibi, quas equas pro rapti Ganymedis iactura, ei Iupiter dederat, Laomedon tradat. Hoc illi ſe daturum pollicitus eſt Laomedon. Hercules Cetos occidit, & Heſionem ſeruauit, at Laomedonte mercedem pactam non ſoluente: Hercules Troiæ excidium minatus, abiuit & Ænum appellit, vbi à Poltye hoſpitio excipitur. Mox inter nauigandum in littore Æni enſi Sarpedonem Neptuni filium, ac Poltyis fratrem virum contumelioſum, atque improbum ſagittis confixum interfecit. Inde cùm ad Thaſum perueniſſet, expugnatis inibi Thracibus, eam Androgei filiis habitandam dedit. At è Thaſo profectus aduerſus Toronen, Polygonum, Telegonúmque Prothei, qui ex Neptuno procreatus fuerat, filios, ad luctandum prouocare ſolitos in ipſa palæſtra, interemit. Demum illatam Mycenas, Zonam Euryſtheo dedit. Tum decimum illi certamen ærumnámque indixit, Geryonæ boues ab Erythea abigendas. Sed Erythea non procul ab Oceano inſula erat, quam nunc Gaditam nominant. Hanc Geryones Chryſaoris, & Callirrhoes, quæ filia erat Oceani, habitabat. Is erat trium hominum corpore præditus, ita compacto, vt in vnum ventre tenus coiret, & ab ilibus, femoribúſque in trium rurſus partes diuiſum eſſe videretur. Ad hæc ille Puniciæ boues erant, quibus bubulcum Eurytionem præeſſe voluerat. Orthrus autem canis biceps ex Echidna, & Typhone genitus cuſtos præerat, Concedens igitur ad Geryonæ boues, per Europam, monſtra inter eundum multa prætergreſſus, in Libyam traiecit atque cùm per Tarteſſum iter feciſſet, itineris ſui monimenta in Europæ, ac Libyæ finibus oppoſitas inter ſe columnas

*Decimũ facinus.* *Geryonis figura.* *Herculeæ columnæ.*

duas conſtituit. Aſt, vbi in itinere Solis radiis calefieret, arcum in Deum ipſum intendere non erubuit. Hic verò hominis vires admiratus, Herculem aureo poculo donauit, quo Oceanum traiecit, & Erytheam aductus in Arbante monte pernoctauit. Id ſentiens canis in eum prorumpit. Hunc Heros claua percuſſit, nec non Eurytionem bubulcum cani ſuppetias, atque opem ferentem, occidit. Inter hæc Menœtius Plutonis boum paſtor rem omnem Geryonæ nuntiauit. Hic Herculem ad anthemuntem fluuium boues abigentem nactus commiſſa pugna, ſagitta perfoſſus interiit. Hercules autem impoſitis procul bobus Tarteſſum tranauit, vbi Soli poculum reddidit tranſgreſſus inde Abderam in Libyam peruenit, in qua Alebion, ac Dercynus Neptuni filij boues abigere ſolebãt: quibus peremptis, cum per *Tyrrheniam iter haberet taurorum vnus ad Rhegyo aufugit, atque in fretum repente delapſus eſt. In Siciliã tranauit, ac vicina terra percurſa, ab illo Italia fuit appellata: nam *Tyrrheni, quem Latini taurum vocarunt, ἰταλὸν dixerunt, In Erycis campos ſe contulit. Is Erycinis in Siciliæ parte, regnabat, ex Neptuno natus, qui hunc ipſum taurum ſuis armentis aggregauit. Commendatis itaque bobus Volcano, Hercules taurum quæſiturus procedit, quem, cùm inueniſſet inter Erycis armenta, ab eo repopoſcit. Tum is, niſi ipſum palæſtra ſuperauit taurum ſe redditurum eſſe negabat. Hercules ſemel, atque iterum, & tertiò ab ſe victum Erycem luctando peremit. Et taurum receptum cum aliis in Ionium mare perduxit. Qui ſimulac in Ponti receſſus penetrauit, bobus aſilum Iuno iniecit: Quo perciti ad Thraciæ montana diſſipantur. Hic inſecutus, boum partem collectam ad Helleſpontum compulit. Quæ verò reliquæ fuerunt, cætera ferę, atque agreſtes euaſerunt. Hercules tandem ægrè collectis bobus Strymonem, vt olim nauigabile flumen, accuſans, lapidibus oppletũ innauigabilem effecit, ac traductas boues Euryſtheo dedit, quas ille poſtea Iunoni immolauit. Cõfectis autẽ hiſce certaminibus, intra vnius menſis, annorumq; octo curriculum, Euryſtheus Augeæ pecoris, & Hydræ laboribus minimè admiſſis, vndecimum Herculi ærumnã

*Geryone ab Hercule interficitur.*

Tuſciam.

*Latinè Hetruſci vel Tuſci.*

impoſuit, vt ab Heſperiis aurea mala reportaret. Hæc verò non, vt quorundam eſt ſententia, in Libya erant, ſed in Hyperboreorum Atlante, quę Iuno ſuis in nuptiis Ioui muneri dedit. Ea draco immortalis Typhonis, & Echidnæ filius centiceps aſſeruabat. Hic variis etiam, omniúmque generum vocibus vtebatur, cum quo & Heſperides, Ægle, Erythia, Veſta, & Arethuſa, ſimul cuſtodiebant. Hercules itaque, cum ad Echedorum amnem perueniſſet, à Cygno Martis, & Pyrenei filio ad ſingulare certamen prouocatur. Hunc autem dum Mars tuetur, & pugnam committit, demiſſum è cœlo fulmen inter vtróſque medium diremit, * Iter deinde per Illyrios faciens, ac properans ad * Eridanum amnem Nymphas Iouis, & Themidis filias adiit. Hæ ipſi Nereum indicant, comprehenſumque ipſum dormientem, atque omnigenas formas alternantem deuinxit, neque illum prius, quam ab eo vbi iam mala illa, & Heſperides eſſent, edocuiſſet, abire permiſit. Quòd vbi didicit, Libyam percurrit. *Heſperidũ aurea mala cēticipitis Draconis. Typhonis portētoſa figura.* *Padum.*

Huic Antæus, Neptuni filius præerat, qui hoſpites ſecum palæſtra dimicare compellens, occidebat: At Hercules cum eo luctari coactus, ſublimem illum è terra vlnis eliſum interemit: nam ſi terram contigiſſet, is robuſtiſſimus euadebat, quapropter hunc Terræ filium nonnulli eſſe dixerunt. Inde à Libya Ægyptum peragrauit, in qua Buſiris ex Neptuno, ac Lyſianaſſa Epaphi natus regnabat. Hic ad Iouis aram hoſpites oraculo quodam monitus immolabat, annos enim nouem Æpyptus agrorum ſterilitate laborauit. Inter hæc Thraſius vaticinandi peritus è Cypro aduenit, qui hanc annonæ caritatem deſituram eſſe pronunciauit, ſi virum hoſpitem, quotquot annis Ioui mactarint. Tum Buſiris vate illo prius immolato, aduenientes deinceps iugulabat. Cōprehenſus itaque & Hercules etiam ad aras trahebatur, ac diſruptis vinculis, Buſirínque, & eius filium Amphidamantem, & Chalbem Cerycem necauit. *Antæus Herculi occiditur.*

Poſt hæc Aſia percurſa in Thermydras Rhodiorum portum appulit: & bubulci cuiuſpiam alterum de plauſtro ſolutum taurum, ac mactatum comedit. Tum bubulcus, vbi nullam ſibi auxilij copiam, neque ſpem re-

ſulgere videt, quodam in monte conſiſtens execrari cœpit: Quocirca, & nunc etiam, cum faciunt Herculi ſacrum, cum execrationibus id peragunt. Hinc Hercules in Arabiam peruaſit, vbi Emationem Tithoni filiũ necat, & facto per Libyam itinere, ad extimum vſque mare nauigat, vbi ſcypho ſumpto in obiectam continentem traiecit: atque Aquilam, Typhonis, & Echidnæ * filiam Promethei iecur in Caucaſo monte depaſcentem ſagittis conficit, & Prometheum detracto oleagino vinculo, ſolutum liberauit: eumque ad Iouem reduxit, qui illum pro Chirone qui mori cupiebat, immortalem eſſe declararat. Poſt autem quàm in Hyperboreos ad Atlantem peruenit, ac Promethei prudentia commonefactus eſt Hercules, ne ad Heſperidum mala proficiſceretur, ſed ipſe Atlanti in cælo ſuſtinendo ſuccederet, illúmque pro ſe mitteret. Itaque perſuaſus excepit. Atlas autem decerptis ex Heſperidum hortis tribus malis ad Herculem redit, Qui, cùm cælum habere ſubterfugeret: ceſticillum, inquit, ſe velle facere ſuo capiti imponendum, quo commodius tantum cœli pondus ferre poſſet. Quod vbi audiuit Atlas, depoſitis humi pomis, cœlum recepit, atque ita poma Hercules conſecutus diſcedit. Sunt verò qui dicant, hæc non ab Atlante habuiſſe, ſed ipſum cæſo dracone cuſtode decerpſiſſe, quæ ſecum delata dedit Euryſtheo. Tum ille accepta Herculi condonauit, à quo cum Minerua accepiſſet, ea rurſus reportauit, quoniam religioſum erat, ea alicubi collocari. Duodecimus labor iniunctus eſt, Cerberi ab inferis abſtrahendi, hunc autem terna canum capita, & draconis caudam, & in dorſo ſerpentum omnium generum capita habuiſſe fertur. Deſcenſurus igitur ad hunc canem, Eleuſinem ad Eumolpum ſe contulit, vt ab eo Cereris ſacris initiaretur. At verò externis iis ſacris admitti non licebat, ex quo adoptiuus Pylij filius initiatus erat, qui ne myſteria ſpectare quidem iam poterat, qui nondum Centauri cædem expiarat. Hercules demum ab Eumolpo tanti criminis contagione expurgatus, Cereris ſacris initiatur. Inde ad Tænarum Laconiæ promontorium, vbi ad inferni deſcenſum oſtium patet, acceſſit. Hac ad inferos

*Aquilam.*

*Atlas Heſperidũ tria mala Herculi refert.*

*Hercules Heſperidũ mala decerpit.*

*Duodecimũ facinus.*

*Cerberi figura.*

*Tænara.*

penetrauit: quem cum animæ conſpexiſſent, duabus exceptis Meleagri, ac Meduſæ Gorgonis filiæ, omnes in fugam abiere. In Gorgonem verò Hercules enſem vt in viuam nudauit: tum illud à Mercurio vanum ſpectrum eſſe diſcit. Mox, vbi ad Plutonis ventum eſt, Theſeum, ac Pirithoum Proſerpinæ nuptias poſcentem: eaque de cauſa deuinctum inuenit. Hi conſpicati Herculem, velut illius viribus redituri in vitam, manus porrigebant, tum ille Theſeum manu prehenſum excitauit, ſed Pirithoum quoque reuocare in vitam cupiens, ob terræmotum dimiſit, & * Aſcalaphi ſaxum reuoluit. Ad hæc ſanguinem animis præbiturus vnam ex Plutonis bubus iugulauit. Cæterùm Menœtius, Ceuthonymi filius Plutonis bubulcus cùm prouocaſſet in palæſtram Herculem, perfractis coſtis ac medius ab eo prehenſus, Proſerpinæ deprecatione ſeruatus eſt. *Siſyphi.

Demum Hercules Cerberum à Plutone depoſcit. Is illi, vt ſine armis, quibus communitus aduenerat canis abducendi poteſtatem facit. At Hercules nactus illum pro Acherontis portis thorace circumſeptus, ac leonis pelle contectus, & circumiectis illius capiti manibus haud abire permittit, & ſi à dracone qui in Cerberi cauda exiſtebat morderetur, ceruicem comprimens, ac belluam præfocans parere coëgit. Captum itaque Cerberum ad Euryſtheum, regreſſus per Trœzenem abduxit. At Ceres Aſcalaphum in bubonem mutauit. Hercules Euryſtheo monſtratum Cerberum rurſus ad inferna reduxit. Porrò Hercules exantlatis laboribus Thebas regreſſus, Megaram quidem Iolao coniugem dedit: ipſe vero vxorem ducturus, Eurytum Oechaliæ regulum, qui ſagittandi perita ſe, ac filios ſuos vicerit, certaminis præmium Ioles filiæ connubium propoſuiſſe accepit. Oechaliam igitur profectus, cum ſagittandi arte iis omnibus præſtantior extitiſſet, vxorem certè promiſſum certaminis præmium eſt minimè conſecutus. Iphitus ſanè filiorum maximus Iolem Herculi concedendam eſſe cenſebat. At Eurytus, cæteríque filij dehortari, ne, quam fortè prolem ex ea ſuſciperet, aliquando obtruncaret, pertimeſcentes. Nõnulli Proſerpina.

Hinc verò non longo poſt tempore abactis ex Eubœa per Autolycum bubus, Eurytus id Herculis perſuaſu cōfectum eſſe putauit: contra Iphitus id minimè credens, ad Herculem conuolat, eíque à Pherire venienti, occurrit, quo tempore, ſeruatam ab ſe iam mortuam Alceſtin Admeto marito reſtituerat. Proinde Iphitus Herculem, vt ſecum boues veſtigaret, cohortatur. Id illi Hercules ſe præſtiturum pollicetur, & eum quoque hoſpicio accepit. At furore iterum agitatus hunc è Tirynthiorum mœnibus deiecit. Cùm verò commiſſæ cædis cauſſa expiari vellet, ad Neleum, Pyliorum dynaſtam, proficiſcitur, excluſus autem ab eo, quod olim, vetus cum Euryto ſibi beneuolentia interceſſerat Amyclas peruenit, vbi illum Deiphobus Hippolyti filius ſceleris contage luſtrauit. Deinde graui morbo de Iphiti nece correptus Delphos adiit, ac morbi finem roganti illi Pythia nihil reſpondet: at Hercules eo nomine ſpoliare templum voluit, auectóque tripode, propriam ſibi oraculorum ædem conſtruxit, ac mox ab Apolline in eum pugna commiſſa, Iupiter inter hoſce duos medium fulmen demiſit, eóque modo dirempta illorum pugna, hoc Hercules oraculum habuit: Morbi finem tum fore, cùm triennium totum venditus ſeruierit ſeruitutem, & commiſſæ cædis ergò Euryto æſtimationem pependerit. Mercurius hoc oraculo dato, Herculem vēdit, eúmque Omphale Iardani filia Lydorum regina mercatur: cui Tmolus coniux moriens regnum reliquit. Sed oblatam fraternæ cædis æſtimationem Eurytus admittendam minimè cenſuit. Interim Hercules Omphalæ ſeruiens non procul ab Epheſo Cercopas captos in vincula coniecit. Syleum verò in Aulide, qui peregrinos eà iter facientes terram fodere compelleret: refoſſis ab radice vitibus vnà cum Xenodice filia interfecit. Idémque ad Dolichen inſulam delatus, ac videns Icari corpus in littore eiectum ſepulturæ dedit, ab eóque Dolichen inſulam mutato nomine Icariam vocauit. Cuius beneficij cauſa Dedalus è picea Herculis imaginem cōſimillimam effinxit, quam quòd ignoraret, per noctem lapide viuam eſſe opinatus, percuſſit. At quo tempore apud Omphalem ſeruiret, aiunt,

*Hercules ob ſpretum Apollinis numē Omphalæ ad ſeruitudū traditur.*

*Dedalus imaginē Herculis effingit.*

tum in Colchos nauigationem,& Calydonij apri venationem confectam fuiſſe, ac Theſeum, qui Trœzene Iſthmum aduenerat eum expiaſſe. Porrò poſt ſeruitutem,morbo liberatus, nauibus ordine remorum quinquaginta præditis decem & octo, collecta fortiſſimorum volonum manu in Ilium nauigauit. Poſtea verò quàm Ilium cum claſſe appulit, eam Oicleo cuſtodiendam reliquit. Ipſe autem cum cæteris rei bellicæ peritiſſimis in vrbem promouit. Laomedon interea facto cum multitudine in claſſem impetu, Oicleum quidem pugnantem interfecit,at reiectus ab Herculis copiis intra vrbem, obſideri cœpit: cúmque vrbis obſidione continenti premeretur, refractis mœnibus, Telamo primus vrbem intrat,& poſt eum Hercules.At,vbi Telamonem prius intraſſe videt, ſtricto in eum enſe vadit.Nam is meliorem ſeipſo volebat neminem. Id cum Telamon prouidè animaduertiſſet proximos adiacẽtes lapides colligere aggreditur:Tum Hercules, quid nam faceret,percontatur:aram, ille inquit Herculi Callinico ſe excitare. Tum is Telamonem collaudauit,Mox vero capto Ilio,ſagittis confecto Laomedonte, cum filiis ſuis,præter vnum Podarcem:Telamoni, Heſionam Laomedontis filiam ob rem præclariſſimè geſtam præmij loco dedit,ex qua poſtea Teucrum Telamo gignit, & huic quem vellet captiuorum abducendum concedit. Ea vero cum ſibi* Podarcem fratrem delegiſſet, Hercules hunc prius in ſeruitutem redigendum eſſe ait. *Priamum
Tum etiam illa adiecit, quidnam ipſi harum rerum cauſſa,vt eum accipiat, datura ſit. Ea verò pro empto fratre demptum è capite ſuo flammeum aureum dedit. Hinc pro Podarce Priamus eſt nominatus. Herculi verò ab Ilio claſſem reducenti Iuno fœdam immiſit tempeſtatem, quamobrem Iupiter indignatus eam ex Olympo ſuſpendit. Hercules interea cùm ad inſulam Co nauigaret,Coi, quòd pyraticam ipſe claſſem ageret,exiſtimantes, lapidum iactu in portum appellere prohibebant.Is autem vi illata, inſulam cepit:Regemque Eurypylum Aſtypalææ, ac Neptuni filium interemit. Sed & Hercules inter pugnandum à Chalcodonte

vulneratus fuit,& Iouis ope conſeruatus mali nihil pertulit. Inde,Co deuaſtata,Phlegram,ob Mineruam adiuit: vbi vnà cum diis gigantes debellauit. Nec longo poſt tempore Arcadum magna manu collecta, & acceptis ſecum ex vrbibus Græciæ volonibus fortiſſimis in Augeam bellum mouit. Augeas interim ab Hercule expeditionem in ſe comparari audiens: ab Elienſibus Eurytum, & Cteatum germanos duces delegit: qui viribus, atque opibus omnes eorum temporum mortales anteibant,hi Moliones,& Actoris filij erant, licet Neptuni eſſe dicerentur. Actor etiam Augeæ frater erat. Enimuero accidit,vt per eiuſce expeditionis tempus Hercules in morbum incideret: eamque ob cauſſam cum Molionidis pacem iniuit: qui, cùm poſtea Herculem morbo preſſum reſciſſent: eius copias inſidiis aggrediuntur,ac multos trucidant. Nec ob id tamen iam tum ab re bellica Hercules deceſſit. At cùm tertiò rurſus Iſthmici ludi celebrarentur, miſſos ab Eleis Molionidas cũ aliis ſimul immolaturos ad Cleonas per inſidias circumuentos trucidat, & ductis in Elin copiis vrbem cœpit, occiſoque cum filiis Augea Phyleum reduxit, eíque regnum attribuit. Ad hæc etiam Olympiacum certamen inſtituit, ac Pelopi aram ſtatuit, nec non duodecim Deorum aras deinceps excitauit. Poſt autem Elidem captam aduerſus Pylum caſtra promouit, & vrbe expugnata Periclymenum Nelei filiorum fortiſſimum,qui in varias inter pugnandum formas mutabatur, Neleúmque, & eius filios omnes, vno excepto Neſtore, interfecit. Hic enim puer adhuc apud Gerenios alebatur. Quin etiam ea in pugna Plutonem Pyliis opitulantem vulnerauit.

*Hercules Olympicorũ ludorum Author.*

Dein euerſa Pylo in Lacedæmonem Hippocoontis filios puniturus bellum gerit: quibus, quoniam Neleo ſuppetias tuliſſent,erat iratus, &, quòd Licymnij filium occidiſſent,longe magis illis ſuccenſebat. Nam, cùm ipſe Hippocoontis Regiam ſpectaret, erumpit illico in eum moloſſici generis canis,tum puer arreptum lapidem in canem coniecit, nec lapidis coniectio puerum fefellit. Mox eruptione facta Hippocoontidæ,

virgis puerum verberantes peremerunt. Huiuſce igitur mortem vlturus exercitum in Lacedęmonios comparauit, atque in Arcadiam caſtris promotis *Cepheum cum viginti, quos habebat, filiis vt belli ſocius eſſe velit, obteſtatur. At Cepheus veritus, ne relictam à ſe Tegeam Argiui bello inuaderent, expeditionem detrectabat. *Alias Celeum.
Tum Hercules ſumpta de Minerua ænea Gorgonis coma in vrna, Steropæ Cephei filiæ muneri dedit, hiſce adiectis verbis, quandoque militũ copiis ingruentibus eam comam de mœnibus, nec tamen prouiſam ſublimem oſtentet, hoſtium futuram euerſionem prænuntiat. Quo facto Cepheus cum filiis expeditionem ſecutus eſt, Atque idem in pugna, filiíque ſui omnes occubuere, his etiam acceſſit Iphiclus Herculis frater. At Hercules cæſo Hippocoonte, eiuſque filiis in ſeruitutem redactis, ſubiecit vrbem Tyndareo: & huic etiam regnum conceſſit. Deinde Hercules Tegea tranſiens Augem Alei filiam, haud agnitam viciauit. Quæ cum antea puerum occultè peperiſſet, in Mineruæ templo depoſuit. Interim peſte per ea loca debacchante, Aleus templum ingreſſus, & ſingula rimatus filię partum reperit, ac puerum in Parthenium montem deferendum, exponendúmque dedit, qui diuina quadam prouidentia conſeruatus eſt: Nã, quæ nuperrimè Cerua pepererat, illi vbera præbuit. Mox autem paſtores aſſumptum infantem, Telephum vocitarunt. Sed, & Aleus Augem Nauplio Neptuni filio extra fines vendendam exportari iuſſit. Hic autem Theuthranti Teuthrantæ vrbis Dynaſtæ tradidit, & ille eam ſibi poſtea vxorem fecit.

Cęterum Hercules Calydonem profectus Deianiram Oenei filiam coniugem depopoſcit, ac luctatus matrimonij huiuſce de cauſſa, cum Acheloo in taurum transformatum, vnum illi de cornibus perfregit. Itaque Deianiram duxit, cornuque Acheloo redditur, cuius loco Amaltheæ cornu accepit. Hæc Hæmonij filia fuit, quæ tauri cornu habuit. Id, vt Pherecydis teſtimonio comprobatur eius fuiſſe facultatis, vt, quidquid eſculenti, ac poculenti quiſpiam expetiſſet, copioſè admodum ſuppeditaret. Inſuper Hercules pro Calydoniis contra Theſprotos bellum gerit,

qui vrbe Ephyra, cui Phylas Rex præerat, vi capta congreſſus cum Aſtyoche huiuſce filia, Tlepolemi fit pater. Cùm verò apud eos permaneret, ad Theſpium miſit, ac ſeptem fermè filios vi retinere dicebat, de quibus treis ablegaturum ſe Thebas, at reliquos quatuor in Sardiniam inſulam veluti colonos ſe tranſmiſſurum. Quibus confectis cùm apud Oeneum in conuiuio eſſet, pugno percuſſum Eunomum Architelis filium ei pocula propinantem occidit. Is autem Oeneo propinquis erat, ſed pueri pater, quòd præter eius volũtatem factum fuiſſe contigiſſet, ei veniam dedit. Atqui Hercules legis multam ſecutus, exilium ſuſtinere voluit, atque Trachinem ad Ceycem ſe iam conferre decreuit: Qui, vbi cum Deianira vxore ad Euenum amnem peruenit, ibi Neſſum Centaurum manentem, qui viatores traiiciebat, offendit, eúmque traiiciendi laborem mercedis loco à Diis iuſtitiæ ſuę cauſſa ſe recepiſſe dictitabat. Igitur Hercules ipſe per ſe amnem tranauit, ſed Deianiram, portorium pactus, in alteram ripam Neſſo tranſuehendam commiſit, tum illi Centaurus, dum traiicit, vim inferre aggreditur, eam verò acclamantem audiens Hercules, egreſſum in terram Neſſum in corde ſagitta percuſſit. Is, vbi ſe mortuum videt: mulierem ad ſe vocat, eique ſi velit inquit, philtrum apud Herculem, ſibi habere, quod ipſe ſemen in terram effudiſſet, cum ſanguine, qui ex ſpiculi vulnere manaſſet, commiſceat. Tum illa id factum penes ſe conſeruauit. At Hercules, Dryopum finibus peragratis, & cibi inopia laborans Thiodamantem plauſtrum, quod à binis bobus trahebatur, ducentem obuium habuit, eorum alterũ è curru ſolutum, iugulatúmque, & coctum deuorauit. Poſtea cum Trachinem perueniſſet ad Ceycem, hoſpitio ab eodem acceptus Dryopas debellauit. Inde illinc promotus Ægimio Dorienſium Regi ſe belli ſocium fecit. Nam Lapithæ, eum de terræ finibus Corono eius belli Imperatore armis infeſtabant. Is igitur obſidione preſſus Herculem in ſocietatẽ, atque in regni partem adiutorem arceſſierat, Cui Hercules opitulatus, Coronum cum cęteris ſuis interemit, eíque regni fines vniuerſos liberos reddidit. Ad hæc etiam. Laogoram Dryopum Regem cum

filiis in Apollinis luco epulantem, vt virum petulãtem, improbúmque, ac Lapitharum ſocium obtruncauit. Nec multo poſt per Itonem iter facientem Herculem Cygnus Martis, & Pelopiæ filius, vt in ſingulare ſecum certamen congrederetur, prouocauit, Congreſſus itaque, & hunc etiam interfecit. Vt autem Orchomenum peruenit, cum Rex Amyntor cum armis procedere minimè ſinebat: qui, dum ita pertranſire prohibetur, & hunc ipſe vita priuauit. At, cum Trachinem perueniſſet, exercitum in Oechaliam adunauit, vt eo bello in Eurytum animaduerteret, accitis ſibi ſociis Arcadibus, & Melienſibus domo Trachine, ac Locris Epicnemidibus, Euryto vnà cum filiis occiſo vrbem capit. Sepultis deinde ſuis commilitonibus, qui in eo bello interierant, atque Hippaſo Ceycis filio, Argeum, & Melanem Licymnij filios, ac demum oppido direpto Iolen captiuam abduxit. Inde in Cenæum Eubœæ promontorium appulſus Iouis Cenæi aram conſtituit. Sacrificaturus autem, Trachinem ad Ceycem miſit, qui lautam ac ſplẽdidam ad ſe tunicam afferret, à quo, vbi quæ de Iole ſucceſſerant, Deianira percepit, verita ne illam iterum magis arderet, rata verum eſſe amoris philtrum, effuſum Neſſi ſanguinem, eo tunicam infecit. Quam ſibi Hercules indutus, ſacrificauit: ſed, vbi veſtis incaluit, Hydræ viro Herculis corpus putreſcebat. Tum Licham ille pedibus abreptũ, ſublatúmque à Bœotia deiecit in Euboicum mare præcipitem, tunicam verò, quæ iam corpori inhæſerat, reſcindit: eámque ita auulſam carnis fruſta ſubſequebantur. Tanto igitur Hercules morbo laborans naui Trachinem aduehitur. Quod vbi Deianira reſciuit, ſua ipſius manu ſuſpẽdio vitam finiuit. Hercules Hyllo, qui natu maior ex Deianira filius erat, vt cùm per ætatem ei liceret, Iolem vxorem duceret, imperauit. Deinde ad Oetam Trachiniorum montem ſe contulit, ibique conſtructam ab ſe pyram, iam conſcendit, atque ignem ſubiici iubebat. Quod cùm ſuorum facere auderet nemo, * Pœas interim quæſiturus amiſſos greges cùm per id loci iter faceret, pyrã ſuccendit. Huic Hercules ſagittas, arcúmque dono dedit, ardente autem pyra, nubem cum tonitru ſublatã ipſum in cælum remiſiſſe,

*Deianiræ mors.*

** Aliqui philo ctetes.*

*Hercules in cælũ rapitur.*

dicirur. Inde immortalitatem adeptus, & reuocatus in gratiam cum Iunone Hebem illius filiam vxorem duxit, de qua ſibi filios Alexiaren, & Anicetum procreauit. Herculi autem filij ex Theſij filiabus hi fuerunt:
† Ex. †Procride quidem Antileon, & Hippeus: ea enim natu maxima geminos peperit. ex Panope, Thripſippas, Lyſe, Eumedes, Creon, Epilaus, Aſtyanax. ex Crethe verò Iobes, Eurybius, Polylaus, Pattus, Archemachus: Meline, Laomedon, Clytippus, Euricape, Eurypylus, Eubotes: ex Aglaia, Antiades, Oneſippus: ex Chryſeide, Orcas, Lanomene, Teles, Lyſidice, Endedides, Menippides: ex Anthippe, Hippodromus, Teleutagoras, Eurycapylus, Hippotus, Eubœas, Olympuſe, Nicodromus, Argele, Cleolaus, Exolus, Erythras, Xanthidos, Homolippus, Stratonicus, Atromus, Celeuſtanor, Iphis, Laothoë, Antidus, Antiope, Alopius, Aſtybie, Claametidus. Phyleidus, Tigaſis: ex Æſchreide, Leucones, Anthea, Eurypiles, Archedicus, Dynaſtes, Eratus, Aſopides, Mentor, Eone, Ameſtrius, Tiphyſe, Lynceus, Halocrates, Olympuſes, Heliconide, Phalias: ex Heſychee, Oeſtrebles, Terpſicrates, Euryopes, Eleuchea, Buleus, Antimachus, Nicippes, Patroclus, Pyrippus, Nephos: Praxitheæ, Lyſippus, Eraſippus, Lycurgus, Lycius, Toxicrates, Bucolus: Marſæ, Leucippus, Eurytiles, Hippocrates, Hippozygus. Hi ſũt ex Theſpiadibus orti, ex aliis autẽ, ac Deianira, Oenei filia, Hyllus, Cteſippus, Glyciſonetes: ſed ex Megara, Creõtis, Therimachus, Deicon, Creontiades, Deion. Quem autem Hercules ſuſtulit filium ex Omphale Lydorum Regina, nomen fuit Agelao, vnde & Crœſi genus. Ex Chalciope Eurypyli filia Theſſalus: ex Epicaſte Ægei filia, Theſſalus: ex Parthenope Stymphali filia Eueres: ex Auge Alei, Telephus: ex Aſtyoche, Phylantis Tlepolemus: ex Aſtydamya Amyntoris Cteſippus: ex Autonoe Perei Palæmon. Relato demum inter Deos Hercule filij ſui Euryſtheum fugientes ad Ceycem ſe receperunt.

Vbi verò illos ab eo repetere cœpit Euryſtheus, ac niſi dederentur, bellum minitabatur, ij tum metu perculſi relicta Trachine per Helladem fugerunt. Qui, cum Euryſtheus eos inſectaretur, Athenas conceſſerunt

& conſidentes ad Miſericordiæ aram opem implorabant. Athenienſes non modò non dediderunt eos, ſed etiam aduerſus Euryſtheum bellum ſuſtinuerunt, & eius filios, Alexandrum, Iphimedontem, Eurybium, Mentorem, Perimedémque occiderunt. Ipſum inſuper Euryſtheum fugientem è curru, atque ad petras Scironides adequitantem Hyllus inſecutus obtruncat: eiuſque caput amputatum Alcmenæ dedit. *Euryſthei mors.*

Hæc autem illi textoris radiis oculos effodit. Itaque poſt interfectum Euryſtheum in Peloponneſum Heraclidæ redierunt, omneſque amiſſas vrbes receperunt. Cæterùm, quoniam intra anni ſpatium, ex quo in patriã remearant, vniuerſam Peloponneſum peſtis inuaſit, eamque euenisse, quod Heraclidæ prius, quàm liceret, ipſi ſedem patriam repetiſſent, oraculo declaratum eſt. Quamobrem relicta rurſus Peloponneſo, Marathonem commigrarunt. Tlepolemus autem Licymnium non ſponte occidit, quippe, qui ad miniſtrum ſuum quendam baculo percuſſurus aberrauit. Idque ante, quàm è Peloponneſó abſcederet. Exulans igitur haudquaquam exigua cum hominum manu Rhodum venit, atque ibi ſedem locauit. Hyllus ad hæc ex patriis imperio Iolem Eryti filiam ſibi in matrimonium copulauit, & quanam ratione ſuis Heraclidis redeundi facultatẽ compararet, nihil reliqui faciebat. Proinde Delphos conceſſit, & quanam via reuerti poſſent, Apollinem ſciſcitatur. Tum Deus, ſi ad tertium vſque fructum, inquit, expectarint, eos eſſe redituros. Hyllus verò tertium fructum triennij curſum dici arbitratus, ad tantum temporis curriculum permoratus cum exercitu Heraclidas in Peloponneſum reducit, quo tempore Tiſamenus Oreſtis filius Peloponneſiorum regnum tenebat, ac noua pugna cõmiſſa Peloponneſij vincunt, & Ariſtomachus interficitur. Poſtea verò, quam Cleolai filij adulta iam ætate fuerunt, de reditu Pythiam conſulunt, à qua, quod antea oraculum dederat, acceperunt. Temenus, ſibi quòd reſponſo eiuſmodi fidem habuiſſent, infeliciter ſucceſſiſſe, obiiciebat. Tum contrà Pythia ipſos infelicitatis ſuæ fuiſſe auctores reſpondit, Quando reſponſa data minimè intelligebant.

Non.n.tertium terræ, ſed generis eſſe fructum, inquit, oraculum indicat, ac Stenigrum iſthmum innuit, quem latioris aluei pelagus dextrorſum allidit. Quæ cum audiſſet Temenus militum copias legit, & in Ætoliæ loco naues compingit. Vbi etiam nunc loco ab ea re nomen eſt Naupactos. Interea dum ibi comparatæ militum copiæ morantur: Ariſtodemus, relictis ex Argia Auteſionis filia geminis Euryſthene, ac Procle, fulmine ictus occubuit. Quinetiam Naupacti exercitus in morbũ ingentem concidit, ſiquidem ipſis vates futura prædicens, atque afflatus numine viſus eſt, quem magnum eſſe, atque à Peloponneſiis in exercitus perniciẽ emiſſum exiſtimarunt. Hunc Hippotes Phylantis Antiochi ex Hercule nati filius iaculo percuſſum interfecit. Quo facto rei naualis apparatus perdita claſſe diſperiit, peditatus itẽ fame infeliciſſimè egit, exercitúſque omnis diſſolutus eſt. Temeno interim ea de clade oraculum poſtulanti numen ob vatis cædẽ ea obueniſſe reſpondit: Proptereáque homicidam decẽnium exulare, iuſſit, necnon ea de cauſſa Trioculi belli prætoris opera biennium vti illi præcepit. Quare Hippotem exilij cauſſa ſolum vertere coegerunt: Atqui Trioculum veſtigantes, Oxylo Andræmonis filio equum inſidenti obuiam fiunt. Hic vnoculus erat, qui oculorum alterum ſagitta excuſſum amiſerat. Nam cum cædis patratæ cauſſa in Elidem, atque illinc in Ætoliam iſſet exulatum, * & circumacto iam anno in patriam redibat. Hunc igitur ab oraculo ſignificari arbitrantes copiis imperatorem præficiunt, & mox pugna inita, terra, maríque vincunt, & Tiſamenum Oreſtis filium occidunt. Verùm è ſuis deſiderantur Ægimij filij, Pamphilus, ac Dymas. Poſt, vbi Peloponneſo potiti ſunt, treis aras Ioui Patrio excitarunt, in quibus peractis ſacris vrbes ſortiti inter ſe partiuntur. Prima itaque ſortitio fuit Argos, ſecunda Lacedæmon. Tertia demum Meſſene. Illata deinde ſitula aquę plena: placitum eſt cuique in eam ſortes coniici. Tum Temenus, & Ariſtodemi filij Procles, & Euryſthenes, calculos coniecerunt. Creſphontes autem Meſſenem ſortito habere volẽs terræ glebam iniecit, qua reſoluta priores illas duas ſortes ante prodire neceſſe erat. Educta igitur

prius Temeni ſorte. Secunda Ariſtodemi liberûm ſortitio fuit: Quo factum eſt, vt illa ſoluta, hæc conſtiterit, & per eam Creſphonti Meſſena obtigerit. Porrò in aris, quibus immolatum erat, iacentia ſigna inuenere. Nam, quibus Argos obtigit priuatim, rubetam: quibus Lacedæmon, draconem: quibus auem Meſſene, vulpem. hi in ſua quiſque ara priuati ſigni ſymbolum oſtenderunt, quæ verò ad ſymbola ſpectant, vates cecinerunt. Nactis quidem rubetam, in vrbe manere præſtat: Id enim animantium genus, ſi peregrinetur, nullis viribus ſe tueri poteſt. Qui draconem conſecuti ſunt, formidabiles fore, ſi promoueantur: qui vero vulpem deprehendiſſent, doloſos fore prædicebant. Temenus igitur prætermiſſis Agelao, Eurypylóque, & Callia filiis, Hyrnethoni filiæ, atque huiuſce viro Deiphonti adhæſit.

Proinde illius filij Titanas, mercede conductos ad patrem interimendum inducunt. Commiſſo itaque parricidio regnum penes Hyrnethonem, ac Deiphontem exercitus fore iudicauit.

Creſphontes autem non ita multo poſt ſuſceptum imperium Meſſenæ duobus cum filiis interfectus eſt. Atqui Polyphontes eorum imperio, quòd Heraclidarum genere ortus eſſet, præficitur, atque occiſi Creſphontis vxorem Meropem inuitam perduxit, at hic etiam è medio ſublatus fuit. Nam cùm tertium Merope filium Ægyptum nomine haberet, patri ſuo ipſius alendum dedit: qui cum adultæ iam ætatis eſſet, per inſidias adortus Polyphontem peremit, ac paternum ſibi regnum recuperauit.

# APOLLODORI ATHENIENSIS GRAMMATICI BIBLIOTHECES, SIVE de Deor. Origine,

## LIBER TERTIVS.

*Benedicto Ægio Spoletino Interprete.*

QVONIAM verò genus Inachium enarrata Beli progenie, vſque ad Heraclidarum familiam expoſuimus, & Agenoris prolem quoque deinceps enarremus. Enimuero, vt à nobis antea dictum fuit duos è Libya filios Belum, & Agenorē Neptunus procreauit. Belus quidē Ægyptiorum Rex, quos ſuperius diximus, liberos genuit. Agenor autem in Europam profectus Telephaſſam cōiugem duxit, ex qua Europam filiam, & Cadmum, Phœnicemque mares, & Cilicem ſuſtulit. Sunt, qui Europam non Agenoris, ſed Phœnicis filiam eſſe affirment. Huius amore captus perit Iupiter, necnon taurus per Rhodiū mare nauigat, qui vbi ſeſe puellæ mitē cicuremque prębuit, atque inde tauri dorſo illam impoſitam velut prædam, pelago auexit in Cretam: eáque inibi ab Ioue cōpreſſa Minoem, Sarpedonem, ac Rhadamanthum peperit: ſed Homeri teſtimonio Sarpedon ex Ioue, ac Laodamia Bellerophontis filia natus eſt, Poſt vbi Europa nuſquam appareret, Agenor pater eam filios veſtigaturos emiſit: iiſque, ne niſi, cum reperta prius Europa, redirent, imperauit. Quibus cum & Telephaſſa mater, ac Thaſus Neptuni filius, vel (vt Pherecydes ait) Cilix ad eam perquirendam toiuit. Poſtea verò, cum paſſim omnia veſtigaſſent, neque vſquam Europam comperiſſent, deſperato ad ſuos reditu, alius aliò commigrarunt. Phœnix in Phœnicen ſe contulit. Cilix huic finitima loca, inuaſit, atque omnem Pyramo amni adiacentem regionē ſubegit, eamque de ſe Ciliciam nominauit. Cadmus autem, ac Telephaſſa in Thraciam penetrarunt, nec non & Thaſus conditam in Thracia vrbem Thaſum ſuo

*Cilicia unde dicta.*

de nomine appellatam habitauit. Demum Aſterion Cretenſium regulus Europa in matrimonium ducta ex ea natos filios aluit, qui, cum adoleuiſſent mutuam inter ſe diſcordiam exercuerunt, nam Miletum puerum deperibant. Hic filius Apollinis, & Areæ Cleochi filia fuit: Puer, cum in Sarpedonis beneuolentiam, amoremque potius inclinare videretur, Minos conflato bello victor fuit. Poſt illi in fugam vertuntur, ac Miletus in Cariam appulſus ibi Miletum à ſeipſo dictam vrbem condidit. Verùm Sarpedon Cilici aduerſus Lycios bellum gerenti opitulatus, ex Lycia parte regnum ſibi comparauit: eique Iupiter ad tres ætates vitam conceſſit. Nec deſunt, qui illum Atymnij Iouis, & Caſſiopeæ filij amore conflagraſſe tradant, eáque de cauſſa in ſeditionem concidiſſe. Sed Rhadamanthus, cum conditis ab ſe legibus inſulanis imperaret, atque ex fuga rurſus in Bœotiam contendiſſet, Alcmenem duxit vxorem: demũ vita defunctus, apud inferos cum Minoë fratre iudicandis animis præficitur. At Minos Cretam incolens leges conſcripſit, ductáque Paſiphaë Solis, ac Perſeidis filia, ſiue, (vt Aſclepiades ait) Creta Aſterij filia, Creteum, Deucalionem, Glaucum, & Androgeum mares, feminas autem Heucalem, Xenodicen Ariadnémque, ac Phædram ſuſtulit. Porrò ex nympha Paria Eurymedontem, Nephalionem, Chryſen, & Philolaum. At ex Doxithea Euxanthium. Deinde, vbi Aſterion nullis relictis liberis deceſſit, Minos Cretæ ſuſcepta regni adminiſtratione prohibetur. Qui fidei faciendæ ergo à diis regnũ ſe accepiſſe affirmans, Quidquid, inquit, voto depopoſciſſet, eueniſſe. Inde Neptuno immolans, taurum, vt ſibi ex profundo mari offerri precibus, depopoſcit, oblatum immolaturum ſe pollicetur. A Neptuno itaque tauro, qualis eum deceret, emiſſo, regnum accepit. Qui cum eiuſmodi taurum ad armenta deduci iuſſiſſet, aliũ immolauit. Hic ſubacto ſibi pelago omnibus propè inſulis præfuit. At iratus illi Neptunus, quod eundem taurum minimè immolaſſet: hunc ipſum efferauit: Paſiphaemque vt illum ardentiſſimè deperiret, effecit. Hæc igitur tauri inflammata deſiderio adiutorem ſibi Dædalum aſſumit architectum, qui cædis reus Athenis,

*Minos Cretẽſiũ legiſlator.*

aufugerat, hic ligneam in rotulis vaccam concauam intrinſecus miro artificiò conſtruit, cuique bubulam pellem circumſuit,eamque in prato,vbi taurus depaſcere conſueuerat, elocauit. Inde Paſiphaem intromiſit: ad quam taurus accurrens, ceu naturalem vaccã iniuit. Hæc demum Aſterium cognomento Minotaurum peperit: taurino vultu,cætera virum fuiſſe,fertur. Hunc Minos oraculis quibuſdam monitus intra Labyrinthũ concluſum cuſtodiri iubet. Sed Labyrinthus,quem Dædalus ædificauit,domicilium erat,quòd ob multiplices viarum ambages,occurſúſque, ac recurſus,fallebat. Quæ verò de Minotauro, & Androgeo, ac Phædra, & Ariadna, leguntur, vbi de Theſeo poſt dicetur, explicabimus.

*Minotauri forma.*

*Dædalus Labyrinthi Author.*

Aſt Ærope, Clymene, Apemoſyne, & Althemenes, è Crateo Minois filio liberi nati ſunt. Creteo verò, qualem ipſe vitæ exitum habiturus eſſet, oraculum ſciſcitanti,Deus ab vno è filiis ſuis interfectum iri reſpondit. Cretus itaque oraculum cælat: quod cum accepiſſet Althemenes: & veritus, ne patri mortem inferret, relicta Creta cum Apemoſyne ſorore profectus, in quendam Rhodi locum appellit: quo potitus Creteniam illi de ſe nomen indidit. Conſcenſo autem Atabyrio monte iacentes circa inſulas circumſpectauit, ac etiam deſpicatus Cretẽ,iam & * Deũm patriorum recordatus Atabyrio Ioui aram ſtatuit:nec longo poſt tempore ſuam ipſe ſororem interemit. Nam Mercurius eius amore correptus quòd fugientem aſſequi non poſſet, quippe quæ illi pedum pernicitate præſtabat, recentibus tergoribus viam ſubſtrauit, in quibus delapſam, cum è Creta rediret, vitiát, ac fratri rem commiſſã renũtiat. Is autẽ Dei nomen culpæ expugnatæ pudicitiæ prætextum eſſe arbitratus,eã calcibus impetitãoccidit,Mox Crateus Æropem, Clymenenque per Naupliũ in longinquas terras, vendendas amandat. Ex his quidem Pliſthenes Æropem vxorem duxit, ex qua filios Agamemnonem, & Menelaum ſuſtulit. Verùm Clymenem Nauplius in matrimonium cepit, ac filiorum Oracis,& Palamedis pater efficitur. Cum verò Crateus ſenio confectus eſſet,Althemeni filio regnum tradere cupiebat: eáque de cauſſa

**Deorum.*

Rhodum contẽdit: cúmque è naui cum heroibus ſociis in deſertum quendam inſulæ locum deſcendiſſet: à bubulcis prædones ingruiſſe ratis eiicitur, quique vera dicens, tum ob canum latratum, quòd ab inſulanis percuteretur, exaudiri non poſſet: Althemenes ſuperueniens telo contorto Crateum patrem haudquaquam agnitum interfecit. Qui, vbi ſcelus patratum cognouit, Deos precatus terræ hiatu abſorptus occulitur.

*Cæterùm Deucalioni nati ſunt filij Idomeneus, Crete, ac Nothus & Molus.*

Glaucus autem Minois filius infans adhuc murem inſequens in mellis dolium delapſus, occubuit. Qui, cum gentium nuſquam appareret: Minos pater, quo amiſſum filium reperiret, cum diu, multumque quæſiuiſſet, de illius inuentione ſciſcitatum oracula miſit. Curetes illi tricolorem inter armenta bouem eſſe retulerunt, cuius, qui optimè effingere ſimulacrum poſſit, ab eo filium in vitam reuocatum iri. Accerſitis itaq; vndecumque vatibus: Polyidus Cœrani filius rubi fructui bouis colorem aſſimilauit: & puerum veſtigare coactus vaticinij cuiuſpiam adiumento tandem reperit. At cum Minos eum ſibi viuum reddi oportere dictitaret, cum pueri cadauere in quodam domicilio, concluditur, cumque in ſũma conſilij inopia verſaretur, draconem ad præmortui pueri corpus proſerpentem vidit. Hunc lapide percuſſum, veritus, ne idem ipſe pateretur, occidit. Interea draco alter aduenit, ac priorem extinctum conſpicatus, retro abiit: mox herbam ferens redit: eaque ſuper omni draconis mortui corpore impoſita, illum in vitam reuocauit. Id, cum Polyidus ſumma cum admiratione conſpexiſſet, eandẽ herbam illatam Glauci corporis impoſuit, atque illico mortuum ſuſcitauit. At Minos, neque poſt recuperatum filium, niſi, prius vaticinandi rationem Glaucũ doceat Polyidus, illum Argos remeare permittebat. Polyidus autem coactus edocet, atque in patriam rediturus, vela faciebat, Glaucum ſuũ in os inſpuere iubet, quo facto Glaucum vaticinandi obliuio ſubiit. Hactenus itaque de Europæ poſteris dixiſſe ſat eſt.

*Sciſcitatũ*

*Herba cuiuſdã vi reuocatur à morte Glaucus.*

Porrò Cadmus cum iam vita functam Telephaſſam

ſepeliſſet : à Thracibus hoſpitio exceptus Delpos de Europa deum ſciſcitaturus, contendit : Deus illi nihil ab eo curioſè de Europa quærendum reſpondit: ſed boue viæ duce vtatur, atque vrbem condat vbicumque ea ambulando defeſſa procumbat. Quo ille accepto reſponſo per Phocenſium terram iter faciebat : mox boui inter Pelagontis armenta obuiam factus eam ponè ſequebatur. Ea verò Bœotia percurſa humi procubuit, vbi nunc extant Thebæ. Deinde bouem illam Palladi mactaturus, aliquem è ſociis ſuis ex Martio fonte deſumptā aquam reportaturum mittit : draco fonti cuſtos appoſitus erat, hunc Marte ſatum fuiſſe perhibebant . Is ex aquaturis pleróſque abſumpſit. Quare indignatus Cadmus draconem interemit : ac Mineruæ conſilio eius dentes ſerit, quibus ſatis, armati è terra viri exorti ſunt : quibus Spartis, id eſt, Satis, nomen inditum fuit : Hi poſtea mutuis ſeſe vulneribus, Alteri quidem vel inuiti pugnam congreſſi, Alteri verò quod alter alterum nequaquam cognoſcerent, occiderunt. Sed Pherecydes ſcriptum reliquit, Cadmus vt armatos viros è terra exoriri conſpexit, lapides inter eos coniecit. Tū ij viciſſim percuti exiſtimantes mutuam inter ſe pugnā inierunt. Verùm ex iiſce, quinque tantummodo Echion Vdæus, Chthonius, Hiperenor, & Pelor incolumes ſuperfuerunt.

*Unde ſpartæ.*

At Cadmus pro cæſis inter ſe viris annum integrum Marti mercenarius fuit . Iam tum annus annis octo conſtabat . Poſt exactum mercedis tempus Regi ipſi Minerua Regiam adornauit , Harmoniam Veneris, & Martis filiam vxorem dedit. Ad hæc dij omnes relicto cælo in Cadmia conuiuio excepti nuptias concelebrarunt . Cadmus vxori peplum , ac monile Vulcani opus, quod ei ab Volcano dono miſſum ferunt: muneri dedit. At Pherecydes ab Europa datum ſcribit : idque ab Ioue accepiſſe . Cadmi filiæ fuere Autonoë, Ino, Semele, Agaue . Verùm Polydorum vnicum habet marem, ſed Ino Athamanti nupſit. Aryſtæus Autonoem ſibi coniugauit, Echion Agauē duxit.

Iupiter, cùm Semelem arderet, cum ea clam Iunone concumbit. Hæc autem ab Iunone decepta, vt quidquid

ab eo depoſceret, ſeſe facturum Ioue pollicente: vt qualis cum coniuge congreſſurus adueniret, ſecum decumberet, poſtulauit, quod cum Iupiter abnuere non poſſet, curru inuectus in peramatæ Semeles thalamũ præmiſſo fulmine cum fulgetris ſimul, & tonitribus aduenit: quare Semele metu extremata ſemeſtrem partum eiicit. Iupiter hũc è medio abreptum igne, femori inſuit. Mox Semele extincta, reliquæ Cadmi filiæ, euulgant dictis Semelem cum mortalium quodam concubuiſſe, & ab Ioue ſe compreſſam mentitam fuiſſe, eamque ob rem fulminatam fuiſſe. Congruo deinde tẽpore ſolutis filis Iupiter * Dionyſium gignit, eumque Mercurio tradit. Hunc ille ad Inonem, & Athamantam affert: atque vt puellum educarent, ſuadet. Quod iniquo animo ferens Iuno iiſce furorem immiſit. Inde Athamas maiorem natu filium Learchum, velut ceruum venatus interfecit. Ino vero Melicerta in feruentem lebetis aquam coniecto, & cum perempto filio in maris profunda diſſiluit, & hæc quidem Leucothea nominatur. Puer autem Palæmonis nomen accepit. Sic itaque appellati à nauigantibus maris tempeſtatem patientibus opem ferunt. Ad hæc Melicertæ Iſthmiorum certamen Siſypho authore inſtitutum fuit. Mox Iupiter, Dionyſium in hœdum transformat vt Iunonis iram euaderet. Hinc Mercurius ſumptum puerum ad Nymphas, quæ tum Nyſam Aſiæ vrbem incolebant, tranſportauit. Has poſtea Iupiter in ſtellas mutatas, Hyadas appellauit.

*Bacchum.*

*Iſthmiorum Siſyphus author.*

Sed ex Autonoe, & Ariſtæo Actæon filius procreatur, quid à Chirone educatus venator euaſit. Poſtea verò ſuis à canibus in Cithærone deuoratus eſt, eumque in modum interiit, vt verò Acuſilaus ait, Iouis ira, quod Semelem precatus eſſet, ſed, vt pleríque, quod Dianam lauantem vidiſſet, aiuntque ab Dea extemplò, in ceruũ commutatum fuiſſe, atque quinquaginta illius canibus inſequentibus rabiem iniectam fuiſſe, vt per eam dominum haud agnitum deuorarint. Cæterùm Actæonem è medio ſublatum canes dominum veſtigãtes gannitu vocis & Domini deſiderium triſtitia quadam ſignificantes baubãtur, ac demum poſt diu quæſitum herum in Chironis antrum deuenerunt, quibus ille Actæonis

*Actæon ſuis canibus deuoratur.*

ſimulacrum effinxit,quo viſo ſtatim mœrore ſoluti ſunt omnes. Actæonis Canum nomina.

*De quibus hi pulchrum validi circum vndique Regis*
*Inuadunt corpus rapidæ ceu Tigrides. Vrſique*
*Immanis ſoboles laniant propè retia, Prote:*
*Poſt alij dominum inuadunt ſæuiſſima proles.*

Lynceus & Banus pedibus citus,atque Amarynthus & quos nominatim protulit in enumeratione.

*Tum Iouis Imperio Actæon cecidit.*
*Regis namque ſui nigrum obſumpſere cruorem*
*Argúſque,Spartúſque,Boréſque celerrimus,iidem*
*Artubus Actæi,atque etiam ſunt ſanguine paſti.*
*Cætera dein promptè inuaſerunt turba latrantum.*
*Sæuorum hæc hominum generi eſt medicina dolorum*

Bacchus. Porrò * Dionyſius poſt vitem inuentam à Iunone furore iniecto percitus, Ægyptúmque,ac Syriam perErrauit. Hunc primus omnium Proteus Ægyptiorum Rex hoſpitio accipit: ac rurſus ad Cybellam Phrygiæ vrbem proficiſcitur; atque ibi expiatus à Rhea, & ceremoniis edoctus Cybeleias, ſtoláque ab eadem ſumpta ad Indos per Thraciam contendit. Lycurgus Dryantis filius Rex Edonorum,qui amnem Strymonem incolunt, primum ipſum contumelia affectum eiecit. Tum Bacchus ad Thetin Nerei filiam confugit, Bacchæ autem in vincula coniectæ fuerunt,nec non magna Satyrorum multitudo quæ eum conſecuta eſt. Contra verò Bacchæ ſtatim ſolutæ ſunt. Nam Dionyſius Lycurgo furorem iniecit. Tum ille amentia præceps Dryantem filium vitis palmitē ſe ratus amputare, ſecuri percuſſum interfecit. Qui cùm extrema ſui corporis præcidiſſet,reſipuit. Deinde, vbi terra nullas ſuppeditaret fruges, numen ſuo renuntiauit oraculo,terram tum fore fructiferam, cùm Lycurgus mortalitatem exuerit: Quod, vt Edoni acceperunt, ipſum in Pangæum montem abductum in vincula coniecerunt, vbi ex Dionyſij voto equis laniatus occubuit. Ad hæc Bacchus poſt Thraciam, atque Indiam vniuerſam peragratam,& locatis inibi cum titulo ſtellis Thebas repedauit,nec non feminas relictis domibus ſuis in Cithærone debacchari compulit. Pētheus autem Agaues,& Echionis filius à Cadmo in regno ſubro-

gatus, hæc ab illis fieri prohibuit: quíque, cum ſe in Citheronem montem Mimallonidas exploraturus, contuliſſet, ab Agaue matre, per furorem, cum feram eſſe arbitrata, membratim conciditur. Demum Bacchus vbi ſe Thebanis Deum eſſe declarauit, Argos adiit, atque ibi rurſus ab illis vt numen minimè obſeruatus, eorum mulieres furere, ac debacchari coëgit. Quæ mox in montibus lactentium, quos ſecum extulerant, filiorum carnibus veſcebantur. Poſtea verò, cum ab Icaria in Naxum tranſuehi cuperet, prædatoriam * Tyrrhenorũ triremem mercede conduxit, ac Deo ipſo in naui impoſito Naxi littora præterlegunt, atque in Aſiam Deum venditurí vela faciunt. Tum Dionyſius malum, remóſque in ſerpentes vertit, nauim ad hæc hædera, & tibiarum ſonitu omnem repleuit. Nautæ interim furore acti in mare præcipites fugiũt, atque in Delphinos transformantur. Poſt, vbi, hunc Deum eſſe a rebus geſtis mortales didicerunt, diuinis honorib. percolebant. Hic, deinde ab inferis matrem reuocauit, Thyonémque mox illam appellauit, cùm ea demum in cœlum conſcendit. Intereà Cadmus cum Harmonia coniuge poſt relictas Thebas ad Encheliẽſes commigrauit. Quibus cum ab Illyriis bello impeterentur, à Deo reſponſum fuit, Illyriis, ſi Cadmum, Harmoniámque ducem haberent, imperaturos. Tum hi oraculi fidem ſecuti eos aduerſus Illyrios duces deligunt, ac vincunt. Sic itaque Cadmus Illyriorum regnum adipiſcitur: eique Illyrius filius naſcitur, nec longo poſt tempore in dracone cum Harmonia mutatus in campum Elyſium ab Ioue demiſſi ſunt.

*Delphinorum.*

Dein Polydorus Thebarum regno præfectus Nicteidem filiam Nyctei, qui fuit Chthonij filius, ducit vxorem: ex qua Labdacum gignit. Hic, poſt Pentheũ, quòd eadem, quæ ille, ſentiret, occubuit. Qui, cum Laium filium anniculum ſuperſtitem reliquiſſet, Lycus Nyctei frater, interea, dum ille in pueris eſſet, regnũ occupauit. Ambo verò ab Eubœa in fugam acti, poſt Phlegyam Martis, & Chryſæ Bœotidis filium interfectum in Syria ſedem collocarunt: atque ob ſuam, quæ cum Pentheo neceſſitudo interceſſerat, in ciuitatem cooptati fuere. Declaratus igitur Lycus à Thebanis belli imperator, re-

gno præficitur: Qui, cum, iam annos viginti imperaſſet, à Zetho, & Amphione obtruncatus diem obiit. Huiuſce necis hanc fuiſſe cauſſam produnt. Antiope Nyctei filia fuit, hanc Iupiter iniuit, eáque, quòd grauida eſſet patre comminante, in Sicyonem ad Epopeum ex fuga ſeſe recepit: atq; huic nubit. Nycteus interim mœrore confectus, cum antea Lyco, vt in Epopeum, Antiopémque animaduerteret, imperaſſet, ſibi ipſi mortẽ conſciſcit. Is autem comparata magna militũ multitudine Sicyonem capit, & Epopeum interimit. Atque Antiopem captiuam abducit, quę, cùm abduceretur, ad Eleutheras Bœotiæ geminos parit, quos expoſitos bubulcus inuenit, ac educat. Horúmque alteri Zetho, alteri autem Amphioni, indidit nomẽ. Zethus rei pecuarię ſtudio ſeſe dedit, Amphio verò quòd à Mercurio lyra donat⁹ eſſet, citharœdicam exercuit. Lycus interea Antiopem in vinculis, & eiuſce coniux Dirce torquebat. Clam verò tandem aliquãdo vinculis vltrò ſolutis, ad filiorum domicilium, vt ab eis exciperetur, contendit. Qui matre agnita Lycum occidunt, ac Dircen crinibus religatam è tauro necant, & in fontem, qui ab ea Dirce poſtea nominatus eſt, coniiciunt. Recuperato deinde imperio, vrbem ſubſecutis Amphionis lyram lapidibus, muro cinxerũt, Laiumque fugarunt. Quem cùm in Peloponneſo ageret, Pelops hoſpitio excipit, & huiuſce filium Chryſippum curulis artis exercendæ rationem edocens, & eius amore ſuccenſus, rapit. Zethus porrò Theben ducit, de qua Thebis vrbi factũ eſt nomen. Amphion verò Nioben Tantali filiam ſibi coniugauit. De qua filios mares ſeptem procreauit: Sipylum, Minytum, Iſmenum, Damaſichithonem, Agenorem, Phædimum, ac Tantalum: feminas autem totidem Ethodæam, ſiue, vt alij volunt Theram, Cleodoxam, Aſtyochen, Phthiam, Pelopiam, Aſtycrateam, Ogygiam. At Heſiodus decem filios, totidémque filias genuiſſe ait. Sed Herodotus duos quidem mares, tres autem feminas. Immo verò Homerus ſex filios, & ſex item feminas illum ex ea ſuſtuliſſe refert. Quare, Niobe, tot filiis aucta, Latona ſe fœcundiorem eſſe iactitauit. Latona verò id ægerrimè ferens, Dianámque, ac Apollinem, in Niobes filios

irritauit. Mox autem Diana Niobes filias ſagittis domi confecit: at mares ad vnum omnes in Cithærone venanteis Apollo interfecit. Amphion tamen è maribus, & è feminis Chloris natu maxima, quæ Neleo nupſerat, aſſeruati ſunt. Verùm Teleſillæ teſtimonio Amycla, & Melibœa intactæ remanſerunt: & ab iiſdem Zethus etiam, & Amphion ſagittis confixi occubuerunt. Ipſa verò Niobe, Thebis relictis in Siphylum ad Tantalum patrem peruenit, ibíque Iouem precata in ſaxum commutata fuit, ac lachrymas noctes, atque dies effundit ſuo de lapide. *Niobe in lapidem mutatur.*

Poſt, vbi Amphion vita deceſſit, Laius regnum accepit, duxítque Menœcei filiam, quam nonnulli Iocaſtam quidam verò Epicaſtam nominant. Qui, oraculo monitus eſt, ne filios gigneret, quòd ex eo, qui naſceretur, parricida futurus eſſet. Is autem per ebrietatem cum vxore concubuit, ex ea natum infantem, paſtori traiectis terrea fibula calcaneis, dedit exponendũ, at hic quidem puerum in Cithærone monte expoſuit. Polybi verò Corinthiorum regis bubulci repertum infantem ad Peribœam illius vxorem contulerunt, quæ ſumptum puerum velut proprium partum ſibi ſupponit, & curatis pedibus, Oedipum nominat. Idque illi de pedum tumore nomẽ imponit. Adultus interea puer, ac robore ſuis æqualibus antecellens, ob inuidentiam per contumelias, ſuppoſititius, ac ſpurius appellatur. Qui, cùm de Peribœa id quæreret, ſcire minimè potuit. Profectus autem Delphos de parentibus ſuis Deum ſciſcitatur, cui tum Apollo, ne in patriam rediret, oraculo edicit, quippe qui ſuo patri cædem eſſet illaturus, & cum matre rem habiturus. Hic, vbi id accepit, ac reputans ex iis, qui dicti fuerant, natum eſſe ſe. Corinthum redire ſuperſedit, & dum curru per Phocidem vehitur, anguſta quadam in via Laio, ac Polyphonte (hic erat Laij præco) curru euntibus occurrit, cui, cùm Polyphontes, vt de via cederet, imperaſſet, nec ille dicto audiens eſſet, quin potius cunctaretur, equorum iugalium alterum præco interfecit. Iracundia percitus Oedipus, & Polyphontem, & Laium ſimul obtruncauit, inde Thebas peruenit. Laium itaque Platæenſiũ rex

Damaſiſtratus ſepeliendũ curauit. Regnum verò Creon Menecœi filius inuaſit, quo regnante nõ mediocris clades Thebas occupauit. Siquidem Iuno Sphingem, ex Echidna, & Typhone parentibus ortam immiſit. Hæc muliebri facie, pectore, pedibúſque, ac cauda leonis, & auis pennis prædita fuit. Quæ cùm à Muſis ænigmata didiciſſet in Phyceo monte conſedit: de quibus id vnum Thebanis proponere ſolebat quod eſt huiuſmodi: quodnam eſſet id animal, quod vnam habet vocem, & quadrupes bipes, ac demum tripes, efficitur. Ad hæc Thebanis oraculo renunciatum fuerat, iam, tum Sphingis incommodo, ac detrimento liberos fore, quando id ænigmatum ſoluiſſent, quin etiam vniuerſos, quid illud eſſet, rogabat, quod, cùm minimè reperirent, abreptum ex omnibus, vnum deuorabat: eáque de cauſſa pleríque ſubinde peribãt. Ac poſtremo ad eum Æmone Creontis filio perempto, Creon ænigma huiuſmodi ſoluturo, & regnum, & Laij vxorem ſe traditurum præconis voce renũtiari iubet. Quod vbi ad Oedipi aures peruenit, ipſe ita ſoluit: quod à Sphinge proponitur, ænigma, hominem eſſe ait, naſcitur enim quadrupes infans, quòd quatuor gradiatur membris, grandior autem effectus, homo bipes eſſe incipit, ſeneſcens verò, ac demum tertio aſſumpto pede, id eſt ſcipione, tripes dici poteſt. Ipſa igitur, Sphinx ex arce ſeſe præcipitem dedit. Oedipus inde regnum accipit, ac matrem ignotans duxit vxorem, de qua etiam Polynicem & Eteoclem mares, femineíque ſexus Iſmenem, & Antigonem procreauit. Sunt autem, qui tradant hoſce filios editos eſſe, ex Eurygenea Hyperphantis filia. Deinde, vbi, quæ antea latuerant, in lucem tandem prodiere: Iocaſta quidem laqueo ſibi collum fregit. Oedipus autem, oculis orbatus Thebis pellitur, ac filios execratus quod ab vrbe parentem eiici ſpectantes, eum ab iniuria non defenderunt. Profugit igitur cum Antigone in Colonum Atticæ terræ populíque locum, vbi Eumenidum lucus viſebatur, in eo ſupplex conſedit.

*Sphingis figura.*

*Eiuſdem ænigma.*

*Ænigmatis diſſolutio.*

*Sphingis interitus.*

Inde fuit à Theſeo ſuſceptus, neque ita multò poſt è vita migrauit. Eteocles autem & Polynices de regno inter ſe gerendo paciſcuntur, placuit, vt annulum im-

perium per vices adminiſtrarent. Sunt, qui Polynicen prius regnare cœpiſſe aiunt. Deinde annuum Eteocli regnum reddidiſſe. Nonnulli verò Eteoclem prius imperare cœpiſſe, nec regnum fratri tradere voluiſſe, aiunt. Polynices itaque Thebis fugatus ſecum monile, ac peplum exportans Argos adiuit, quo tempore Adraſtus Talai filius Argis regnabat: ad cuius regiam per noctem accedit: vbi cum Tydeo Oenei filio, qui tum quoque Calydone Argos confugerat, manum ad pugnandum conſerit, & excitato inter eos clamore, Adraſtus repente apparuit, eorúmque pugnam diremit. Tum vaticinium quo fuerat olim monitus, vt & Apro, & Leoni filias in coniugium daret, memor vtrúmque illis ſponſos deſignauit. Illi etenim in clypeis, alter Apri, Leonis alter faciem defixam geſtabant. Deipylem itaque Tydeus, Argiam Polynices, vxorem capit. Adraſtus item vtrumque in patriam ſuam quamque reducturum ſe pollicetur, Igitur comparato exercitu, contra Thebas prius eundum eſſe ſtatuit. Quare præſtantiſſimum quémque ad ſe coire, imperauit. Amphiaraus autem Oicleis filius vaticinandi peritiſſimus, quòd omneis in eo bello præter vnum Adraſtum perituros eſſe perſpiciebat: hanc Thebanam expeditionem detrectabat, quin etiam reliquos dehortabatur. Dum vero Polynices ad Iphin Alectoris filium contendit, ab eóque precibus expoſcit, qua poſſet ratione Amphiaraum ad militiam capeſſendam cogere, demonſtraret. Huic ille ſi monile, inquit, Eriphyle conſequatur. Amphiaraus ergo, ne quid à Polynice muneris capiat, Eriphylæ vxori prohibuit: Verùm Polynices eam monili ſuo donatam rogat, vt virum ſuum ad rem bellicam gerendam inducat, id enim in ipſius erat manu, nam cùm Adraſtum conueniſſet, Amphiaraus, vt quæ cum eo, & iam dudum de regno erat, diſſenſionem ſolueret. Itàque ſoluto colloquio, quidquid inter eos litis, ac diſcordiæ foret, ad Eriphyles iudicium ſe relaturum iureiurando confirmauit. Quo igitur tempore contra Thebas belli ratio inibatur, Adraſtus ad id capeſſendum cohortabatur, contrà vero Amphiaraus diſſuadebat: quocirca Eriphyle torque aureo donata ad id belli gerẽdum permo-

uit Adraſtum. Tum Amphiaraus eam ſubire militiam coactus, filiis imperat, vt ſimul ac per ætatem liceret, matrem occiderent, & bello Thebas maximè infeſtarent. Porrò Adraſtus collectum cum ducibus ſeptem, in Thebas exercitum ductare maturat. Huiuſce belli duces hi fuerunt. Adraſtus Talai, Amphiaraus Oiclis, Capaneus Hipponoi, Hippomedon Ariſtomachi, ſiue, vt aliis placet, Talai. Hi Argiui fuerunt. Polynices* Oedipodis Thebanus, Tydeus Oenei filius Ætolus, Parthenopæus Melanionis Arcas. Sunt, qui Tydeum, & Polynicem inter hoſce minimè connumerent, ſed Eteoclum, Iphium, & Meciſteum recenſent. Profecti verò in Nemeum, cui Lycurgus rex præerat, aquam depoſcunt, & his ad fontem viæ dux fuit Hypſipyle Lemnia, relicto infante paruulo Ophelte nomine, Eurydices, ac Lycurgi filio, cuius etiam nutrix erat, nam, cùm Lemniæ mulieres ab ea Thoantem patrem ſeruatum fuiſſe comperiſſent, illum obtruncarunt. At Hypſipylem vendiderunt. Quocirca vitæ tuendæ gratia apud Lycurgum ſeruiebat. Ea, intereà dum demonſtrat iter ad fontem, relictus puer à dracone occiditur. Draconem vero Adraſti apparitores interemerunt, ac puerum ſepeliunt. Tum Amphiaraus, id inquit prodigium futura prænuntiat. Sed & hunc puerum Archemorum vocarunt, & in eius etiam honorem Nemeæ certamen inſtituerunt. In quo Adraſtus equo vicit, curſu vero Eteoclus, cæſtibus Tydeus, curſu, & diſco Amphiaraus, iaculo Laodocus, lucta Polynices, arcu Parthenopæus. Igitur vbi ad Cithæronem peruenere, Tydeum Eteocli oratorem, vt ex conſtituto regnum Polynici reſtituat, prædicturum deſtinant. At Eteocles quum Adraſti, & commilitonum mandata nihili facere videretur: Tydeus de Thebanis periculũ facturus, ſingillatim omnibus prouocatis victor euaſit. Illi vero armatos viros quinquaginta in redeuntem Tydeum in inſidiis collocarunt, eóſque omnes præter vnum Mæonem trucidauit. Deinde ad Thebas caſtris cingendas Argiui ſe dederunt, atque ad vrbis muros armati proximè conſtiterunt. Septem portas Thebarum fuiſſe memorant. Adraſtus quidem ad Homoloidem portam tetendit,

*Oedipi.

Capaneus verò ad Ogygiam. Amphiaraus ad Proetidem. Hippomedon ad Onchaidem, Polynices, ad Hypſiſtam, Parthenopæus ad Electram, Tydeus demum iuxta portam Creniden tentoria fixerunt. Sed ipſe interea Eteocles Thebanos ſuos armis inſtruxit, conſtitutíſque ductoribus pares, paribus ſuas cuique copias regendas committit. Ad hæc, qui poſſet hoſtes ſuperare, vaticinantium conſilio conquiſiuit. Erat per ea tempora Thebis Tireſias vates Eueris, & Chariclonis Nymphæ filius ab Vdæi vnius Spartorum, Satorúmve, genere oriundus, oculis captus. Deque huius cæcitate, ac vaticinandi peritia varia eſt hiſtoria. Namque alij deorum ira, quòd mortalibus, quæ latere voluiſſent, detegeret, excæcatum fuiſſe aiunt. Pherecydes autem à Pallade luminibus orbatum refert. Siquidem cum Chariclo Mineruæ cariſſima eſſet, ei nudam per omnia Deam vidiſſe contigit, eámque manibus ſuis erutis illius oculis cæcum feciſſe, at Chariclo Palladem, vt nato ſuo oculos reſtitueret, oraſſe, quod cum Dea efficere non poſſet, expurgatis illius aurium meatibus, omnem omniũ auium garritum intelligentem feciſſe, eundémque corneo ſceptro condonaſſe: quod geſtans æque, atque oculatus tutò incedebat. Heſiodus autem enarrauit, conſpicatum aliquando Tireſiam non procul à Cyllene coëunteis angues baculo cæcidiſſe, eumque de viro in mulierem mutatum fuiſſe, & rurſus ita coëuntes eoſdem ſerpentes obſeruaſſe, & in priorem viri formam rediiſſe. Quocirca, Iuno ac Iupiter ambigentes: mulieréſne, an viri maiorem in coëundo voluptatem caperent, hunc ſibi litis arbitrum delegerunt. Tum ille de nouem, ac decem, quæ inter coëundum voluptatis partes capiuntur, nouem mares, at mulierem decem ſentire iudicauit. Proinde illum Iuno luminis vſu priuauit. Cui Iupiter pro luminibus ademptis vaticinandi ſcientiam conceſſit. Sunt, qui Tireſiam, Ioui, Iunonique ita reſpondiſſe ferunt:

*Tireſias cur viſu orbatus.*

*Tireſiæ lepidum iudicium.*

*Parte vna è denis mas partibus oblectatur:*
*At mulier ſolidum coitus capit ipſa decuncem.* Longæuã inſuper Tireſię vitam fuiſſe, proditur, Hic itaque Thebanis futura prædicens eum victorem fore, inquit,

ſi Menœceus Creontis filius ſeſe Marti victimam deuoueret. Quod vbi Menœceus audiuit, ſeipſum ante portas mactauit. Deinde pugna commiſſa Cadmeos ad muros vſque perſecuti ſunt, & arreptis ſcalis Capaneus in ſummos muros conſcendit, cúmque Iupiter fulmine ictum interemit. Quo facto Argiui aufugiunt, in qua cùm multi cecidiſſent, ex vtriuſque exercitus ſententia Eteocles & Polynices ſingulari certamine pugnant, ac mutuis ſe vulneribus necant. Noua rurſus pugna cõſerta Aſtaci filij rem fortiſſimè geſſerũt. Iſmarus enim Hippomedontem proſtrauit, Leades Eteoclum Amphidicus Parthenopæũ quẽ Euripides à Periclymeno Neptuni filio cæſum fuiſſe narrat. Melanippus ad hæc nouiſſimus Actaci filius Tydeum in ventre percuſſit, qui cum ſemianimis iaceret, Pallas ab Ioue impetratum remedium attulit, quo illum faceret immortalem. Quod cum accepiſſet Amphiaraus Tydeum oſus, quoniam præter ſententiam ſuam Argiuos ad bellum Thebanum cõpuliſſet, deſectum Melanippi caput ad eum tulit. Tydeus, quòd ab eo vulneratus eſſet, illud vltus eſt, nam diuiſo eius capite cerebrum abſorbuit, id vbi Pallas animaduertit, indignata beneficium eiuſmodi abſtinuit, & inuidit. Inter hæc Amphiarao ad Iſmenum amnem fugienti, prius, quàm in humeris à Periclymeno vulnus acciperet, demiſſo ab Ioue fulmine terra dehiſcit, Mox ille cum curru ſimul & Batone auriga, ſiue vt quidam ferunt Elattono eo terræ hiatu abſorptus eſt, & poſtea nunquam viſus eſt. Illum enim Iupiter immortalitate donauit. Verum Adraſtus ab Arione equo vectus in tutum euaſit. Hunc Ceres in Erynnis formam conuerſa, ex Neptuni concubitu genuit. Creon Thebanorum regnum adeptus Argiuorum cadauera inſepulta proiecit. Quin etiam, vbi edicto præcepit, ne quis ea ſepelire curaret, cuſtodes appoſuit. Antigone verò ſola Oedipodæ filiarum ſuperſtes Polynicis corpus, quòd occultè humandum curauit, à Creonte deprehenſa, viua conijcitur in ſepulcrum. Adraſtus, autem Athenas profectus ad Miſericordiæ aram confugit, atque peractis ſupplicationibus, cadauerum tumulãdi poteſtatem pre-

cabatur.

cabatur. Tum Athenienſes comparatis militum copiis duce Theſeo Thebas capiunt, cadauera ſuis ſepelienda conceſſerunt. Et in Capanei rogum conflagrantem coniux Euadne Iphiclis filia ſeipſam coniecit, & ſuo cum marito concremari non ſubterfugit. Decimo autem poſt anno cæſorum ad Thebas ducum filij, cognomento Epigoni (ac ſi dicas Latinè poſteri, hæredéſue) paternas cædes vlturi, bellum contra Thebanos gerendũ ſtatuerunt: déque belli exitu oraculum ſciſcitantibus ipſis, Deus victoriam vaticinatur, ſi Alcmæone duce bellum capeſſant: ſed Alcmæon huiuſce expeditionis præfecturam detrectabat, prius, quàm de matre ſupplicium capiat, nihilo tamen ſecius ad id bellum concedit. Nam cum Eriphyle peplum & monile à Therſandro Polynicis filio accepiſſet, eorum quoque filios ad eam prouinciam belli capeſſendam induxerat. Delecto igitur ſibi omnium calculis Alcmæone Imperatore, Thebas oppugnatum ierunt, qui verò hanc militiam ſecuti ſũt; hi fuerunt, Alcmæon, Amphilochus Amphiarai filij, Ægialeus Adraſti, Diomedes Tydei, Promachus Parthenopæi, Capanei Sthenelus, Polynicis Therſander, Euripylus Meciſtei. Sed hi ante omnia finitimos circa vicos depopulantur, qua in re Thebani ſuis opem laturi eruptione facta Laodamante Eteocli filio duce, fortiſſimè pugnant: Siquidem Laodamas Ægialeum necat; Laodamantem verò Alcmæon, quo cæſo Thebani ad mœnia confugiunt. Qui Tireſiæ vatis conſilio moniti ad hoſtes feciales de pace petenda mittuntur. Ipſi vero interea fugam capeſſunt: ſiquidem coniugibus, liberíſque ſuis omnibus ſupra vehicula collocatis, relicta vrbe abierunt, atque vbi per noctem ad Tilphuſium fontem peruenerunt, Tireſias cùm eo de fonte ſumptam aquam auidiſſimè bibiſſet: improuiſa, ac repentina morte, vitam reliquit. Thebani verò diu, multúmque peruagati Eſtiæam vrbem ab ſe conditam incoluerunt. Argiui interea cognita Thebanorum fuga, ingrediuntur Thebas, ac præda collecta, & muros euertunt, ac vrbem totam deuaſtant, ac prædæ partem Delphos ad Apollinẽm mittunt cum Tireſiæ filia, cui Mantò nomen erat: vo-

*Thebæ Atheniẽſibus capiuntur.*

*Tireſiæ mors.*

*Alcmæon matrem necat. Huius meminit Aristoteles 3. lib.* Ethicon, 1. *cap.*

uerant enim ipſi, captis, diruptíſque Thebis ſpoliorum præſtantiſſimum, ac nobiliſſimum illi dono miſſuros. Poſt, vbi ab Argiuis Thebæ captæ ſunt, Alcmæon, quòd in eum quoque dona Eriphylem matrem cepiſſe, reſciuiſſet, maiori ſuccenſus eſt iracũdia, & accepto ab Apolline reſponſo, eam necauit. Nec deſunt, qui Amphilochi etiam germani fratris adiumento matri ſuæ cædem intuliſſe Alcmæonem memoriæ commendarunt. Tametſi plures ſint auctores, qui nullius auxilio id facinus ab eo commiſſum fuiſſe teſtentur. Alcmæonem verò ob infeliciſſimum matris ſuæ finem furiis exagitatum, ac furibundum legitur in Arcadiam imprimis ad Oicleum ſe recepiſſe. Illinc autem Pſophidem, ad Phegeum commeaſſe, à quo perluſtratum, cædis ergò Arſinoem eiuſcę filiam vxorem duxiſſe, cui etiam eſſet monile, ac peplum dono dediſſe. Poſtea verò, quam ea de cauſa ſumma frugum inopia, ac fame laboraretur, conſultus Apollo, id ex oraculo reſpondit: Ad Acheloum commigrandum, ab eóque vrbem capiendam. Igitur Calydonem primum ad Oeneum proficiſcitur, eiúſque hoſpitio vſus eſt. Inde ad Theſprotos profectus, ab eorum finibus repellitur. Demum, ad Acheloi fontes conceſſit, ab eóque expiatur: nec non illius filiam Callirhoen, & quem locum Achelous exaggerat, vrbem ibi ab ſe conſtructam habitauit: Mox autem Callirhoë monilis, peplique habendi cupidine extimulata, ni prius ea conſequatur, ſecum coituram nunquam, dictitabat. Quamobrem Alcmæon Pſophidem profectus, Phegeo inquit vaticinio fuiſſe renuntiatum, ſe furore tum liberatum iri, cùm monile Delphos delatum Apollini dedicarit: & peplum. Hæc ille Alcmæonis verbis credulus tradit. Poſtea, cùm ei à famulo denuntiatum eſſet, dono data hæc Callirhoæ eſſe, inſidiis à Phegei liberis Temeno, & Axione patris imperio circunuentus è medio tollitur. Arſinoëm verò id factum increpantem Phegei filij coniectam in arcam Tegeam tranſuehunt, atque Agapenori tradunt ementiti ab Alcmæone eam fuiſſe interfectam: Cæterum Callirhoë audito Alcmæonis interitu, dum ſecum rem habet, ab Ioue

flagitat, vt ij quos ex Alcmæone liberos ſuſtuliſſet, necem paternam vlciſcerentur, vt ſtatim adulta iam ætate forent. Quare impetrata, adulti planè filij repente ad patris vltionem exilierunt. Quo etiam tempore Phegei filij Pronous, & Agenor, vt monile, ac peplum Delphico Apollini dedicaturi ferebant, ad Agapenorem, & Alcmæonis filij Amphoterúſque, & Acarnan vnà diuertunt, vbi cæſis patris ſui interfectoribus, profecti Pſophidem, factóque in regiam impetu, Phegeum, & vxorem eius occidunt, ſed fugienteis Tegeam vſque inſecuti ſunt, verùm Tegeenſium ope, & Argiuorum quorundam adiuncta fugatis Pſophidiis incolumes euaſerunt. Quique, vbi rem geſtam omnem, matri declararunt, monile ſimul, & peplum, Delphos profecti ex Acheloi imperato Apollini conſecrarunt. Progreſſi deinde in Epirum, collectis colonis Acarnaniam condunt. Atqui Euripides Alcmæonem, inquit, per inſaniæ tempora, ex Mantone Tireſiæ filia duos ſuſcepiſſe marem ſcilicet Amphilochum, & fœminei ſexus Tiſiphonem. Tranſlatos deinde puerulos Corinthum, Creonti Corinthiorum regi alendos dediſſe: ac Tiſiphonem forma præcellentiſſima à Creontis coniuge diuenditam fuiſſe, dum tacitè, ne eam Creon maritus in coniugium ſibi caperet, ſubueretur. Alcmæonem vero hanc mercatum eſſe, cùm ſuam ipſius filiam ſeruituram ſeruitutem neſciret. Mox autem profectum Corinthum liberos repetiturum, & filium etiam ipſum tuliſſe. Dein Amphilochus Apollinis oraculo monitus Argos Amphilochicum habitatum conceſſit.

Iam verò redeundum eſt ad Pelaſgum, quem Acuſilaus, (vt antea monuimus) Iouis, & Niobes filium, ait. Sed Heſiodo indigenam fuiſſe placet, cuius, & Melibœæ Oceani filiæ, ſiue, vt alij volunt, Cyllenes Nymphæ filium Lycaonem fuiſſe memoratur. Qui Arcadibus imperans, è multis vxoribus filiorum quinquaginta factus eſt pater. Quorum hæc ſunt nomina Mænalus, Theſprotus, Hilix, Nyctimus, Peucetius, Caucon, Meciſteus, Opleus, Macareus, Macednus, Horus, Polichus, Acontes, Euæmon, Ancyor, Archebates, Carteron, Ægæon, Pallas, Eumon,

Canethus, Prothous, Linus, Corethon, Mænalus, Teleboas, Phyſius, Phaſſus, Phthius, Lycus, Alipherus, Genetor, Bucolion, Socleus, Phineus, Eumetes, Harpaleus, Portheus, Platon, Æmon, Cynethus, Leon, Harpalycus, Heræeus, Titanas, Mantinus, Cletor, Stymphalus, Orchomenus, Nyctimus iunior. Hi cum ſuperbia, tum impietate cunctis mortalibus anteſteterunt. Quare Iupiter, vt horum impietatis periculum faceret, ſumpta hominis mercenarij forma, ad eos accedit. Tum hi ſimul ac eum conſpicantur inuitatum hoſpitem domi ſuæ excipiunt. Huic iugulati, è conterraneis pueris vnius viſcera ſacris admiſta Mænali fratris natu maioris ſuaſu comedenda apposuerunt. At Iupiter id genus menſæ maximum in modum aſpernatus euertit, & eo ipſo in loco, vbi nunc Trapezus (is enim loci nomen eſt) ſpectatur. Cæterùm Lycaonem, ac eius liberos, præter Nyctimum nouiſſimum omnium, fulmine percuſſos concremauit. Terra interim ſublatis in altum manibus, ac Iouis dexteram contactu ſuo demulcens, illius iram compeſcuit.

*Lycaon cũ filÿs fulmine percuſſus.*

*Hunc aliqui volunt in lupi formam mutatum fuiſſe.*

Enimuero Nyctimus, vt regnum adeptus eſt, Deucalionis * diluuium inſequitur. Hoc ſanè alij Deucalionis filiorum impietate, ac ſcelere factum fuiſſe, ſcribunt. Eumelus verò & alij quidam Lycaonem filiam etiam Calliſtonem habuiſſe narrant. Quam quidem Heſiodus vnam è nymphis eſſe recenſuit. Aſius autem eam Nycteo, at Pherecydes Ceteo natam eſſe referunt. Hæc quòd cum Diana venandi ſtudio oblectata, eandémque ſtolam induta ſecum inibi ſe virginitati addictam fore iurauit. Verum huius forma captus Iupiter, ſiquidem in Dianam, vt nonnulli aiunt, mutatus, ſiue, vt quidam in Apollinem verſus inuitam ſubegit. Quod cum Iupiter Iunonem latere ſtuderet, eam in vrſæ faciem vertit. Iuno interea Dianæ, vt, immanem belluam ſagittis configat, perſuaſit. Nec deſunt auctores, qui referant, illam promiſſæ virginitatis violatæ cauſſa ſagittis à Diana percuſſam obiiſſe. Qua demum ſublata Iupiter abreptum infantem in Arcadia Maiæ enutriendum dedit, Eíque Archadi nomen impoſuit: & Calliſthò inter aſtra collocauit, vrſámque nominauit.

**Cataclyſmus.*

Inſuper ex Arcade, ac Leanera Amyclæ filia, aut Meganira Croconis fuit, vt autem Eumelus ait, ex nympha Chryſopea nati ſunt filij Elatus, & Aphidas, qui terram partiti ſunt. Summa verò potentiæ penes Elatum fuit. Hic ex Laodice filia Cinyræ Stymphalum, & Pereum gignit. Sed Aphidas Aleum, & Stheneboeam, quæ Prœto nupſit. Alei verò, & Neæræ Perei filiæ Auge quidem fœmina: mares autem, Cepheus, ac Lycurgus. Hæc igitur ab Hercule vitiata infantem intra Palladis lucum celauit. Vbi, prius illius ſacerdotio præfuit: Cùm verò ingraueſceret annona, vt planè fames immineret, quòd terra ſterilitate laboraret: atque oraculis ſignificaretur, in Mineruæ luco quandam latere impietatem, deprehenſa demum à patre puella, Nauplio occidenda traditur, à quo cùm illam Teuthas Myſorum dynaſtes accepiſſet, vitiauit, & infans Parthenio in monte exponitur, quòd cerua de ſuis vberibus alimentum ſuppeditarit, Telephus eſt appellatus, atque à Corythi bubulcis enutritus, ac perquiſitis parentibus Delphicum Apollinem adiit, ac monitus ab oraculo in Myſiam concedit, & puer à Teuthrãte adoptatur, eóque vita functo Myſiæ regni heres inſtituitur.

At è Lycurgo, & Cleophile, ſiue Eurynome nati ſunt, Ancæus, Epochus, Amphidamas, & Idæus, ex Amphidamante verò Melanion, & Antimache filia, quam duxit Euryſtheus. Ex Iaſo, & Clymene Minyæ filia naſcitur Atalanta, cuius pater maſculæ prolis cupidus, eam expoſuit, ad quam vrſa ſæpenumero veniens vbera protendebat: eámque demum venatores inuentam penes ſe educarunt. Atalanta deinde adultæ iam ætatis ſe virginem ſeruabat, & venando in ſolitudine armata permanebat. Quin etiam vbi inuiolatæ virginitati ſuæ à Rhœco, & Hylæo Centauris vim parari perſpicit, hi ſagittis ab ea perfoſſi conciderunt: deuenit præterea vnà cum viris præclariſſimis non ad venationem modo in Calydonium aprum indictam, ſed etiam ad certamen in Peliæ honorem inſtitutum, propoſitúmque, vbi cum Peleo luctata eſt, ac palmam inde eſt conſecuta. Cùm verò Atalanta non ita multò poſt genitores ſuos reperiſſet, ac patris ſuaſu ad virum capien-

dum inducta eſſet, in ſtadium abit, in cuius medio trium cubitûm palum defigit. Hinc procantium virorum curulibus ludis propoſitis armata decurrebat. In quibus qui vincebatur, cædes, at victori Atalantæ coniugium debebatur. Demum poſt multorum cædes Melanion eius amore inflammatus, aureis malis, quæ à Venere dono acceperat, ſecum allatis in illud decurrendi certamen deſcendit: ea in adcurrentem puellam inſequens abiicit. Tum Atalanta, dum in proiectis pomis è terra colligendis occupatur, curſu deuicta eſt, Sic itaque Melanion Atalantæ coniugio potitus eſt. Sed & fama eſt, eos aliquando per venationis otium in Iouis lucum penetraſſe, ibique mutuo complexu coëuntes, in leones transformatos fuiſſe. Heſiodus autem, ac pleríque alij Atalantam non Iaſi, at Schœnei filiam fuiſſe memorarunt. Euripides, è Mænalo ortam, nec eam Melanioni, ſed Hippomoni nuptam dicit. Atalanta hæc è Melanione, ſiue, vt alii volunt, ex Marte Parthenopæum, qui bellum geſſit in Thebanos, procreauit.

Sed ex Atalãte, ac Pleione Oceani filia in Cyllene Arcadiæ monte natæ ſunt filiæ ſeptem, quibus Pleiadibus cognomentum fuit, Alcyone, Merope, Celæno, Electra, Sterope, Taygete, Maia, de quibus Steropen Oenomaus vxorem ſibi ſociauit. Meropen Siſyphus, duas corrupit. Neptunus, priorem quidem ſanè Celænò, de qua Lycum filium extulit, quem Neptunus pater, in fortunatorum inſulas habitatum miſit. Poſteriorem autem Alcyonem, ex qua Æthuſam filiam genuit, quæ Apollini Eleutherem filiam formoſſimam peperit. Sed filios Hyreum, & Hyperenorem. Nycteus autem ex Hyreo, & nympha Clonia natus eſt. Deque Nycteo, & Polyxone Antiope orta eſt: de qua, & Ioue Zethus, & Amphio. Atlantidas autem cæteras, Iupiter compreſſit.

Siquidem Maia natarum maxima ab Ioue in Cyllenes antro vitiata Mercurium parit: Hic, cùm adhuc in cunis vagiret, erumpit, atque Pieriam peruaſit, & quas Apollo boues paſcebat, furto abegit, néue id deprehendi per veſtigia poſſet: calceos earum pedibus induit, quarum partem Pylum abduxit, ac reliquas intra ſpe-

læum abſcondit: ex iis autem, cum iam duas immolaſſet, earum coria ſcopulis defixit, ac viſcerum partim elixa, partim toſta eſitauit. Inde in Cyllenem feſtinanter proficiſcitur, pro antri oſtio depaſcentem teſtudinem inuenit, qua purgata, & abſterſa ſuper eius teſta neruos ex mactatorum boum inteſtino confectos tetendit, & lyram conficit. Sic itaque Mercurius carnes torrere, lyramque, ac plectrum primus inuenit. Mox Apollo bubus perquirendis operam nauat, & Pylum recta concedit, vbi ciues ab eo diligenter examinati eas abigentem puerum vidiſſe reſpōderunt: ſed verò haudquaquam poſſe dicere, quónam perductæ forent, quando earum quidem veſtigia deprehēdi non poterant. Denium, vbi Apollo ex vaticinandi peritia abigeum comperit: ad Maiam in Cyllenem properauit, apud quam, Mercurium furti accuſat. Ea verò puerum ipſum faſciis inuolutum oſtendit. Hunc Apollo manib. ſublatum ad Iouem tulit, ac boues repoſcit. Is, tametſi Iouis imperio reddere iuberetur, inficiari tamē non deſinebat, qui, quod ille minimè perſuadet, Apollinem Pylum perducit, ac boues reſtituit. Inde Apollo auditam lyram à Mercurio petit. Inde ſumpta lyra Mercurio boues rurſus Apollo tradit quas cum Mercurius paſceret, fiſtulam etiā compegit: & compactam inflauit, pro qua quod eius habendæ miro deſiderio Apollo tenebatur, auream virgam dare, nō verebatur, quàm, cùm Apollo boues paſceret, habebat. Quòd eam Mercurius, & pro fiſtula habere, & vaticinandi artē conſequi cupiebat. Qua tradita, & per calculos etiam vaticinari docetur. Adhæc Iupiter ipſum ſui ipſius, Deorúmque Manium nuntium fecit.

*Mercurij inuenta.*

*Mercurius Deorū nūcius factus.*

Iupiter inſuper ex Taygete Lacedæmonem filium procreauit, à quo etiam Lacedæmonis regia nomen eſt conſecuta. Sed ex Lacedæmone, ac Sparte filia Eurotæ, qui fuit Lelegis indigetis fili⁹ & Cleocharεæ Naidis nymphę Amyclas, & Eurydice, quā Acriſius vxorē habuit. Amycla autē, & Diomedes Lapithæ filię, Cynortes, & Hyacinthus filij fuere. Hyacinthū ab Apolline ardēter amatum fatentur, quem diſco percuſſum fortuito interfecit.

*Hyacinthus Apollini amatus.*

Sed & Cynortæ filius fuit Perieres, cui Gorgophone, Perſei filia nupſit, vt narrat Steſichorus, ex eáque Tyn-

dareum, Icarium, Aphareum, ac Leucippum, ſuſcepit. Ex Aphareo, & Arene, Oebali filia Lynceus Idas, & Piſus nati ſunt. Verùm multorum teſtimonio Idam, è Neptuno genitum eſſe comprobatur. Atqui tanta Lynceus oculorum claritate præcelluit, vt ſub terra latentia quæque peruidiſſe dicatur. Leucippi verò ex Philodice Inachi filia natæ fuere Ilaira, & Phœbe. Haſce Dioſcori.i. Iouis filij Caſtor & Pollux ab ſe raptas vxores duxerunt: poſt has etiam Arſinoën genuit. Hæc ab Apolline impleta Æſculapium peperit: At quidam non Arſinoës Leucippi filiæ, ſed Coronidis Phlegyę in Theſſalia natum Æſculapium ferunt: cum qua, ſimulac eam depeririſſet Apollo, ſtatim concubuiſſe, proditur. Eum quoque præter patris ſententiam nubentem, Iſchyi Elati filio coniunctam fuiſſe aiunt. Apollo autem delatorem coruum immodicis maledictis execratur, & qui ad eum vſque diem candidus fuerat, in nigrum commutauit, & Coronidem grauidam percuſſit. & necauit. Ex qua, cùm conflagraret, abreptum infantem è pyra ad Chironem Centaurum alendum tulit: à quo etiam medicinam, & venandi artem perdidicit. Qui cùm iam chirurgicus euaſiſſet, atque artẽ eiuſmodi iampridem exercuiſſet, non modò quoſdam ab interitu liberauit, ſed etiam præmortuos in vitam reuocauit. Nam cùm à Pallade effuſum de Gorgones venis cruorem accepiſſet, qui è læuis defluxiſſet in mortalium perniciem, quòd autem è dextris in conſeruandis hominibus vtebatur: atque huiuſce opem in mortuis ſuſcitandis adhibebat. Sed inueni quidem nonnullos, qui ab eo reuocati in vitam dicuntur, Capaneum, ac Lycurgum. Vt Steſichorus ait, Eriphylen; & Hippolytum, vt, Qui Naupactica conſcripſit, Tyndareum. Panyaſis, Hymenæum. Vt Orphici, Glaucum Minois filium, vt Mneſagoras ait: Demum Iupiter veritus, ne, ſi mortales hanc medendi rationem adipiſcantur, ſuis ſe viribus viciſſim adiuuerint: fulmine ipſum interfecit. Quamobrem iratus Apollo Cyclopas, quòd Ioui fulmina comparaſſent, occidit. Quem, cùm Iupiter in Tartarum iamiam deiecturus eſſet, Latonæ precib. exoratus annum totum vt ipſe viro mercede conductus ſeruiret, imperauit. Is autem Pheras ad Ad-

*Lyncei viſus perſpicacitas unde prouerbium lynce perſpicatior.*

*Coruus albus mutatur in nigrũ*

*Apollo Cyclopas occidit.*

metum Pheretis filium ſe contulit,apud quem ſeruitutem ſeruiens armenta paſcebat: ac boues dominicas gemelliparas omneis effecit. Sunt,qui,& Aphareum quidem,& Leucippum ex Periere Æoli filio natum eſſe dicant.Cynortæ autem Perierem filium fuiſſe, & huiuſce Oebalum. Sed Oebali,& Bareæ Naidis Nymphæ Tyndareum,Hippocoontem,& Icarionem. At Hippocoontis filij fuere Dorycleus.Scæus Emariſphorus,Eurythes, Bucolus,Lycon,Tebrus, Hippothous, Eurytus, Hippocoryſtes, Alcinus,Alcon. His permunitus filiis Hippocoon,Icarionem, ac Tyndareum Lacedæmone eiecit. Hi verò ad Theſtium eiecti confugerunt: Eíque aduerſus finitimos bellum gerenti opem tulerunt:Dein Tyndareus Theſtij filiam Lędam cepit vxorem.Rurſus, quo tempore Hercules Hippocoōtem cum liberis interemit in patriam redeunt:ac Tyndareus regnū accipit. Apollo Admeto ſeruit.

Nati verò ex Icario,& Peribœa Naide nympha, mares filij quinque Thoas, Damaſippus, Imenſimus, Aletes,Perilaus:& filia Penelope,quæ Vlyſſi nupſit.

Tyndarei autem,ac Lædæ, filij Timandra, quam Echemus in coniugium duxit,Clytemneſtra: quam Agamemnon vxorem habuit:Item Philonoë, quam Diana immortalem eſſe fecit: Adhæc Iupiter, qua nocte cum Læda in cygnum verſus concubuit:eadem quoque Tyndareus illam impleuit:deque Ioue Pollux, & Helena, de Tyndareo autem Caſtor procreati ſunt. Inuenio etiam auctores, qui Helenam Nemeſis, & Iouis filiam fuiſſe dicant. Nam,cùm ea Iouis concubitum fugeret in anſerem mutatam fuiſſe. Iouem autem in cygnum verſum coiiſſe memoratur, Nemeſin verò ouum ex eo concubitu peperiſſe:Idque,in nemore opilionem quendam inueniſſe,& latum ſecum Lędæ dediſſe: Hanc autem conditum in arca repoſuiſſe,& ſuo demum tempore ortam fuiſſe Helenam:eamque perinde,ac de ſe fuiſſet nata,educaſſe. Quæ cum formæ præſtantia polleret, eam Theſeus rapuit,& Athenas abduxit. Deinde Pollux,& Caſtor comparato in Athenienſes exercitu, cùm ad Plutonis eſſet Theſeus: vrbem capiunt:atque Helenam recuperant: necnon Æthram Theſei matrem captiuam abducunt. Helenæ ortus.

Iam tum quoque hi Græciæ reges Helenam vxorem pro ſe quiſque petituri Spartam aduenerunt. Procantium verò nomina hæc fuiſſe leguntur. Vlyſſes Laërtæ, Diomedes Tydei, Antilochus Neſtoris, Agapenor Ancæi; Sthenelus Capanei, Amphilochus Cteati, Thalpius Euryti: Meges Phylei: Amphilocus Amphiarai, Mneſtheus Petei, Schedius Epiſtrochi, Polyxenus Agaſthenis, Peneleus Leiti, Aiax Oilei, Aſcalaphus & Ialmenus Martis, Elephenor Chalcodontis, Eumelus Admeti, Polypoëtes Pirithoi, Leonteus Coroni, Podalirius, & Machaon Æſculapij, Philoctetes Pocantis, Eurypylus Euæmonis, Proteſilaus Iphicli, Menelaus Atrei, Aiax, & Teucer Telamonis, Patroclus Menœtij, Horum turbam conſpicatus Tyndareus, ne, ſi ex tot competitorib. vbi Helena in coniugium addiceretur, reliqui ſeditionem ac tumultum excitarent, pertimeſcebat.

Quocirca Vlyſſes, quoties, inquit, illi ad Penelopes nuptias adipiſcẽdas mihi adiumẽto fore te pollicearis, talem ego cum animo meo rationem inibo, vt per eam nulla omnino ſit inter procos oritura diſcordia. Tum verò Tyndareus, vbi ipſi laturum ſe opem promiſit, vniuerſos, inquit Vlyſſes, procos iuſiurandi religione obſtringito, vt, cum filiæ tuę Helenę de noſtro cœtu quempiam ſponſum, delegeris, illi à nobis adiumentum latum iri aduerſus eos qui in ſponſum, maritúmue, ac matrimonium eiuſmodi vim facere conentur. Quod vbi Tyndareus audiuit, procos ad Vlyſſis conſilium perficiendum vniuerſos per eá iuſiurandi religionem compellit, ac Menelaum quidem filiæ ſuæ ſponſum declarat, atque etiam ab Icario Vlyſſi Penelopen in coniugium depoſcit. Menelaus itaque ex Helena Hermionem genuit, &, vt, quidam aiunt, Nicoſtratum ex Dule Pieride ab Ætolia oriunda: Siue, vt Acuſilaus ait è Teridaë Megapentem: ſed ex Nympha Gnoſia, Eumelo auctore Xenodamum procreauit.

Cæterum è Læda natus Caſtor planè, rem militarem exercuit. Pollux autem cæſticum pugnandi genus ſectatus eſt. Atque ambo ob fortitudinem Dioſcuri quaſi Iouis proles cognomento dicti ſunt. Qui cum Leucippi filias in matrimonium habere cuperent, è Meſſenę

raptas vxores ambo ſunt conſecuti. Dein ex Polluce, ac Phœbe Mneſileus, at è Caſtore, & Ilaira Anogon nati ſunt, Qui cum, ſociis Ida, Lynceóque Apharei filiis ab Arcadia boum prædam abegiſſent: Inde arbitrio diuidendam permiſere. Tum ille bouem in partes quatuor partitus. Qui prior, inquit, deuorauit, huic prædæ dimidium ceſſura eſt: poſteriori, reliquum: quo dicto Idas anteuertens, priuatam prius, & fratris deinceps partem abſumpſit: atque cum eo prædam omnem Meſſenem auertit. Quare Dioſcuri con luctis militum copiis contra Meſſenam, cum illam, tum etiam multam aliam prædam ſimul abducunt, ſub quercu per inſidias Idam, Linceúmque intercipere, conabantur: Verũ Lynceus viſo Caſtore Idæ fratri ſignificauit, atque cum ille necauit. At Pollux ipſos inſecutus Lynceum, telum iaculatus occidit. Inde Idam inſequens lapide ſecundum caput ab eo percuſſus oborta oculorum caligine concidit. Tum Iupiter Idam fulminat, Pollucémque in cœlum agit. Pollux verò immortalitatem renuit, Caſtore mortuo. At Iupiter ambobus, alternis diebus, inter Deos, ac mortuos eſſe cõceſſit. Relatis ad ſuperos Dioſcuris Tyndareus accerſito Sparten Menelao regnum tradidit.

*Caſtoris & Pollucis alterna mors.*

Ex Electra autem Atlantis filia, & Ioue Iaſion, Dardanúſque gignuntur, è quibus Iaſion Cererem deperiuit. Eíque vim inferre volens fulmine ictus occubuit. At Dardanus fratris interitu mœſtus Samothrace relicta in obiectam continentem tranauit, vbi Teucer Scamandri fluminis, Idææque nymphæ filius regnabat: ab eo, etiam qui regionem illam incolebant, Teucri vocabãtur. Hic itaque ab rege acceptus hoſpitio, atque in regni partem admiſſus, Bateam eius filiam ſibi in coniugium duxit, ac Dardanum vrbem condidit.

*Teucri vnde dicti.*

At poſtquam ex humanis Teucer exceſſit, vniuerſam prouinciam Dardaniam appellauit: filios habuit duos Ilum, & Erichthonium, è quibus, Ilus nullis ſuſceptis liberis extinctus eſt. Hinc Erichthonius regni hæres, ductáque Aſtyoche Simoentis filia Troẽm creat. Hic deinde regnum adeptus regionem à ſeipſo Troiam nũcupauit, & Callirhoẽm Scamãdri filiam ſibi collocauit, ex qua Cleopatram filiam ſuſtulit. Mares autem Ilum, &

*Troia vnde dicta ac eiuſdẽ conſt.*

*Ganymedes rapitur.* Aſſaracum,& Ganymedem. Hunc autem ob corporis formam raptum per Aquilam Iupiter Deorũ pincernā in cœlo conſtituit. Aſſaracus vero ex Hieromneme Simoëntis filia Capyn procreat. Huius,e,ac Themidis Ili filiæ Anchiſes filius fuit. Cum quo Venus ipſius amore flagrans congreſſa Æneam genuit,ac Lyrum,qui ſine liberis deceſſit.

Ilus cùm in Phrygiam perueniſſet,atque inibi ab rege propoſitum certamen nactus eſſet, palæſtra vicit,deditque illi rex pręmij loco pueros quinquaginta & totidem puellas.Adhęc ex oraculi ſententia diſcolorem bouem adiecit, monuitque,vt vbi ea procubuerit, vrbem conderet.Hic bouem ipſam inſequitur.E a ve ò,ſimulátque ad Ates, (quaſi dicas Noxæ) Phrygiæ,tumulum peruenit:humi procumbit : quo in loco Ilus vrbem à ſe conditam,Ilium nominauit. Poſtea Iouem precatur, vt ſignum ſibi aliquod oſtenderet,poſtridie verò,vbi illuxit, ab Ioue demiſſum Palladium ante tabernaculum conſpexit,id erat magnitudine trium cubitûm:ac pedibus ita compoſitis, vt ambulare videretur, dextráque elatam haſtam,at læuá colum,fuſúmque gerebat. Huiuſmodi de Palladio narratur hiſtoria,aiunt natam Mineruā apud Tritonem, cui filia Pallas erat: educari cœpiſſe. Vtráſque autem fuiſſe rei bellicæ ſtudioſas,& in contentionem aliquando deueniſſe: Palladi iam iam vulnus illaturæ Mineruæ Iouem pauefactum Ægidem oppoſuiſſe,eam verò territam reſpexiſſe:atque ita à Minerua vulneratam cōcidiſſe. At Mineruam eius de cauſa ſummo dolore affectam, ſimulacrum illi ſimile confeciſſe,ac Thoraci,pectoríque eius, quàm pertimuerat Ægidem,accommodaſſe, & apud Iouem,honoris ergo conſtituiſſe. Deinceps autem Electram,per anni peſtilentiſſimi contagionem ad hoc confugiſſe, ac ſecum il Palladium in terra Iliaca expoſuiſſe. Ilum poſtea in huiuſce memoriam templum ab ſe conditum ſummopere coluiſſe.Hæc hactenus de Palladio. Cæterùm Ilus Eurydicem Adraſti filiam vxorem cepit, ex qua Laomedontem genuit,cui Strymo Scamandri filia nupta fuit. Sed, & quorundam teſtimonio, Placiam Atrei ab illo ductam fuiſſe legitur. Nec deſunt,qui Leucippi filiam

habuiſſe in matrimonio ferant. Hic mares quidem Tithonum, Lamponem, Clytum, Icetaonem, & Podarcem, feminas autem Heſionem, Cillámque & Aſtyochem procreauit. At è Calybe nympha Bucolionem, ſuſcepit.

Porrò Tithonum, quòd eum arderet Aurora præreptum in Æthiopiam abducit: Ibique cum eo congreſſa Hemathionem, ac Memnonem gignit.

Poſt, vbi Troia ab Hercule, de quo paulo antè dixim⁹, capta fuit: Podarces cognomento Priamus regnum tenuit, ac primam coniugem Meropis filiã nomine Ariſbam ſibi coniugauit, ex qua Æſacum filium creat: cui Sterope Cebrienis filia nupſit, quem cum mortuum nimio luctu defleret, in mergum auem mutatus eſt. Mox Priamus Ariſba collocata in matrimonium apud Hyrtacum, Hecubam ſecundam vxorem Dyamantis, ſiue, vt alijs placet, Ciſſei, vel, vt quidam aiunt, Sangarij fluminis, & Meropes, filiam duxit. Naſcitur autem ex ea primus Hector: Deinde, cùm ſecundum propediem eſſet paritura filium, facem ardentem Hecuba parere, eumque omnem vrbem Ilium depaſcere, atque concremare in ſomnis ſibi videbatur. Id vbi Priamo viſum Hecuba recitauit, Æſacum filium, hic ſtatim arceſſi iubet ad ſe. Eum enim Merops auus maternus ſomnij cõiectandi rationem edocuerat: re percepta Æſacus puerum exitium illaturum eſſe fore reſpondit. Proinde infantem exponi iubet. Hinc Priamus, ſimulac puer in lucem prodit, familiari exponendum tradit, aſportãdũmque in Idam montem. Huic ſeruo, nomen Agelao, aut Archelao, fuit, Infans vt ab eo expoſitus eſt, quinque dies ab vrſa nutritus eſt. Hic puerum nactus incolumem tollit, ſecum illum attulit & quaſi filium ſuum, indito illi Paridis nomine, educauit. Qui cum iam grandiuſculus euaſiſſet, & pleriſque, & corporis forma, & robore anteiret, & quod prædonum vim, incurſúſque repelleret, & ouilibus cuſtodiendis adiumento foret, Alexandri cognomentum promeritus eſt. Neque multo poſt tempore iuuentos parenteis agnouit. Poſt Paridem Hecuba filias peperit, Creuſam, Laodicen, Polyxenam, & Caſſandram, quam, cùm Apollo in ſtuprum illiceret,

*Paridis educatio.*

vaticinandi facultatem, eam ſe docturum pollicetur. Hæc autem vbi fuit edocta, ſui corporis copiam Apollini minimè fecit. Quapropter Apollo, vt illius vaticinia fide carerent, effecit. Poſt hoſce filios adhuc Hecuba gignit Deiphobum, Helenum, Pammonem, Politen, Antiphum, Hipponoum, Polydorum, Troilum, quem ex Apollinis cōcubitu natū eſſe ferūt. Sed ex aliis cōiugib. Priamo filij naſcuntur, Melanippus, Gorgithon, Philemon, Hippothous, Glaucus, Agathon, Cherſidamas, Euagoras, Hippodamas, Meſtor, Atas, Doriclus: Lycaon, Dryops, Bias, Chromius, Aſtygonus, Teleſtas, Euander, Cebriones, Melius, Archemachus, Laodocus, Echephrō, Idmoneus, Hyperion, Aſcanius, Democoon, Arrhetus, Deioptes, Clonius, Echemon, Hypirychus, Ægeoneus, Lyſithous, ac Polymedon. Filiæ verò, Meduſa, Medeſicaſta, Lyſimache, Ariſtodeme.

Verum Hector Andromachen Ectionis, & Alexander Oenonem Cebrenis amnis filiam ducit. Hæc à Rhea vaticinandi cognitionem edocta Alexandro, ne ad Helenam nauigaret, prædixit. At ea minimè perſuadens, cùm ſibi vulnus illatum fuerit, ad eam venturū, dixit, Quod eam ipſi mederi poſſe, intelligebat, præterea neminem. Hic autem rapta poſt Helena è Sparte, Troiáque bello impetita: ſagittis Herculeis à Philoctete ſauciatus in Idam ad Oenonem remeauit. Tum illa iniuriarum memor, Paridem curare nolle affirmat: Alexander igitur, cùm in Troiam referretur, occubuit. Mox Oenone, quam detractatæ medelæ pœnituerat, ad vulnus curandum pharmaca deferebat, ſiquidem Oenone medendi, cauſidique artem callebat. Quæ, vbi eum iam obiiſſe reperit: ſibi laqueo vitam finiuit.

Aſopus verò amnis Oceani, & Tethyos filius, ſed Acuſilaus, Perus, & Neptuni eſſe filium ſcribit. ſed, vt alij, Iouis, & Eurynomes aiunt. Hic ducta Merope, quam Ladonis fluuij filiam fuiſſe tradunt: duos filios Iſmenū, ac Pelagontem, & viginti feminas procreauit: Quarum vnam Æginam, cui Oenone fuit nomen, ab Ioue raptam Aſopus quærens, Corinthum abiit: vbi à Siſypho raptorem fuiſſe Iouem cognoſcit. Iupiter autem poſt inſequentem Aſopum fulminatum rurſus ad ſua fluenta

remiſit. Quamobrem, & in hoc vſque tempus ex huiuſce fluentis carbones efferuntur, ſed Æginam illatam, in inſulam, quæ tunc Oenone vocabatur nunc ab ea dictam Æginam, Iupiter comprimit, ac filium ex ea Æacum gignit. In cuius gratiam, quandoquidem ſolus in inſula agebat, de formicis homines facit. Adhæc Æacus Endeidem Chironis filiam coniugem capit, ex qua ſibi duo nati ſunt filij Peleus, & Telamon. Pherecydes verò Telamonem amicum, non fratrem fuiſſe Pelei narrat, eumque Actæi filium, & Glauces Crethei, fuiſſe ait, Atqui & Aeacus cum Pſamathe Nerei filia, in fontem, quod inſcendi nollet, commutata coiuit, & Phocum gignit. Sed & Æacus omnium pietatis ſeruantiſſimus fuit, quamobrem, cùm Græcia inuſitata frugum caritate premeretur, Pelopis cauſſa, quòd ipſe Stymphalum Arcadum regem bello infeſtans, Arcadiam ſubigere minimè poſſet, per ſimulatam amicitiam ipſū interfecit, ac eius viſcera membratim cōſecta diſperſit. Deorum interea reſponſis tum Græciam imminentibus malis ereptam iri, ſi illius ergò preces effuderit Æacus, renuntiatum eſt. Quo per Æacum facto, Græcia annonæ penuria liberatur. Quinetiam & apud inferos Æacus in ſummo eſſe honore perhibetur: & is Plutonis claues ſeruare proditur. Quoniam verò Phocus in certaminib. præſtare videbatur, fratres Peleum, ac Telamonem inſidias illi comparaſſe, ferunt: atque vbi ſorte obuenit, vt cum eo Telamon pari in ludo decertaret, diſco caput illi ferit, & occidit, ac ſublatum Peleo adiutore quadam in ſilua occultauit. Demum verò cæde detecta, ambo ex Ægina ab Aeaco ſolum vertere compelluntur.

*Formicas in homines mutatas.*

*Æaci pietatis ſeruantiſſimus.*

Telamon Salaminem ad Cychreum Neptuno, ac Salamine Aſopi filia natū peruenit. Is necato ſerpente, inſulam, cuius ipſe Rex erat, deuaſtante: ac nullis poſt ſe relictis filiis moriens, regnum Telamoni conceſſit. Is, deinde Peribœam Alcathoi Pelopis filiam ſibi vxorem coniunxit. Et Hercules, vt illi maſcula proles enaſceretur, à diis, precibus depopoſcit: & poſt preces repente aquila apparuit, & enatum puerum Aiacem nominarunt: Qui in bello cōtra Ilium Herculem ſecutus,

Heſionem Laomedontis filiam muneris accepit, ex qua ſibi Teucrum procreauit.

Cæterùm Peleus Phthiam ad Eurytionem Actoris filium exulatum abiit, à quo poſtea expiatus Antigonem illius filiam in matrimonium capit atque in tertiam regni partem adſcitus eſt, Mox Polydoram filiam genuit, quam Boro Perieris filio nuptui dedit. Inde in Calydonij Apri venationem cum Eurytione ſimul egreſſus, ac miſſo in aprum telo Eurytionem ferit, eumque fortuito ictu cæcidit, rurſus itaque à Phthia Iolcum ex fuga ad Acaſtum ſeſe recepit, ab eoque luſtratur. Adhæc cum Atalanta ludis in Peliæ regis honorem inſtitutis palæſtrica pugna decertauit: vbi Aſtydamea Acaſti coniux Pelei amore correpta, ad eum literas de concubitu dedit: quæ quoniam id illi perſuadere non potuit, ad eius etiam vxorem miſit, qui à Peleo, Steropem Acaſti filiam propediem ductam iri illi renuntiaret. Quod vbi illa accepit, laqueo ſe ſuſpendit. Peleum inſuper Acaſto, quòd eam de ſtupro interpellaſſet, calumniatur. Id vbi Acaſtus percepit, quem ipſe luſtraſſet, haud quaquam ab ſe necandum eſſe cenſuit: at eum in Pelium montem venatum abducit. Inde coorta de venatione controuerſia, Peleus quidem captarum ab ſe ferarum deſectas linguas intra peram reponebat. Atqui Acaſti comites eas capientes, Peleum velut nihil venatum irridere. Is autem quotquot linguas haberet, exhibitis, tot feras illis ſe venatū eſſe dictitauit. Quem, cùm in Pelio ſomno oppreſſus obdormiſſet, Acaſtus reliquit, eique ſublatum enſem in boum fimo celauit, & abiuit. Is deinde experrectus, intereà dum enſem quæritat, à Centauris comprehenſus iam iam moriturus erat, verum hic à Chirone ſeruatur incolumis, eidémque quæſitum, ac repertum enſem condonauit. Peleus verò, vt ſupra dictum eſt, Antigonem Eurytionis patre procreatam vxorem duxit, de qua ſibi Polydoram gignit, quam poſtea Sperchio flumini cognomento Boro Perieris filio vxorem collocauit, ex qua Meneſthius natus eſt. Sed & alteram duxit. Peleus, nempe Thetin Nerei filiam, de cuius matrimonio Iupiter, & Neptunus contenderunt. At cùm Themis ex hac ortum filium patre futurum eſſe præſtantiorem prædixiſſet: abſtinuiſſe

ſtinuiſſe Iouem illius nuptias ferunt. Nec deſunt, qui ſcribant ad eius complexum iam iam prodeunti Ioui Prometheum dixiſſe, natum ex ea cœlo dominaturum. Sunt etiam, qui memorent Thetin Iunonis monitu, perſuaſam Iouis concubitum euitaſſe. Hinc iratum Iouem voluiſſe, vt ea mortalis viri coniugio locaretur. Chironis itaque conſilio eam comprehendendi, ac detinendi rationem Peleus iniit: eam itaque, cùm in varias ſe formas commutantem obſeruaſſet, corripit, quæ cum interim ignis, interim aquæ, modò etiam feræ vultum caperet, non eam prius, quàm priſtinam formam recepiſſe videt, remiſit. Hanc demum in Pelio monte vxorem ſibi copulauit. atque inibi Dij conuiuio excepti ſuo quiſque munere matrimonium commendarunt. Nam Chiron haſta fraxinea Peleum, Neptunus equis Balio, & Xantho, Volcanus enſe, ac reliqui, aliis muneribus condonarunt. Hi verò Dij immortales fuere. Poſt vbi Thetis conceptum è Peleo partum edidit, eum immortalem factura clam Peleo per noctem in igne abſcondit, & quidquid paternę in eo mortalitatis erat, excoquebat, per diem verò, ambroſia puerum inũgebat. At Peleus per obſeruationem palpitantem natũ in igne conſpicatus, inclamauit. Tum Thetis quo minus votum expleret ſuum, impedita, relicto infantulo, ad Nereidas abiit. Tum Peleus ſublatum in manibus, puerum ad Chironem tulit, quem ille acceptum leonum viſcerib. apro-túmque & vrſorum medullis enutriuit, eumq́ue, cui Ligyron antea nomen fuit, quod mammis labra minimè admouiſſet, Achillem nominari voluit. Poſt hæc Peleus Iaſonis & Dioſcurorum adiumento Iolcum expugnauit: Aſtydamiámque Acaſti coniugem occidit, ac diſtractis illius membris per eam intra vrbem traduxit exercitum. Vbi demum nonum ætatis ſuæ annum expleuit Achilles, Calcanthe Troiam ſine ipſo capi non poſſe, prædicante, Thetis, quod filium eo in bello militantem interiturum omnino præuidiſſet: muliebri ipſum veſte contectum in Scyron inſulam Lycomedi pro puella incorrupta, ac virgine perductum commendauit: ibique agens adoleſcentulus, Deidamiam regis filiam comprimit: ex qua Pyrrhum filium extulit, qui no-

*Matrimonium deorum muneribus cõmẽdatum.*

*Sine Achille Troia capi nõ poteſt.*

uo poſtea nomine Neoptolemus eſt appellatus. Cæterum Vlyſſes, quando ei apud Lycomedem eſſe Acillem indicatum fuit, quæſitum tuba vſus inuenit: Ad hunc itaque modũ Achilles ad bellum Troianum perductus eſt: Ad quod etiam Phœnix Amyntoris filius illum comitatus acceſſit. Hunc à Clytia patris pellice, vt de ſtupro interpellata falſò inſimulatum pater oculorũ luce priuauit. Quem Peleus ad Chironem, ductum, ab eóque curatum oculorum luce recuperata Dolopum regem conſtituit. Inſuper Achilli Patroclus Menœtij, ac Stheneles Acaſti, ſiue, vt aliis placet, Periapidis Pheretis filij, vel, vt Philocrates, inquit, Polymeli Peleo nati, filius, comes acceſſit. Is Opuntem delatus, in talorum ludo Clyſonymum Amphidamantis filium imprudenter occidit: atque in exilium actus cum patre, à Peleo domi in cõtubernio acceptus Achillis amaſius efficitur.

*Cecropis figura.*

Porrò Cecrops Indiges, ac geminus, id eſt humano ſimul, & ſerpentino corpore præditus in terra Attica primus regnauit, & quæ prius Acte dicebatur, de ſuo ipſius vocabulo Cecropiam dici voluit. Sub eo quoque Diis fuiſſe decreto conceſſam aiunt vrbium occupandarum poteſtatem, ſanè in quibus potiſſimum priuatos honores vnuſquiſque adipiſci poſſe videretur. Primus igitur Neptunus in Atticam venit, ac percuſſa tridente ad mediam arcem terra, fretum repente edidit: id loci Erectheidem vocant. Poſt hunc autem Minerua comparauit: quæ lecto à ſe Cecrope occupationis ſuæ iudicij teſte, oleam è terra produxit, quæ noſtra etiam ætate viſitur in Pandroſio. Coorta deinde inter vtrunque contentione, ac lite de vrbe, Iupiter Mineruam, Neptunúmque inter ſe pacauit, iiſque, non, vt quidam memorant, Cecropem, Cranaúmque, nec Erichtheum, ſed duodecim Deos huiuſce controuerſiæ iudices dedit, quorum ſententia vrbs Athenæ Mineruæ adiudicata fuit, quando primum ab ea oleam Cecropis teſtimonio productã fuiſſe perceperunt: Minerua itaque de ſeipſa Athenis nomen impoſuit, at Neptunus mirum in modum iratus Thriaſium campum peſſimè afflixit: atque Atticam vniuerſam pelago inundauit. Adhæc Cecrops Agraulon Actæi filiam in coniugium duxit, ex eáque marem qui-

*Athena à minerua dicta.*

dem ſuſcepit, Eryſichthonem, qui ſine maribus liberis è vita deceſſit, filias verò, Agraulon, Herſen & Pandroſum. At ex Agraulo, ac Marte gignitur Alcippe. Huic vim inferre Alirrhothius Neptuni, & Eurytes Nymphæ filius à Marte deprehenſus, occiditur. Quamobrem Neptunus Martem in Ariopago cædis reum agit: Is duodecim Deorum ſententia iudicatus abſoluitur.

At Cephalus Herſes, & Mercurij filius fuit, quem cùm Aurora ſupra modum amaret, correptum ſecum aſportauit in Syriam, ibíque illius concubitu grauida fit, & Tithonum peperit, cui Phaëthontem filium fuiſſe produnt. Huius autem fuit Aſtynous, ex quo, Sandocus: qui è Syria profectus in Ciliciam, Celenderim vrbem condidit: ductáque in matrimonium Thanace Megeſſari filia Cinyram Aſſyriorum Regem procreauit. Hic Cinyras cum in Cyprum ſe contuliſſet, cum populo, Paphum condidit. Ductáque inibi vxore Metharme Pygmalionis Cypriorum Regis filia Oxyporum, & Adonin genuit: Necnon filias Orſedicen, Laogorémque, & Bræſiam ex eadem ſuſcepit. Hæ verò ob Veneris iram alienigenis permiſtæ viris vitam in Ægypto cum morte commutarunt.

Adonis autem puer adhuc, Dianæ iracundia, in venatione ab apro percuſſus interiit. Hunc Heſiodus Phœnicis & Alpheſibœæ filium fuiſſe ait. Panyaſis verò de Thoante Aſſyriorum rege, qui Myrrham filiam habuit, natum refert. Hæc Myrrha per iram Veneris, quod eam nihili faceret, patris amore corripitur: atque vſa nutricis opera, cum inſcio patre noctes duodecim concubuit. Is, vbi rem ſenſit, ſtricto in filiam enſe impetum fecit, quæ, cum iam comprehenderetur, Deos rogat, vt nuſquam appareat. Tum Dij illam miſerati in arborem ſui nominis commutarunt: ac decimo poſt menſe reſciſſa arbore, Adonin ex ea filium ortum fuiſſe ferunt. *Adonidis ortus.* Quem Venus formæ ergò infantem adhuc clam deis in arca occultatum, ante Proſerpinam conſtituit, quem ſimul ac illa conſpexit, ſe redditurum negauit. Delato ad Iouem iudicio, tres in partes annū partitus eſt, vt vnam apud ſe ipſum, alterā cum Proſerpina,

tertiam demum cum Venere Adonis permaneret, imperauit. Adonis autem, quæ pars ſibi ab Ioue diſtributa fuerat, eam ipſi Veneri attribuit. Nec longo poſt tempore inter venandum Adonis ab apro vulneratus occidit.

Poſt, vbi Cecrops humanitatem exuit, Cranaus indigena, ſub quo Deucalionis diluuium fuiſſe narratur, ducta à Lacedæmone Pediade Menetis filia, Cranaem genuit, & Cranæchmen, & Atthidem, quæ cùm, virginitate necdum expugnata obiiſſet, Cranaus ab ea terrá Atthidem vocitauit.

Vbi, poſt Cranaum expulſum regnauit Amphictyon. Hunc nonnulli Deucalionis, alij verò indigenæ hominis filium fuiſſe dicunt. Qui, cùm duodecim annos regnum tenuiſſet, ab Erichthonio pellitur, hunc Hephæſtes, ex Cranaë Atthidis nata filium eſſe aiũt. Sunt etiam qui Volcani, & Palladis eſſe velint, hunc in modum. Minerua olim arma ſibi conflari volens ad Volcanum adierat. Hunc interim relictum à Venere Mineruæ conſtuprandæ Cupido deſiderium inceſſit: eamque attrectare aggreditur. Hæc fugit: ille fugientem inſequitur, vtque proximè eam venit, in ſumma erat neceſſitate, claudicabat enim, Deam inire conabatur. Ea verò, vt pudica erat, & virgo, virum non admittebat. Volcanus demum tentigine ruptus in virginis femur ſemen effudit. Tum triſtata, ſemen lana deterſum in terram deiecit, ac mox in fugam ſe dedit. Interea verò ex demiſſo in humum ſemine gignitur Erichthonius. Hunc clam diis aliis, dum immortalem facere ſtudet, educauit: poſitúmque in ciſta Pandroſo Cecropis filiæ commendauit: interdicítque ne ciſtam retegeret: At Pandroſi ſorores, quòd curioſæ admodum forent, ciſtam aperiunt, aduolutúmque puero draconem ſpectant. Nec deſunt, qui ab eodem dracone fuiſſe interemptas, aſtipulentur, Aliorum verò teſtimonio Palladis ira, furore percitæ, de ſumma ſeſe arce præcipites eiecerunt. Interea verò Erichthonius in templo à Minerua ipſa enutritus pulſo Amphictyone Athenarum regno potitus eſt, ac Mineruæ ſignum in arce conſtituit: necnon Panathenæorum celebritatem inſtituit, Paſitheámque Naidem Nym-

pham vxorem accepit, ex qua ſibi Pandion natus eſt.

Denique Erichthonio vita functo, ac in primo Palladis Fano ſepulto, Pandion regnum adipiſcitur: quo regante Ceres, Dionyſiúſque in Atticam venere: Atqui Cererem Eleuſine*Celeus ſuſcepit. Dionyſius verò ab Icario hoſpitio excipitur, à quo vitis palmitem muneri accepit, ab eóque vini faciendi rationem didicit. *Cepheus.* Is igitur Dei beneficia mortalibus impertiturus, ad paſtores ſe quoſdam contulit, qui cum guſtaſſent vinum: atque animi cauſſa ſeſe largius meri poculis inuitaſſent: malum ſibi medicamentum datum eſſe arbitrati Icario necem fuſtibus intulerunt. Erigone verò filiæ patrem veſtiganti, herilis canis, cui Mæræ nomen fuit Icarium conſectari ſolita, cadauer, vbi nam deliteſceret, indicauit. Tum filia patrem deflens ſe ipſam ex arbore ſuſpendio necauit. Pandion interea ducta vxore Zeuxippe matris ſuæ ſorore, filias Procnem, ac Philomelam, & geminos Erechtheum, Butémque ſuſcepit. Dein conflato in Labdacum bello de terræ finibus in belli ſocietatem Tereum Martis filium de Thracia conuocauit, eóque bello per eius auxilia præclariſſimè geſto: Procnem filiam ſuam Tereo nuptui collocauit. Hic ſuſcepto ex ea Itye filio, Philomelam amore ſuccenſus vitiat. Eámque, ſimulato Procnes obitu, ruri celat, & huiuſce loco Philomelam ductam comprimit. Inde huic linguam deſecuit, ea verò per literas in peplo contextas, ſuas ipſius Procne ſorori, miſerias ſignificauit. Hæc, poſt quæſitam germanam, Itym puerum trucidatum, elixatúmque Tereo inſcio epulandum appoſuit, ac repente cum ſorore profugit, Tereus cognito facinore abrepta ſecuri fugientes inſequitur. Hæ verò, cùm iam Dauliam Phocidis vrbem perueniſſent, circumſeptæ Deos rogant in auem mutari. Tum *Procne fit luſcinia, Philomela verò in hirundinem transformatur. Adhæc Tereus in vpupam commutatur.

*Secũdũ quoſdã Procne in hirũdinẽ, Philomela in luſciniã trãsformatur.*

Inde Pandion vbi fato conceſſit, filij diuiſis inter ſe patriis facultatibus, Erichtheus regnum accepit. Sacerdotio autem Mineruæ, Neptuniq; Butes Erichthonij filius honeſtatur. At Erichtheus Praxitheam Phraſimi, & Diogoneæ Cephiſo natæ filiam vxorem duxit, ex qua

filios habuit mares, Cecropem, Pandorum, & Metionem, feminas verò Procrin, Creuſam, Chthoniam, Orithyiam, quam poſtea Boreas rapuiſſe dicitur. Chthoniam Butes in coniugio habuit. Atqui Xuthus Creuſam duxit, & Procrin Cephalus Dionei filius. Hæc ſumpta corona aurea Pteleonti ſubigitur, & à Cephalo deprehenſa, ad Minoëm confugit. Hic eius etiam amore correptus eſt, eiúſque concubitum impetrat. At, ſi mulier hæc cum Minoë concubuiſſet, nulla potuiſſet ratione ſeruari. Nam Paſiphaë, quòd cum multis mulieribus Minoëm rem habere non ignorabat, eum veneficiis infecit, vt quoties ſecum alia cubaret, in illius artus viperæ irruerent immanes, eúmque in modum pellices Paſiphaë diſperdebat. Cephalus igitur, perniciſſimum habebat canem, cui Lælapi nomen fuit, & quem nulla fera poterat euitare. Iaculum adhæc, cuius ictus neminem vnquam fefellit. Inter hæc Procris cõſpicata virũ, Circæam ſumens radicem, nequid ſibi obeſſet, concubuit. At verita rurſus Minois coniugem, Athenas proficiſcitur, & in Cephali gratiam rediit: & cum eo ad venandum concedit, quippe quæ venandi ſtudio mirificè oblectabatur. Hæc occultè virum inſecuta inter fruteta latitabat, eiúſque motus permoueri virgulta maritus ſentiens iaculum ineuitabile miſit, eóque percuſſam vxorem Procrin interfecit. Quocirca Cephalus Areopagi Iudicibus exilio ſempiterno damnatur.

Interea verò Orithyiam Iliſſum amnem traiicientem Boreas rapuit, & cum ea concubuit. Hæc illi filias Cleopatram, & Chionem, mares autem Zetem, & Calain aligeros peperit. Qui cum Iaſone in Colchos nauigantes, & Harpyias inſectantes moriuntur: ſiue vt Acuſilaus ait, circa Tenum inſulam ab Hercule interempti fuerunt.

*Phineus priuignos ſuos oculis priuat*

Cleopatram Phineus coniugem cepit: cui ex ea filij gignuntur Plexippus, & Pandion, his auctus filiis, ex Cleopatra Idæam, deinde Dardani filiam ſibi matrimonio ſociauit. Ea verò, priuignos, quòd ipſam in ſtuprum illicere voluiſſent, falſò apud patrem inſimulat. Huic ille credulus, ambos oculis priuat. In-

terea Argonautæ cum Boreæ filiis illuc appulſi in Phineum animaduertunt.

Chione autem Neptuno admiſcetur. Quæ cùm, clã patre Eumolpũ, peperiſſet, nec detegeretur, in mare deiecit infantulum. Hunc ſtatim Neptunus exceptum, in Æthiopiam transfert, & Bentheſicyme filiæ ſuæ alendum commendat, & Amphitritæ. Qui, cùm ætatis integræ fuit, intus Bentheſicymes coniunx, huic alteram filiarum vxorem dedit. Hic autem vxoris quoque ſuæ ſorori vim inferre aggreditur. Quamobrem exilio multatus cum Iſmaro filio, ad Tegyrium Thraciæ regem confugit. Qui filiam, ipſius filio, coniugauit. Deinde verò inſidias Tegyrio quoque comparaſſe detectus, ad Eleuſinios aufugit, eorúmque amicitiam ſibi conciliauit. Rurſus autem, Iſmaro filio defuncto, à Tegyrio reuocatus in Thraciam redit, ac ſoluta inter eos diſcordia regnum accepit. Mox conflato inter Athenienſes, & Eleuſinios bello, aſcitus ab Eleuſiniis, magno cum Thracum exercitu opem laturus aduenit. At Erechtheo de Athenienſium victoria ſciſcitanti: Deus rem bellicam præclarè geſturum cecinit, ſi filiarum vnam iugularit. Qui cùm natu minimam immolaſſet, & reliquæ tum omnes ſeſe iugularunt. Siquidem, vt quidam teſtati ſunt, de ſe viciſſim occidendis, conſpirarant. Commiſſa verò pôſt immolationem pugna Erechtheus Eumolpum obtruncauit. *Erechthei filiarũ mors.*

Inde verò vbi Neptunus cum ipſius domo Erechtheum diſſoluit, Cecrops Erechthei filiorum maximus regnum adminiſtrauit, & is ducta in coniugium Metiaduſa Eupalami filia Pandionem filium ſuſtulit. Hic vnà cum Cecrope patre regnans à Metionis liberis per ſeditionem eiectus fuit. Hinc Megara ad Pylam profectus eius filiam Peliam iamdudum nubilem vxorem cepit, à qua deinde vrbis regno præficitur. Nam, cùm Pylas Biantem patruum occidiſſet, Pandioni genero regnum tradit, ipſe verò traducto in Peloponneſum populo Pylum vrbem condit. Interea Pandioni Megaris regnanti, nati ſunt filij Ægeus, Pallas, Niſus, & Lycus. Nonnulli autem Ægeum Scyrij filium eſſe aiũt, *Pyli quis cõditor.*

ſed ſibi Pandione ſuppoſitium feciſſe.

Demum poſt Pandionis obitum, eius filij perducto in Athenas exercitu Metionidas eiecerunt, ac regnum in partes quatuor diſtribuerunt, ſed penes Ægeum ſumma Imperij fuit. Hic primam vxorem Metan Opletis filiam : alteram verò Calciopem Rhexenore natam duxit. At, vbi nulla ſe prole augeri videt, fratrum metu ad Pythiam adit, déque filiorum progenie reſponſum dari ſibi poſtulauit, cui Deus ita vaticinatus eſt.

*Macte noua virtute pedem, qui promouet vtri*
*Ne prius exoluas, quàm ſcandas Palladis arcem.*

At ipſe ambigens quid hoc ſibi vellet oraculum, Athenas iterum accedit, ac per Trœzenem iter faciens à Pitheo Pelopis filio hoſpitio recipitur, qui, quoniam oraculum intellexerat, Ægeo vino madenti filiam Aethram comprimendam ſummiſit. Hanc etiam nocte eandem Neptuno coniunxit : Ægeus interea Aethræ præcepit, vt, ſi ex ea maſculus naſceretur, educaret: néve, cuius ille filius eſſet, indicaret : enſem, & calceos ſub ſaxo abditos reliquit, hæc locutus cum per ætatem puer ſaxum ſubuoluere queat, ea tolleret, eumque clam cum hiſce omnibus ad ſe rebus emitteret. Ipſe interim Athenas contendit, nec non Panathenæorum certamen aggreditur celebrare, in quibus Minois filius Androgeus omnibus victoria præſtitit. Hunc Iupiter in Marathonium taurum miſit, à quo fuit interfectus. Non deſunt, qui illum Athenas ad Laii certamen euntem, ab athletis ob inuidiam dolo necatum fuiſſe prodant. Minos, audita filij morte, quo tempore in Paro Gatiis ſacra faciebat, ſublatam è capite coronam, abiecit, ac tibiam abſtinuit, & ſacrificium nihilo tamen ſecius abſoluit. Hinc & in hodiernam vſque tempeſtatem ſine tibiis, & coronis in Paro Gratiis immolant. Nec longo poſt tempore in mari præpotens comparata claſſe Athenas oppugnauit.

Megara item Niſo Pandionis filio regnante ſubuertit. Ad hæc Megareum Hippomenis filium qui ex

Oncheſto Niſo opitulaturus aduenerat, interemit: & is demum per filiæ proditionem occubuit. Nam cum Scylla filia Minois amore flagraret patri purpureũ crinem quo inuictus eſſe ferebatur, è medio capitis vertice præcidit, eóque facto ſtatim ille interiit. Minos itaque Megaris potitus, virginem vinctam pedibus è puppe in mare deiectam ſummerſit. Enimuero, cum id bellum diuturnius fore videretur, quando Athenas capere minime poſſet, Iouem, vt Athenienſes commiſſi criminis pœnas luerent, obſecrat. Hinc, cum peſtis, ac fames ſimul orbem inuaſiſſet, primum quidem ex veteri oraculo, Athenienſes Hyacinthi filias Antheidem, Ægeidem, Enthenidem, & Lytæam Geræſti ad Cyclopis tumulum iugularunt, ſed harum pater Hyacinthus Lacedæmone Athenas commigrauit, & cum nihil inde ſibi emolumenti futurum viderent, oraculum de belli exitu conſuluerunt. His numen, quas ipſe vellet, Minoi pœnas daturos renuntiauit. Igitur Athenienſes, miſſis ad Minoem legatis, iniunxerunt vt ab eis, quas pœnas vellet peteret, tum Minos iis vt quatuordecim corpora, ſeptem ſcilicet puerorum, ac totidem & ætate parium, puellarum, ſine armis Minotauro deuorandos mitterent, imperauit. Is taurus labyrintho concluſus coërcebatur, vnde ingreſſus quiſpiam haud facile exire poterat, quod multiplici viarum ambage non agnitum exitum excludebat: Hunc Dædalus filius Eupalami, qui Metionis, & Alcippæ filius fuit, exædificauit. Hic item architectus omnium præſtantiſſimus & primus operum admiratione dignorum fuit inuentor. *Dædali Laus.*

Hic etiam Athenis poſt necatum Perdicis ſororis filium Talaum eius diſcipulum, aufugit, quem, veritus ne ipſum ingenij præcellentia ſuperaret, occidit. Etenim ſerpentis malam nactus lignum tenue ſecuit, deinde vbi puerum necaſſe deprehenſum fuit, reus in Martis villa peractus ad Minoem confugit. Atque inibi Paſiphaem cum Minois taurum arderet, lignea vacca affabre compacta concluſit: ac Labyrinthum conſtruxit, ad quem quotannis Athenienſes virgines ſeptem, ac toti-

dem pueros ætate pares Minotauro vorandos mittebã: donec Theſeus ex Æthra, Ægeóque natus iam grandis factus, petra ſummota calceos, atque enſem aufert, & pedeſtri itinere Athenas adiens, obſeſſam iam viam à maleficis viris vndecunque pacauit. Primum quidem Periphetem Volcani, & Anticliæ filium, qui quod clauam geſtaret, Coryneta dicebatur, ad Epidaurum occidit, qui cum imbecillis pedibus eſſet, ferrea claua munitus, viatores interficiebat: quam ex illo præreptam Theſeus ipſe ferre conſueuit. Hic Sinem poſtea Polypemonis filium, & Syleæ Corinthi filiæ occidit. Huic Pityocamptæ, à curuandis pinis nomen fuit. Nam cum Corinthiorum Iſthmum inſediſſet, viatores ad pinos flectendas inuitos compellebat, qui quòd eas virium imbecillitate flectere nequirent, arborum in ſe redeuntium impetu ſublati penitus interibant. Hunc in modum Theſeus Sinem cruciatum è medio ſuſtulit.

*Theſei facta*

* * *

# LILII GREGORII GYRALDI FERRARIEN. DE MVSIS LIBELLVS.

DIODORVS Siculus apud Græcos multi nominis hiſtoricus & poëta, qui (vt ipſe idem ait,& ab eo Iuſtinus philoſophus & martyr, itémque Euſebius) triginta annis maximam orbis terrarum partem peragrauit, vt hiſtoriarũ, quas ſcribere meditabatur certiorem fidem poſteris relinqueret, ſcriptum reliquit, Oſiridem Ægyptiorum deum muſicis & choreis delectatum fuiſſe, proptereáq; illum pleroſque muſicos conſectari ſolitos: inter quos nouem fuiſſe puellas prodidit, quæ modulandi artem cæteráſque diſciplinas probè tenerent, quas ideo Græci Muſas appellauerunt. Sedenim alij Muſarum duas fuiſſe generationes prodiderunt, ſecuti (vt aiunt) Muſæum antiquarum ſcilicet, quæ ſub Saturno fuerunt, & iuniorum, quas nos hoc ipſo libello deſcribere aggreſſi ſumus: de quibus nonnullorum opiniones, antequam procedamus, recenſendæ ſunt, quæ de Muſis ipſis, earúmque parentibus ac numero vario modo traduntur: primámque Varronis afferemus, qui tres tantum Muſas fuiſſe exiſtimauit, vt teſtatur Seruius: vnam quæ ex aquæ naſcitur motu. Alteram, quam aëris icti efficit ſonus. Tertiam, quæ mera tantum voce conſiſtit. Aliam tamen Varronis D. Auguſtinus hiſtoriam ſuo quodam libello explicat: Non audiendi ſunt, inquit, errores gentilium ſuperſtitionum, qui nouem Muſas Iouis & Memoriæ filias eſſe finxerunt, refellit eos Varro, quo neſcio vtrum apud eos quiſquam talium rerũ doctior vel curioſior eſſe poſſit. Dicit enim ciuitatem neſcio quam (neq; enim recordor nomẽ) locaſſe apud tres artifices terna ſimulachra Muſarũ, quę in templo Apollinis dono poneret, vt quiſquis artificũ pulchriora formaſſet, ab illo potiſſimũ electa emeret. Itaq; cõtigiſſe vt opera ſua quoq; illi artifices æquè pulchra explicarẽt, & placuiſſe ciuita-

*Muſæ Oſiridis comites.*

*Quare muſa dicta.*

*Muſæ tres.*

ti omnes nouem,atque omnes emptas eſſe vt in Apollinis templo dicarentur,quibus poſtea dicit Heſiodũ poëtam impoſuiſſe vocabula. Non ergo,ait, Iupiter nouem Muſas genuit,ſed tres fabri ternas fecerunt. Tres autem non propterea illa ciuitas locauerat, quia in ſomnis eas viderat, aut tot ſe cuiuſquam illorũ oculis demonſtrauerant:ſed quia facile erat animaduertere, omnem ſonum, qui materies cantilenarum eſt, triformem eſſe natura:aut enim editur voce, ſicut eſt eorum qui faucibus ſine inſtrumento canunt: aut flatu, ſicut tubarum & tibiarum: aut pulſu, ſicut in citharis & tympanis & quibuſdam aliis quæ percutiendo ſonora ſunt.Atque hactenus Aurelius Auguſtinus. Sed nomen quòd ſe non recordari ait Auguſtinus, Sicyon eſt, vt ego ex ſcriptoribus collegi,id quod appoſui, vt Auſonij Galli verſus rectius emendetur quàm adhuc factum eſt: ſic enim in ternario legendum vbi hac de re eſt mentio.

*Verſus Auſonij emendati.*

*Tris ſolas quondam tenuit quas dextera Phœbi,*
*Sed Sicyon totidem ternas exear ſacrauit.*

Quo in loco ab aliis varia traduntur, nos,puto,germanam & veram lectionem attulimus. Pauſanias quoque & ipſe tres artifices, Cephiſodotum, Strongyliona, & Olympioſthenem nominat, quorum ſinguli ternas Muſas effecerunt, & has primas fuiſſe. Alias verò idem Pauſanias Muſas tres connumerat, quas ait ab Aloëi filiis Oto & Ephialte ſic nominatas, primam ſcilicet μελέτην, hoc eſt, meditationem: ſecundam μνήμην, hoc eſt, memoriam: tertiam ἀοιδὴν, hoc eſt cantilenam,quòd non ratione carere videbit is qui rem altius ſcrutari voluerit. Iidem quoque Aloëi filij Otus & Ephialtes, Muſis primi rem ſacram in Helicone feciſſe dicuntur, & in Aſcra habitaſſe, vt verſus poëtæ Hegeſini ex eius poëmate Atthide oſtendunt, qui apud Callippum leguntur & Pauſaniam. Sed & Cenſorinus in libro de die natali, Muſas ait olim tres ideo exiſtimatas, quoniam organum quondam habuit tres intentiones,grauem, mediam, acutam. Ad hæc Cornutus, quem Pharnutum vocant quidam: in libro de deorum natura,tres ideo exiſtimatas ait, ob eius numeri perfe-

*Pauſania ſententia.*

ctionem, vt qui etiam deo ipſi attribuatur. Scribit M. Tullius in tertio de natura deorum, & ſimul idem Pharnutus, principio Muſas quatuor fuiſſe natas Ioue altero, item alteras ex Ioue tertio ac Mnemoſyne. Tertias quoque ex eodem Ioue & Antiopa, quæ Pierides Pieriæque à poëtis appellantur. Alij duas putarunt, vt Pharnutus ſcribit, à conſiderando ſcilicet & efficiendo. Alij ſeptem: hoc ideo fortaſſe, quoniam totidem voces antiqua muſicorum inſtrumenta continebant, vel, quod totidē ſunt artes liberales. Sed enim quoque paucis referēdum eſt quæ de Muſarū numero à Plutarcho in libro Sympoſiacon obſeruantur. Conflatur, inquit, Muſarum numerus, primum ex eo qui vnus & octo dicitur, deinde ex triangularibus, ſex videlicet & tribus, inde ex triplicato ternione. Quamobrem, inquit, non eſt ita inſtitutum, vt nouem ſint Mineruæ vel Dianæ, vt nouem ſunt Muſæ. Quin & ipſarum mater Mnemoſyne totidem eſſe literarum reperitur. Tres verò antiquitus exiſtimatas, non ſecundum ea tria modulandi genera, de quibus paulò ſuprà retulimus, verum quod potius diſciplinas in tribus generibus veteres diſpoſuere, philoſophi, rhetoris, & mathematici. Hinc & tres earum Gratiæ, quæ Muſæ dicuntur. Hinc quoque, iuxta Heſiodi opinionem, harum quælibet in tres diuiſa. Philoſophia quidem in eam quæ ad rationem, ad mores, & ad naturam pertinet. Rhetorice verò in demonſtrationem, deliberationem & iudicialem. Mathematica autem in Muſicam, arithmeticam, & geometriam diuiſa eſt. Alij in ea quæ ἀπλανῆ dicuntur diſtribuunt, hoc eſt, non errantia, & in ea quæ πλανώμενα, hoc eſt, errantia, & in ea quæ ſub luna corruptioni ſubiecta ſunt. Alia item afferuntur multa, vt de Parcis, & de iis quæ in Sicyone fuerunt, quæ breuitatis cauſa prætereo. Nouem inſuper Muſas numero quidam prodidere, quod is numerus maximè ſit perfectus: vnde Græci pariter & Latini interdum pro maximo numero & conſummato nouem dixere, vt in Homero obſeruat Euſtathius, & in Nicandro grammatici. Idem & Theon in Arato. Et propterea exiſtimauit Heſiodus nouem numerum eſſe Muſarum, quod bonus ſit ad omnia, &

*Muſæ duæ. Muſæ ſeptē.*

*Plutarchi locus.*

*Nouem Muſæ.*

*Heſiodi ſententia.*

æqualiter æquus. Sed & ad hunc numerum reſpexiſſe videri poteſt Horatius, cum quæ perfici volumus opera, nonum in annum premi præcipit. quem poſt ſecutus eſt F. Quintilianus tametſi decimum in eo loco perperam quidam reponunt. Antiqui præterea gentium theologi, vt autor eſt Macrobius, nouem ideo Muſas eſſe voluerunt, quod octo ſint ſphærarum cœleſtium muſici cantus, & vna maxima ſit ſphæra quæ conſtat ex omnibus. Vnde Aſcræus Heſiodus octauam Vraniam vocat, quia poſt ſeptem vagas octaua ſtellifera eſt ſphæra quæ proprio nomine οὐρανὸς, hoc eſt, cœlum vocatur. Nonam verò maximam dixit, qua conſtat ſonorum concors vniuerſitas. Sed & Arati interpres ſcribit, Orpheum lyram ideo nouichordam conſtituiſſe, quoniam idem eſſet Muſarum numerus. Nec defuere etiam qui Muſarum choreas & cantus cum Apolline, mundi totius concentum & ſphærarum, cœleſtiumque circulorum vertiginem ſignificare dicerent: vnde & Apollo ſua mundum cithara temperare ab Orpheo in hymnis dicitur. At Cenſorinus pleroſque ait exiſtimaſſe ſeptenarium & nouenarium numeros in hominum vita multum valere, quod ſeptenarius ad corpus, nouenarius ad animum pertineat, illeque medicinæ corporis & Apollini attributus, hic Muſis: quia morbos animi, quos appellant πάθη, muſica lenire ac ſanare conſueuit. Qui verò theologiam Orphicam profeſſi ſunt, illud apud Orpheum obſeruant, ipſum in animis & globis cœleſtibus vim duplicem ſtatuiſſe, alteram quidem in cognoſcendo, alteram in globo ipſo viuificando atque regendo. Nam in lunæ ſphæra vim illam Bacchum Licnitan, hanc Thaliam nuncupaſſe volunt. In Mercurij verò ſphæra, illam Bacchum Silenum, hanc Euterpen. In Veneris ſphæra hanc Lyſium Bacchum, illam Erato. In ſolis ſphæra hanc trietericum Bacchum, illam Melpomenem. In Martis hanc Baſſareum, illam Clio. In Iouis hanc Sebazium, illam Terpſichorem. In Saturni hanc Amphieton, illam Polymniam. In octaua ſphæra hanc Pericionium, illam Vranien. In anima autem mundi priorem vim Bacchum Eribonum, alteram Calliopen.

*Horatius.* — *Octaua Vrania dicta.* — *Cenſorinus.* — *Mira Muſices virtus.* — *Duplex virtus in globis cœleſtibus.*

Quibus ſic ſtatutis, illud ſubinferunt, quod ideo ſingulis Muſis ſingula Bacchi cognomina conferunt, vt Muſarum vires diuinæ cognitionis nectare ebrias intelligamus, nouémque Muſas, nouémque Bacchos circa vnum Apollinem, hoc eſt, circa vnius ſplendorem ſolis inuiſibilis diſcurrentes. atque hæc quidē illi. Alij verò ita interpretantur. Iupiter, aiunt, rerum omnium parens, è Mnemoſyne, hoc eſt, è memoria & cognitione ſui Muſas genuiſſe dicitur, quæ mentis conceptus ſignificant æternarum rerum contemplatores, quæ quidem res intellectu tantum percipi poſſunt. Nam Muſæ dictæ ſunt, vt Plato exiſtimat, quaſi indagatrices, vtpote quæ per naturæ veſtigia ſenſiſis atque mathematicæ, ſuperna & cœleſtia indagant. In Heliconis verò montis receſſu, vt nomen ipſum indicat, anfractuoſi, choros ſuos agentes, per quos rerum ſeriem intelligimus, quæ infinitam complectitur ſapientiam. Eius porrò montis duo vertices ſignificare poſſunt tropologiam & anagogen, vel, vt alij, phyſicen & theologiam. Nec defuerunt qui nouem Muſas, nouem beatorum animorum choros, hoc eſt, angelos deſignari crederent. *Iupiter Muſarū parēs.* *Helicon mons.*

Verum hæc ego ipſe non libenter commemoro, quare iam ſatis. Legimus præterea Lydos proprias quaſdam apud ſe Nymphas Muſas nuncupaſſe, vt eſt apud Theocriti expoſitores. Carius enim Iouis & Torrebiæ filius, vt in quarto hiſtoriarum Nicolaus prodidit, cum fortè errabundus vagaretur, ad paludem quandam peruenit cui nondum nomen erat impoſitum, ipſe à matre Torrebiam appellauit, ibíque Nympharum, quas indigenæ ipſi Muſas vocitant, auditos cantus edidicit, atque exinde modulationis lydiæ autor extitit, vt Stephanus etiam teſtatur. Nos autem vulgatam magis hoc libello ſequimur opinionem, quæ nouem Muſas fuiſſe confirmat, quas aliqui Oſiridis, alij Bacchi, plurimi Apollinis comites fuiſſe tradiderunt. Vel propter cœli harmoniam, cuius ſolem principem ac rectorem eſſe Philoſophi voluerunt, qua de re & in dialogis de poëtis copioſius ſcribere meditamur: vnde & à Græcis Apollo Muſagetes dicitur, quaſi Muſarum dux, de quo ante alios Lutatius in primo com- *Carius Autor modulationis lydiæ.* *Apollo Muſagetes quomodo dict⁹.*

munis hiſtoriæ, vt Probus ſcribit. Quin etiam ab eodem Apolline doctas quidam tradidere, qua ex re & Muſicus eſt nuncupatus. Sunt tamen qui putant Muſas à Parcis edoctas fuiſſe. Diodorus Siculus Muſis ab Ioue patre literarum inuentionem attributam aſſerit. Fuerunt igitur nouem Muſæ, Iouis & Mnemoſynes filiæ, vt in Theogonia canit Heſiodus, cuius hi ſunt verſus:

*Muſæ literarum inuẽtores. Nouẽ Muſæ.*

Μοῦσαι ὀλυμπιάδες κοῦραι διὸς αἰγιόχοιο,
Τὰς ἐν πιερίῃ κρονίδῃ τέκε πατρὶ μιγεῖσα
Μνημοσύνη. Et idem:
Ἐννέα θυγατέρες μεγάλου διός.

Quem Proclus Lycius eſt imitatus in hymno ad ipſas Muſas, ſic canens:

Ὑμνέομεν μερόπων ἀναγώγιον, ὑμνέομεν φῶς
Ἐννέα θυγατέρας μεγάλου διὸς ἀγλαοφώνους.

*† Id eſt Salvete filiæ Iouis.*

Item Homerus eas in hymno ita ſalutat: χαίρετε τέκνα διός† Idem ait Orpheus in principio hymni, quem Muſis cum libani, id eſt, thuris ſuffimento dicauit.

Μνημοσύνης καὶ ζηνὸς ἐριγδούποιο θύγατρες
Μοῦσαι πιερίδες. & reliqua.

*Muſarum ortus.*

*Muſæ quare Mnemoſynes filiæ dictæ.*

Nouem verò, eas, nouem noctium concubitibus genitas, Heſiodus aliique Græci poëtæ finxerunt. Sed enim ea de cauſa Iouis & Mnemoſynes, hoc eſt, memoriæ filias appellatas inuenio, quod iis qui ad diſciplinas & ſcientias peruenire cupiunt, duo hæc in primis neceſſaria ſunt, intellectus ſcilicet & memoriæ poteſtas: hoc Græci μνημονικόν, illud νοητικὸν vocant. & hoc quidem Proclus in commentariis. Aliqui tamen Cœli & Terræ filias dixerunt, vt Alcmæon, Pharnutus, & Euſebius, quibus in quopiam hymno aſtipulatur Pindarus, ſic Muſam alloquens, Ἄρχε δὲ οὐρανῷ θύγατερ. vbi commentatores ex Ariſtarchi ſententia & Mimnercæ, aſſerunt Muſas Cœli filias. Idem & Pauſanias, qui non Mimnercam, ſed Mimnermum hoc ait in elegiis prodidiſſe, in procemio ad Gygen Lydum: Antiquiores inquit, Muſæ Cœli filiæ, Iouis verò iuniores fuere. Muſarum verò nomina Orpheus in hymnis, Heſiodus in Theogonia duobus his verſibus ita complexi ſunt,

*Pyndari locus.*

*Muſæ cœli filiæ.*

Κλειώ

Κλειώ τ' Εὐτέρπη τε Μελπομένη τε,
Τερψιχόρη τ' Ἐρατώ τε Πολύμνιά τ' Οὐρανίη τε,
Καλλιόπη. & reliqua.

Cum Apolline igitur decem ſunt Muſæ, quoniam *Decem eſſe*
(vt inquit Fulgentius) humanæ vocis decem ſunt mo- *muſas. A-*
dulamina, vnde etiam cum decachorda Apollo pingi- *pollo quomo*
tur cithara. Sed & legis diuinæ ſcriptura decachordũ *do depict.*
dicit pſalterium, quod noſtri Chriſtiani Laudatorium, *Pſalterium*
ſi modo id rectè, appellarunt, Hebræi verò Nablon, vt *dictũ deca-*
D. Hieronymus docet. *chordum.* A Græcis quoque tum Nabla tum Naula, tum etiam Nablia dicuntur: qua de re cum ab aliis, tum præcipuè ab Athenæo in Dipnoſophiſtis copioſè diſſeritur. Figurantur itaque vt idem ſcribit Placiades Fulgentius, nouem Muſæ cum Apolline, per quatuor dentes è contrario poſitos, quos lingua percutit, per duo labra velut cymbala verborum, per linguam vt plectrum, per palatum, cuius concauitas profert ſonum, per gutturis fiſtulam quæ ex curſu tereti meatũ ſpiritalem præbet, per pulmonem, qui velut æternus follis conceptum ſpiritum reddit & reuocat. Nunc verò illud diſquirendum, vnde Muſas nomen ſortitæ. *Vnde Muſæ dictæ fuerunt.* Plato quidem in Cratylo Muſæ ἀπὸ τοῦ μῶσθαι, quod eſt inquirere, dictas affirmat, cui Pharnutus in libro de natura deorum ſubſcribit: ita enim ait, καλοῦνται δὲ Μοῦσαι ἀπὸ τῆς μώσεως, ὅ ἐστι ζητήσεως, Muſæ, inquit, dicuntur ab inquſitione. Idem ſentit Suidas, qui proptereà ait eas ab inquirendo dictas, quoniam ipſæ ſint omnis diſciplinæ cauſa. Idem & Palæphatus. Vnde & aliquando Moſas eas antiqui vocauere. Euſebius tamen in Euangelica præparatione Muſas tradit ideò ſic appellatas, quia μυέω, apud Græcos honeſta bonáque doctrina inſtitutio ſignificat: quamobrem, vt puto, eas Orpheus & Proclus hominibus religionem monſtraſſe in hymnis ſuis cecinerunt. Quidam Muſas per conciſionem, quaſi meluſas, à μέλω declinari voluerunt. *Scientiarũ connexio.* Alij verò propter diſciplinarum inter ſe conuenientiam, quaſi ὁμοῦ οὔσας, vel quod inuicem, ſicut virtutes, neceſſariæ ſibi eſſe videantur, vt ait Caſſiodorus. Vnde fit vt ab antiquis nonnullis doctrinæ ac ſcientiæ

R 5

*Cur Muſæ potius puellæ quàm cõiugatæ.*

copula ac nodus quidam exiſtimentur. Sed cur Muſas potius antiqui puellas quàm coniugatas confinxere? hoc ſic Cornutus exponit, vt ex re nomina ita ſint ſortitæ fœminea, quod ad earum videlicet ſymbolum multa ſcientia congignatur. Poteſt & dici propter fructum qui gignitur ex animæ iudicio. Virgines quoque dicuntur, quoniam virtutis diſciplinæ, vti virgines abditæ atque incomptæ eſſe videntur, natiuo ſcilicet decore contentæ: id quod & de cæteris diſciplinis non incommodè dici putamus, atque ideo interiores & reconditas literas opinor appellat Cicero. Eadem & ratione Cupido quodam Luciani dialogo, Muſas ait ſe vereri quod virgines ſint, & ſemper aliquid cogitent, ſéque in ſuis cantibus contineant.

*Cupidinem Muſas vereri.*

Muſas inſuper antiqui ſimul verſari, & in chorum numerumque ludos agere dixerunt, propter ſcientiarum copulam & nexum, vt modo dicebam, quo inter ſe diſciplinæ quodam quaſi nodo copulantur & coniunguntur. Hinc opinor cyclicas ſcientias appellat Capella Martianus, & encyclium conſtituit Victruuius, & notiſſima eſt illa à Græcis vocata encyclopædia, de qua Plutarchus, & longe pluribus Proclus, ex noſtris meminit Plinius & Fabius. Eadem cauſa ſorores exiſtimatas facile crediderim. Ad hæc in montibus dicuntur verſari, vt ait Cornutus, quod ſeceſſu & ſolitariis maxime locis ſtudioſi viri delectantur. Quin & Plutarchus lucos & Muſarum delubra quàm longiſſime ab vrbibus ſtatuta fuiſſe ſcribit, in eo qui eſt περὶ πολυπραγμοσύνης inſcriptus. Sunt & qui ideo in Heliconis & montium verticibus verſari autument, quod ipſa ſapientia atque intellectus, ex quibus diſciplinæ ac ſcientiæ nobis comparantur, dicuntur in hominis capite: id quod in primis Platonicis placet, vt in puriori & eminentiori loco eſſe, quæ per Muſas intelliguntur.

Eas etiam palma coronari multi prodidere, propter quandam nominis ſimilitudinem. Phœnicum enim populorum inuentum eſſe literæ dicuntur, & ab iis ad Græcos delatæ: idcirco & id vtrunque apud Græcos phœnix ſignificat, id quod me oſtenſurum pluribus

ſpero in primo de poëtis dialogo. Vel, vt conſentaneum magis Cornuto videtur, ideo palma Muſæ coronantur, quoniam eius arboris fructus dulcis ſit, multiuiuus, tardè creſcens, & multiplex & copioſus. *Palma Muſæ quare coronentur.* Attribuitur & laurus Muſis, vel quod ea arbor ad inſpirationem & afflatum, & vt Græci dicunt, enthuſiaſmon conferat, quod Sophocles in Caſſandra docet, Vel quod eius arboris guſtu poëticam ſe facultatem adipiſci antiqui credidere, vt Lycophron innuit, qui poëtam daphnophagon vocat, & de ſe canit Heſiodus: atque ideo etiam à Iuuenale dictum, Laurumque momordit. Vel potius quod ea arbor ſemper ſit virens, atque ſimili modo bonorum poëtarum verſus vireſcere perpetuò dicuntur docta per ora virorum. Quin & eadem cauſa in Muſarum & Apollinis certaminibus poëtas victores, quaſi immortalitate quadam gnos, lauru coronari apud antiquos, & nunc improba quadam ambitione moris eſſe videmus: His ita à me collectis, planè congruum videtur, Muſarum etiam cognomina, quorum frequens apud ſcriptores ſit mentio, paucis recenſere. *Muſarum cognomina.* Sunt igitur in primis Muſæ Nymphæ nuncupatæ, quod Acron notat illo Horatij verſiculo: Vidi docentem, credite poſteri, Nympháſque diſcentes. Item Vergilius: Nymphæ noſter amor Lybethrides. Huc adde quæ de Nymphis Lydorum paulò ante retulimus, quæ Muſæ dictæ ſunt. *Muſæ cur dictæ nymphæ.* Vocantur & Camœnæ quaſi canienæ, à cano, vt Feſtus, Macrobius & Seruius docent. M. tamen Varro primum Caſmœnas dictas ait, inde Carmœnas, poſtremo litera rablata, Camœnas. *Muſæ cur dictæ camœnæ.* Dictæ ſunt & Heliconiades ab Helicone Bœotiæ monte, non Parnaſſi iugo, vt cum Seruio grammaticorum plerique exiſtimarunt. *Cur heliconiades.* In Helicone quidem, vt antè retulimus, Muſis primi ſacrificauere Otus & Ephialtes fratres, cúmque montem Muſis ſacrum eſſe voluerunt. Sed & Heliconem quidam fluuium quoque fuiſſe prodiderunt, qui per LXX. ſtadia lapſus ſub terram fluit, atque ita XX. circiter ſtadia occulto & ſubterraneo curſu labens rurſus erumpit, & pro Helicone mutato nomine Baphyras vocatur. Id ea cauſa factum Græci

ſabulantur, quod quæ Orpheum diſcerpſerunt mulieres, in eo cum ſe abluere vellent, fluuius tum alueum abdidit. Quidam Heliconem montem Meliſſum appella?t, vt Nicãdri expoſitores teſtãtur. Alij non à mõte, ſed ab inſtrumento muſico quod helicon dicitur, in quo chordæ nouem inueniuntur, dictas Heliconiadas autumant: de quo quidem inſtrumento cum alij, tum in muſica ſua meminit Ptolemæus, quam latinam facit noſter Leonicenus. Sed de hoc ſatis. Dicuntur & Parnaſſides Muſæ, à Parnaſſo Phocidis regionis monte, qui & Larnaſſus antiquitus dictus eſt, teſte Stephano & Apollonij commentatoribus, à larnace, id eſt, ab arca Deucalionis quæ ibi delata fuit. Longè verò poſt diluuium Parnaſſus dictus eſt ab heroë Parneſſo eius montis incola, vt Hellanicus memoriæ mandauit.

*Cur parnaſſides, à Parneſſo Parnaſſus antea dictus Larnaſſus.*

Alij à Parnaſſo Cleodoræ Nymphæ & Neptuni ſiue Cleopompi filio. In Parnaſſo alternis annis bacchanalia agebantur, vbi Satyrorum frequens cernebatur cœtus, & plerumque voces exaudiebantur, itemque cymbalorum crepitus ad hominum aures perueniebant, vt apud noſtros Macrobius notat. At montibus Aoniis Bœotiæ, Aonides frequenter Muſæ cognominantur. Bœotia quoque regio & ipſa Aonia dicta eſt, à cuius etiam populis Hyantiis, Hyantiæ ſorores dictæ ſunt à poëtis.

*Cur Aonides.*

Citheriades verò nuncupatæ à Citherone monte, vel ſaltu Thebis propinquo. Pierides vel Pieriæ, à Piero mõte, vt ait Feſtus, dictæ ſunt. Stephanus tamen Pieriam ciuitatem & regiunculam nominat: ſed Apollonij interpretes Pieriam montem Thraciæ aſſerunt, in quo verſatus eſt Orpheus. Græci Heſiodi expoſitores Pieriam Macedoniæ montem eſſe tradunt, in quo genitæ ſunt Muſæ, qui mons Thraciam vſque attingere dictus eſt: quod ea ratione fictum arbitramur, quoniam primus apud Græcos, & ſapiens & poëta & theologus Orpheus in hæc loca diuerſatus eſt, vel ſi Ouidio poëtæ credimus, Pieriæ Muſæ dictæ ſunt à Pieri & Aganippes filiabus, quæ cum veris Muſis auſæ ſunt decertare, vnde victæ in picas mutatæ fuerunt.

Pierum etiam vetuſtiſſimum poëtam legimus, à quo Græcorum nonnulli Muſas aiunt lepidis adeò carmini-

bus celebratas, vt ab eo etiam Pieriæ nuncupatæ ſint. Alij verò quod Pierius Macedo, à quo mons cognominatus eſt, cum Theſpias profectus eſſet, primus Muſas nouem ſtatuerit, id quod in Bœoticis ſcribit Pauſanias. Pegaſides quoque dictæ ſunt, vt Feſtus docet, à fonte quem Pegaſus ictu vngulæ fingitur aperuiſſe: ob quam cauſam & Græcè Hippocrenæ appellatæ ſunt ab ipſo fonte, cuius aquas vocales fuiſſe plurimi ſcripſere Græcorum: à quibus, vt videtur, Sidonius Appollinaris loquaces denominat, cum inquit: Texerunt vitreæ vado Hippocrenes, Tunc hac merſus aqua loquacis vndæ, & reliquum. Idem Statius in epitalamio Stellæ poëtæ: Et de Pieriis vocalem fontibus vnquam. Pindari commentator rem ad allegoriam refert, quod ſcilicet poëtæ ſoliti eſſent canere carmina, vel propter Muſicam quæ fit ex aqua, cuius & nos antè meminimus. Ab eodem etiam fonte Aganippides frequenter appellantur, quoniam & fons ipſe Aganippe cognominatus eſt. Alij licet Aganippe fontem fuiſſe velint in Helicone, ſic ab Aganippe dictum Termeſſi fluminis filia. Fluit autem Termeſſus, vt ſcribit Pauſanias, circum Heliconem. Multa hic conſultò prætereo quæ de Pegaſi fabula afferre potuiſſem, ſed ea cum Græcis tum Latinis notiſſima.

*Pierius mōs*

*Muſæ cur pegaſides dictæ.*

*Muſæ cur Aganippides dictæ.*

*Aganippe fons.*

Iliſſides quoque & Iliſſiades Muſę nuncupatæ ſunt ab Atticæ flumine Iliſſo, vt in Attica Pauſanias docet. Stephanus tamen ab vrbe Iliſſo dictas exiſtimat, teſtemque vocat Apollodorum. Theſpiades verò Muſæ vocantur, non, vt quidam putant, à Theſpia matre vel nutrice, quod nuſquam apud idoneos autores compertum, ſed à Theſpia vel Theſpiis, vtroque enim modo dicitur, vt ait Stephanus, ciuitate Bœotiæ, vbi præcipuè Muſæ colebantur.

*Muſæ cur Iliſſides dictæ.*

*Muſæ cur Theſpiades dictæ.*

Si quis tamen quærat quænam fuerit Muſarum nutrix, is Hyginum in Aſtronomico poëtico legat, & in Aratum Latina commentaria, quæ in Baſſum à quibuſdam referuntur, vtrique enim eam Euphemen vocant, quæ Crotonem filium habuit, qui Muſarum precibus, quod inter eas eſt verſatus, & ab eis muſicam edoctus, ab Ioue inter ſidera collocatus, ſagittarij no-

men habet. Huius quidem Euphemes ſtatuam Pauſanias in Helicone poſitam fuiſſe ait ad Muſarum lucum.

*Muſæ libethrides cur dictæ.*

At Libethrides à Magneſiæ fonte Muſis ipſis conſecrato nuncupatæ ſunt, cuius Plinius & Solinus meminere. Sedenim Libethrium montem triginta ab vrbe corona ſtadiis Pauſanias diſtare facit, in quo & fons & Muſarum Libethriadum ſimulachra fuiſſe dicuntur.

Fuit & Libethra ciuitas in monte Olympo, vel Dionyſij oraculo memorabilis, de non eruendis à ſue oſſibus Orphei. Sunt & dictæ Pimpleiades à fonte vel vico Macedoniæ, vt Porphyrion ait: vt verò interpretes Apollonij, à Pimplia regione quæ eſſet prope Pieriam. Tidem & montem & fontem & pagum Pierij eodem nomine commemorant. Literarum tamen quidam (vt videtur) parum gnari, Pipleades potius quàm Pimpleiades vocitant. Græci certe, quorum hoc eſt vocabulum, πιμπλεια καὶ πίμπλις, non πίπλα efferunt. Videtur tamen Varro in tertio de lingua latina Pipleadas nuncupare, ſicuti Acron etiam, qui eas ab aliquibus à peplo veſtis genere dictas ait, vel ab Orchomeniorum monte Pimpleo. Non deſunt inter grammaticos qui hic meras nugas confingant, quæ deuorandæ à nobis potius quàm adſcribendæ ſunt.

*Muſæ cur dictæ Pimpleiades.*

*Caſtalides cur dicãtur Muſæ.*

Caſtalides Muſæ nominatæ ſunt à Parnaſſi fonte Caſtalio, cuius aqua potu dulcis fuiſſe traditur, quanquam apud Stephanum Caſtalia eſt ciuitas Ciliciæ. Nicephorus in interpretatione Syneſij, fontem eſſe prope Antiochiam Syriæ, vbi oracula redderentur, teſtatum reliquit. Idem ſcribit multò ante Nicephorum clemens & alij. Mythologi quidem caſtaliam ferunt virginem quampiam fuiſſe, quam cum ardentius Apollo deperiret, eique vim inferre ſtuderet, ſeſe in fontem ipſam præcipitaſſe, à cuius nomine caſtalius fons cognominatus eſt. Idem grammaticus Lactantius, qui & Lutatius à nonnullis.

At verò Probus, caſtalius, inquit, fons eſt Delphis in Apollinis oraculo, qui abluit ipſam aram dei, dictus à caſtalio Delphici Apollinis filio, alij à caſtalio patre Thyiæ, vnde Thyiades Bacchæ Nymphæ vocatæ ſunt. Panyaſis poëta caſtaliam hoc verſu Ache-

loida vocat: Caſtaliæ aduenit diuinam Acheloidos vndam. (ſic enim ego ex tempore luſi) quo fit vt nonnulli Acheloi filiam Cyſtaliam exiſtimarint. Coracides quoque appellatæ ſunt à colle, vel antro potius Corycio in Parnaſſo Delphis proximo, cuius meminit & Laërtius in vita Pherecydis, & Apollonij Rhodij commentatores, qui nuncupatum illud aiunt à Nympha Corycia, cuius & Apollinis Lycoreus filius fuit, à quo Delphici incolæ Lycores nuncupati ſunt, aliæ ſint licet de iis populis opiniones, quæ noſtri non ſunt inſtituti. Alterum præterea antrum Corycium & vrbs in Cilicia fuit, vel croc o nota, vt Herodotus & Strabo aliique. Stephanus tamen & multis aliis in locis eius nominis eſſe vrbes oſtendit. Ad hæc Mnemoſynides vocatæ ſunt Muſæ, à matre earum Mnemoſyne, quæ, vt diximus, eſt memoria. Pateides quoque, vt ait Feſtus Pompeius, à fonte Macedoniæ, propter liquoris eius vnicam ſubtilitatem. Dicuntur & Ligiæ, vt in Phædro ſcribit Plato, ſiue propter ſpeciem cantus, ſiue propter muſicum genus canorum quod ligium nuncupatur. Olympiadas & Varro nominat ab Olympo monte, carmen illud afferens: Muſæ quæ pedibus magnum pulſatis Olympum. quod quidem carmen ab Homero deductum videtur, qui Muſas inuocat olympia tecta habitante hoc carmine, ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι ὀλύμπια δώματα ἔχουσαι. Cuius etiamnũ hemiſtichium & pars extrema cum apud alios, tum apud Heſiodum legitur. Sed & Olympiadas Terẽtianus Muſas hoc verſu vocat: Carmen ſuaue dediſtis Olympiadas mihi Muſæ. Item Heſiodus in Theogonia: μοῦσαι ὀλυμπιάδες κοῦραι διὸς αἰγιόχοιο. Sunt demum Ardalides Muſæ cognominatæ ab Ardalo Vulcani filio, qui cum ad Trœzenios tibiam & Muſas detuliſſet, eas ita appellauit, autor Plutarchus in Sympoſio, & Stephanus, qui ait, ἀρδαλίδες καὶ ἀρδαλιώτιδες τιμῶνται αἱ μοῦσαι ἐν τροιζῆνι ſic dictæ vel à quopiam Ardalo, vel à loco. Amplius addit Pauſanias, apud Trœzenios veterem fuiſſe aram, ſuper quam Muſis & Somno rem ſacram faciebant, quod ſcilicet ſomnum Muſis conuenire arbitrabantur. Item Muſas

*Muſæ vnde Corycides dictæ ſunt.*

*Cur Ligiæ.*

*Cur Olympiades.*

*Cur Ardalides.*

*Cur Muſæ Mæonidæ dictæ.* interdum Mæonidas vocat Ouidius, à Mæonia, vt putatur, regione: tametſi à Myonia Phocidis vrbe Mionias quidam dictas putant.

*Nominũ muſarum interpretatio.* Verùm his à nobis ſic expoſitis, iam ipſarum nouem Muſarum nomina ſigillatim interpretari aggrediamur. Eſt igitur prima Clio nominata ἀπὸ τοῦ κλείω, quod eſt laudo, vel vt Cornutus ait, ἀπὸ τοῦ κλέους, propter gloriam quam erga doctos, & ipſi erga alios habent: vel propter gloriam quæ ex poëtarum laudibus oritur, vt ait Diodorus Siculus. *Vnde prima dicatur Clio* Fulgentius tamen, Clio, inquit, prima Muſarum appellata eſt, id eſt, cogitatio quærendæ ſcientiæ. Quidam hanc hiſtoriis præeſſe exiſtimant, quod Apollonij commentatores in tertio Argonauticôn affirmant. Ialemi quoque mater Clio fuiſſe perhibetur & Hymenæi. Alij tamen aliter, vt paulò infra dicemus. In Adonidis hiſtoria legitur, & ex Magnete Clio genuiſſe Linum, quem alij Vraniæ filium prodiderunt, vt ſuo loco dicemus.

*Secũda cur vocetur Euterpe,* Secunda Euterpe vel Euterpia Muſa nominatur, quæ Latinè iucunda dici poteſt. εὐτερπὴς enim apud Græcos iucundum deſignat & delectabilem, propter voluptatem quæ ab audientibus ex honeſta eruditione percipitur. At Fulgentius, Euterpe, inquit quam nos latinè bene delectans dicimus, ideo dicta eſt, quod primum ſit ſcientiam quærere, ſecundum ſit delectari quòd quæras. Plerique eam tibiis delectari & iis præeſſe ſcribũt. Alij dialecticæ. Apollonij verò Rhodij expoſitores μαθήματα, hoc eſt, diſciplinas inueniſſe affirmant. Sunt & qui Rheſi matrem ſcribant.

*Tertia cur Thalia dicta.* Thalia Muſarum eſt tertia, quæ ἀπὸ τοῦ θάλλειν, hoc eſt, à vireſcendo denominatur, διὰ τὸ θάλλειν, vt ait Cornutus, τὸν βίον αὐτῶν, id eſt, quod reuireſcere faciat ipſorum poëtarum vitam. vel, vt idem ſubiungit, quoniam & in conuiuiis ipſos virtutem habere, & honeſte in eis conuerſari ſuadet. vel, quoniam in longum tempus, vt alij ſcribunt, poëtarum laus parta vireſcat. *Thalia Palæphati mater & agricolationis inuentrix.* Nonnulli Thaliæ comœdias attribuunt, alij geometriam. At Græcorum quidam eam Palæphati matrem fuiſſe volunt, qui de colendis arboribus multa perſcripſit. quin & expoſitores Argonauticorum & ipſam

Thaliam agricolationem inueniſſe tradunt, necnon plantarum curam docuiſſe. Thaleam nos potius Latinè dicere debuiſſe ſcribit Seruius: nam Græcè θαλεία eſt, non θάλια. Verum ea mihi inanis videtur fuiſſe obſeruatio, quando ει Græca diphthongus & in i, & in e, apud nos frequentiſſimè vertitur, vt Pitho, Medea, & alia ſexcenta.

Melpomene quarta eſt, quam ἀπὸ τοῦ μέλπεσθαι, hoc eſt, à canendo dictam arbitramur, quoniam hanc audientes demulcentur: vel quaſi μελέτην ποιοῦσαν, id eſt, meditationem facientem, vt primum ſit velle, ſecundum deſiderare quod velis, tertium delectari, quartum inſtare meditando ad id quod deſideras, ait Placiades. Pharnutus tamen ἀπὸ τῆς μολπῆς, hoc eſt, à dulcedine vocis dictam exiſtimat. Huic alij Tragœdias, nonnulli verò cantilenas, Græci quidam Rethoricam adſcribunt. *Quarta Muſa cur dicta Melpomene.*

Quinto loco ſuccedit Terpſichore, quæ choreis delectatur. Eſt enim χορεία tripudium, & τέρπω delecto, eo quod oblectet audientes, propter bona quæ ex doctrina proueniunt. Pharnutus verò appellatam ait: διὰ τὸ τέρπεσθαι καὶ χαίρειν αὐτῇ τὸ πλεῖστον μέρος τοῦ βίου, hoc eſt, quoniam vitæ pars plurima ea & delectetur & gaudeat: vel propter aſpectus delectationem, vna tantum adiecta litera χ, quaſi τέρψιν ὁρῶν. Quidam hanc citharistriam dixerunt, ei pſalterium attribuentes. nonnulli & inueniſſe pædian, id eſt, humanitatis diſciplinam prodidere. Plerique ſine afflatu ob vocis aſperitatem ſcribere conſueuere. Ex hac eadem Achelous genuiſſe Sirenas, Græcorum quidam ſcriptores tradiderunt, etſi Seruius & Fulgentius ex Calliope potius genitas autument. Ex hac eadem Strymō Rheſum, & Mars Biſthonem, à quo Biſthonia regio nominata eſt, filios ſuſtulerunt. *Quinta cur dicta Terpſichore.* *Terpſichore inuentrix humaniorũ literarum.*

Amabilis Erato ſextum ſibi locum vendicat, quam ἀπὸ τοῦ ἔρωτος deductam etiam Ouidius poëta illo verſiculo innuit libro ſecundo de arte: Nunc Erato, nam tu nomen amoris habes. Eadem cauſa illam in tertio Argonauticôn inuocat Apollonius. Diodorus verò ea ratione id nominis forſitan eſſe Erato ait, quod docti *Sextra vnde dicta Erato.*

viri ab hominibus amantur & laudantur. Placiades tamen dictam exiſtimat quaſi εὑρεῖν ὅμοιον, hoc eſt, ſimile inueniens: quia poſt ſcientiam & memoriam, iuſtum eſt vt aliquid de noſtro ſimile inueniamus. At verò Cornutus ab interrogando & reſpondendo, id eſt, ἐρέσθαι καὶ ἀποκρίνεσθαι, hæc enim duo maximè diſputantibus & eius facultatis ſtudioſis conuenire videmus.

*Erato ſaltandi rationis inuentrix, muſices, Poeſeos.*

Saltatricem Erato Poëta illo verſiculo deſcribit: Plectra gerens Erato ſaltat pede, carmina vultu. Quin & ipſam ſaltandi rationem inueniſſe, Græci quidam commentatores prodidere, alij muſicam. At Patroclus qui in Heſiodum commentarios reliquit, poëſeos ei inuentionem attribuit. Eadem & Thamyræ mater perhibetur, qui amatoria primus cecinit, de quo in poëtarum dialogis plura. Arcades Erato inter Muſas non connumerant, ſed vatem quampiam fuiſſe aiunt, quæ Arcadi Caliſtûs filio nupſerit, eáque mortalibus Pana oracula dediſſe.

*Septima cur dicta Polymnia.*

Teſſalus Herc.F. 283,b
Tethis 267.b
Teucer 297,b,300,b,298,a
Teucer telamonis F. 281.a
Teuthras 295,a
Timandra 297,a
Thanace megeſſari F. 302.a
Thalia muſa vnde dicta 310, b, Agricolationis inuentrix & Palephati mater 312, b.313,a
Thalia nerei F.254,a,b, Iouis Fil. ibidem
Thaphis inſ. 273,b,& cur eius incolæ teleboes dicti 272. b,273,a
Thaſus 278.a,285,b
Thaumas ponti F. 254,a
Thebanum bellum 292,b

Thebæ 273,b
Thebæ 260,b, 289,b, 290,a, Athenienſibus capiuntur 295,a
Thelamon Æaci f. 259,b
Themis 279,a,300,b
Themis cœli f. 253,a,254,a
Themiſcyre 277,b
Theodamas 282,b
Thera 289,b
Therimachus creõtis f. 274,b
Thermidrę Rhodiorum portus 279,a
Thermodon 265,b
Thermodon flu. 277,a
Therſander 293,a
Therſippus Agrij f. 260,b
Theſeus 263,b,267,b
Theſeus Ægei f. 259,b,280,a, 281,a,eius labores 305,b
Theſproti 293,b,294,a
Theſtij filiæ quinquaginta 275,a
cur Thebani ergino tributa ſoluunt 274,b
Theſtius 274,a,275,a
Theſtius martis f. 259, a,b, eius filiorũ interitus 259,b
Theſpia vel theſpiæ vrbs à qua muſæ theſpiades dictæ 311,a
Theſſalici montes aquarum diluuij immunes 267,b
Thetis à Iouis concubitu cur abſtinet ac Peleo nubit 301,a
Thetis 300,b
Thetis cœli f. 253,a,b,254,a, Ioui compreſſa 255. a, abſorpta ibidem
Theutamas rex 272,b
Theutraon 282,a
Theutrante vrbs ibid.
Thracia 278,b.285,b,288,b, 303.a,304,a
Thracius 268,b
Thraſius Augur 279,a 288,b
Thraſius campus 301,b
Thraſimedes 262.a
Thriſippas Herc.f. 283,b
Thoas 264,a
Thoas rex 302,a
Thoricus 273,b
Thomyris philammonis f. 254.b,muſis victus & occęcatus 254.b
Thyeſta 273,a
Thyreus oenei f. 259,a
Thyrinte 270,a,272,b,275,a
Tigrides 288,b
Tigris flu. 265,a
Tigriſis Herc.f. 283.b
Tiphys 265.b
Tiphyſe Hercu.f. 283,b
Tireſias 292, a, 293 a,294.a, cur viſu orbatus ibid. eius mors. 293.a
Tiſamenus Oreſtis f. 284, a, eiuſdem mors 284,b
Tiſiphone 294,a
Tiſiphone Cœli f. 253.a
Titanes 285,a,294,a
Titanes 253,a,in tartarum de miſſi ibid.b, tartarus 255,a, 256,b
Tithonus 299,a
Tithonus Cephali f. 302. a 279,b
Tlepolemus 284,a
Tlepolemus Herc.f. 283,b

Tmolus 279,b
Toron 278,a
Toxeus oenei f. 259,a
Toxicrates Herc. f. 283,b
Trachine 282,b,283,a
Trapezus 294,b
Trioculum bellum 284.b
Triops Neptuni f. 258.a
Tritonia dicta 255,a
Triton 298,b
Triton flu. 255.a,à quo Pallas triton Neptuni f. 255,b
Troë 298,a
Troezene 304 b,280,a,281,a
Troia 298, a, 260. b, 277,b, 278, a, vnde dicta ac eiuſdem conſtructor 298,a
Troilus 299,b
Tydeus 297,b
Tydeus oenei f. 260,a,291,a, b.292,a,b,eius mors ibid.b
Tyndareus 252,a,296 b
Typhon Deos fugat 257,a, eius cum Ioue certamen, ibidem
Typhon tartari f. 256,b.290, b. 271,a,275, a, eius figura ibidem
Tyrannus 272,b
Tyrrheni 278,b,289,a
Tyrrhenia 278,b
Tyria 269,b
Tyro 262,a
Tytius 255,a,eius figura ibid. interitus ibidem,& ſupplicium ibidem

V.

Vatis cædem dij vlciſcuntur 284,b
Venti Aſtræi f. 254,a
Veſta Saturni f. 253,b
Venus 287,b,295,b,298,b,Iouis f. 254, a, dicta Vrania 314 a
Vlyſſes 297,a.b 301,b
Vdæus 287.b,293.a
Vrania muſa Iouis fil.254,a, citra concubitum Iunoni nata 254,b
Vulcanus 287, b,255,a,318,a, 274,b,278,a,302,b,305,b
Vulpes 273,b

X.

Xantus equus 30?,a
Xanti Herc.f. 283,b
Xanippe 258,b
Xantippus 260,a
Xenodice 286,a.ſylei f. 280,b
Xenodamus 297,b
Xutus 261,a,258,a,303,b

Z.

Zelus 254,a
Zetes boreę f.263.b.265, a,303,b
Zetus 289,b,290,a
Zona 277,b,278 a

*Reliquum tabulæ literæ D.*

Deiaptes 299,b
Democoon ibid.
Doriclus. ibidem

FINIS.

# AD EXCERPTORVM LECTOREM, PRÆMONITIO.

PRIMA Veritas teſtatur, quòd Deus homini adduxerit omnia animalia, vt videret quibus nominibus ea vocarentur : item, quòd omne nomen rebus inditum ab Adamo, ſit nomen illarum. Stellis verò nomina primus homó nequaquam impoſuiſſe videtur, neque Deum tantam prouinciam illi commiſiſſe cenſent Theologi : ſed temporis progreſſu Adamum pióſque Adami poſteros de cœleſtis machinæ natura, corporibus, horũque qualitatibus cognouiſſe quantum ſatis fuit ad Creatoris gloriam & hominum commodiſſimos vſus. Qui ſolus poteſt numerare ſtellas, poteſt etiam illas ſolus numerare, ſicut refert Pſaltes, 147. pſ. Docti nõnulli exiſtimãt quaſdam præcipuas ſtellas à Patriarchis, vt liquet ex hiſtoria Iobi, fuiſſe cognitas, atque ante Moſis natiuitatẽ Aſtronomiæ ſtudia floruiſſe inter Ægyptios, de quorũ ſapientia multus apud vetuſtiores ſcriptores ſermo, longo poſt tempore Chaldæi aſtrologiam diuinatricẽ curioſè admodum coluerunt, Eſaia teſte, qui iuſſu Dei ſarcaſmis neceſſariis impios coniectores, & aſtrorum exploratores perſtringit. Ab iſtiuſmodi diuinaculis cõficta & ſtellis primùm indita fuiſſe nomina putant: ſicut & Planetis de primis illorũ regibus impoſitę ſunt appellationes. Quę ſuperſtitioſa ſignorũ cœli obſeruatio idololatriæ, populo Dei toties à Prophetis exprobratæ, cauſam præbuit. Nam, Gregorio Nazianzeno teſte, orat. de Theol. hę cauſæ ſunt, quamobrẽ aliis Solem, aliis Lunã,

rurſum aliis ſtellarum magnitudinem, aliis item cœlum ipſum cum ſtellis, quibus etiam gubernationem huius vniuerſitatis tribuerunt, pro qualitate vel quantitate motus ſui omnia adminiſtrantem, religioſe colere viſũ fuerit. Plato item in Epinomi de fine artiũ Mathematicarũ hunc conſtituit, *vt nos ad diuinã naturam conſiderandam perducant: & vt homines diuinis aſtrorum mentibus, quibus ea ſunt animata, cultus Diuinos præſtare aſſueſcant.* En aſtrolatriam. Ideo in Timæo affirmare audet, *Oculos homini propter Aſtronomiam eſſe datos.* Sancta autem Academia, Propter Deum, inquit, ex Operibus agnoſcendum & glorificandum. Hinc illæ in ſacris oraculis Propheticæ voces, *Ne oculis ad cœlum ſublatis videas Solem & Lunã, omniáq; cœli aſtra, neu errore deceptus adores & colas ea, quæ Deus creauit in miniſteriũ cunctis gentibus quæ ſub cœlo ſunt.* Item, *non reſpiciatis ad Pythones, ſiue Spiritus fatidicos, neque ab ariolis & ſcientibus aliquid ſciſcitemini, vt polluamini per eos.* Moſes & qui eum in ſchola cæleſtis ſapientiæ ſequuti ſunt eadem frequenter inculcant. Etiam alium finem ſummus rerum arbiter reprehendit, quanuis populis nimium multis probatum: vbi ſic per os Ieſaiæ contra Babylonem, Chaldæorum nutriculam, inuehitur, *Defeciſti in multitudine conſiliorum tuorum,* inquit: *ſtent nunc & ſeruent te ſpeculatores cœli, qui contemplantur ſydera, & qui indicant ſingulis menſibus, quid euenturũ ſit tibi.* Eſt etiam expreſſus locus in hiſtoria ſacra Regum, Lib. 2. cap. 23, contra ſtellarum errantium & fixarum cultum impium, à Chaldæis Dei populo peſſimis artibus traditum, *Deleuit Ioſias aruſpices qui adolebant incenſũ Baali* i. *Belo ſeu Ioui Soli, Lunæ, aſtris ſeu duodecim ſignis, & omni militiæ cœli.* Hinc Nazianzenus, orat. de Theol. *An Pleiadis nexum,* ait, *Orionis ve ſepem perinde intelligis, atque is qui ſiderum copias numerat, & ea ſingula nominibus ſuis appellat? an maieſtatis ſingulorum diſcrimen habes, & motus ordinem? ſcilicet vt fides habenda ſit tibi per hæc variè humana nectenti, & armanti hoc modo creaturas aduerſus Creatorem?* Nam Iobum interrogãdo (vt Nazianzeni paraphraſes Elias annotauit) ſignificat Deus ſiderum cognitonem in hominem non cadere

& ſtultas

& ſtultas eſſe, qui nomina illis indere, & naturam ipſorum inquirere audeāt. Deinde cùm nomina vera rei naturam exprimāt, & proinde natura magis conſtēt quàm hominum voluntate, vt Platoni, Ariſtoteli, Agellio viſū eſt (forma enim dat rei eſſe & nomen) quomodo poſſumus vera nomina ſideribus indere, quorū formas ignoramus? aut ſi formas nouimus, ſicut quidam de Hyadibus & Orione nugantur, cur non omnibus ſyderibus notis, ſecundum illas formas damus nomina? Sed nos homunciones, quia alias ſiderum formas ignoramus, præter illas quibus à Deo ornata ſunt, vt luceant, & ſuo motu tempus deſcribant, ideò etiam falſa nomina imponimus: & ſicut falſa indimus nomina ſtellis, ita etiam falſas agendi vires affigimus. Præterea, ſi quis horum nominum origines & fabulas propè diſcutiat, quid obſecro non habebunt in ſe impietatis, flagitiorum ac ſcelerum?

Stellas equidem Hebræi vno nomine vocant Meræoth, faces & lumina: quæ appellatio cùm ſit naturæ eorum congrua, nihil in ſe habet impietatis. Sicut iidem etiam Solem & Lunam à propriis virtutibus denominant: quemadmodum ſuo loco poſtea dicetur. Sed præter generalem illam vocem, inueniuntur etiam ſpecialia nomina, quorum conſiderationem lectori gratam fore arbitror. Ita igitur antiquiſſimus philoſophus Iob, cap. 9. v. 7. &c. de Deo loquens, ait, Dicit Soli, & non oritur: ſtellas quoque ſignat: extendit cælos ſolus, & ſuper excelſa maris ambulat: facit Arcturum, Oriona, Pleiadas, & Penetralia Auſtri. Capite verò 38. v. 31. Deus ipſe, ratione quadam mirabili Iobum magis ac magis ad fidelis patientię & humiliatis officium reuocans, Nunquid cohibebis (inquit) delicias Vergiliarū, aut Cōtractiones Orionis aperies. Cōſtellationum Iſaias, cap. 13. v. 10, meminit, Amos Orionis & Arcturi cap. 5. v. 8. Hebræa vox *Haiſch* aut *Haſch*, congregationem ſeu collectionem ſtellarum ſignificat, priore Iobi loco, poſteriore autem nomine filiorum Arcturi (*Benei Haiſch*) non Arcturum tantùm, ſed totum ſidus Bootæ, & vicinas ſtellas, numero 44 intelligi putarim. Nonnulli exiſtimant eſſe ſeptē illas ſtellas quæ in ſuprema ſphæra nunquam à ſe in-

uicem ſeparantur, perpetuóque apparent, tum hyeme, tum æſtate,& ſeptem Triones appellantur. *Cheſil*, Orionem, & *Chima*, Pleiades putant eſſe cor Scorpij & caudam arietis:ac volunt *Cheſil* quidem eſſe ſidus frigidũ, quòd fruges conſtringat & fructus, ne maturentur, Pleiades autem ſignum calidum quòd maturat & calefaciat. Alij contrà:& ſanè nimboſus Orion Virgilio eſt, ſidus maximum & ſplendidiſſimũ. Sed vt ad nomina reuertamur Orionis nomen Hebræis eſt *Cheſil*, quod ab Obliquitate ſitus & fluxuoſo meatu deductum eſt. Arcturo autem ſeu Pleiadibus Iob tribuit *Mahadannoth*, Delicias,& Orioni ſeu Cheſil, *Moſcoth*, contractiones, ſeu ſerotinos fructus, vt alij interpretantur. Eſt & aliud nomen *Mazzaroth*, Iob 28.32 quod literarum permutatione idem eſſe putant cum *Mazzaloth*, cuius hiſtoria ſacra meminit 2. Reg.23.5. quo nomine Hebræi intelligunt omnia ſigna cœleſtia & ſidera, maximè verò ſigna Zodiaci, à verbo *Azal*, iuit, celeriter receſſit, quòd per ea gradiatur & curſũ ſuũ peragat Sol in Zodiaco: vnde Zodiacũ appellãt *Gilgal Mazzaloht*.i. Orbẽ ſeu ſphæ̃rã volubilẽ ſignorũ cœleſtiũ. *Chima* ſeu *Kima* eſt ſidus Pleiadũ, quæ Latinis dicũtur Vergiliæ, quod Veris ſint nunciæ, & tempus reſoluunt, atque amœnum reddunt, ſoluta terra,& herbis reuireſcentibus. Penetralia Auſtri ſunt poli Antarctici ſidera. Porrò quanuis varient Interpretes in iſtarum vocũ conſideratione, non ſequitur quod quidã volunt, idcirco Spiritui Sancto placere omnia quæ curioſi homines ſtellis nomina adſcripſerunt: etiamſi in libris Canonicis occurrãt: alioquin in abſurda grauiſſima nobis incurrendum eſſet. Quod ad Iobum Deus loquitur, & vtitur appellationibus ſiderum quæ tum erant in illis regionibus vſitata, nequaquam propterea ſuperſtitioſas obſeruationes approbat. Diſertè enim teſtatur Deus, à ſe condita eſſe illa ſidera, & à ſe ſolo gubernari, neque in poteſtate eſſe hominum: licet humani ingenij audacia eò progrediatur, vt etiam indat nomina ſideribus, quæ fecit Omnipotens,

*Qui numerat tacito labentia ſidera mundo,*
*Suiſque quæque nuncupat vocabulis.*

Nam conſtat diuerſis temporum interuallis à variis Aſtro-

ſtronomis fuiſſe iſta nomina ſtellis indita, quorum ipſi curſus obſeruarint. Et memorabile eſt, quod ad Iobū dicitur, *Nunquid noſti cœli ordinem, & ponis rationem eius in terra?* Quid enim aliud eſt cœlum miſcere terræ, & cęleſtem diuinitatem, humanæ imperitiæ (vt loquitur Plinius) quàm terreſtria animalia in cœlo collocare? Ridet ipſe Deus has vanitates Chaldęorum, & Eſaias 13. capite ipſis inſultat, dicens Cheſillos ſeu Oriones & tortuoſa ſidera lucem eis nullam præbitura. Cæterùm, ſine pietatis detrimento poſſumus illa ſiderum nomina retinere, ſi modò nulla veterum accedat ſuperſtitio, nulla fides fabulis adhibeatur, nec vllis tribuantur ſtellis peculiares naturæ, ſicut peculiaria nomina illis eſſe indita videmus. Satius tamen eſſet (nonnullorum Aſtronomorum iudicio) circulum obliquum, & orbitam illam Solis flexuoſam, in duodecim Dodecatemoria ſecare, & tria appellare verna, tria æſtiua, tria autumnalia, totidémque hyberna. Initia verò ſignorum & quadripartitam illam diſtinctionem Cardinum appellare interſectionem Vernam & Autumnalem, itē Solſtitialē & Brumalem, exploſis & reiectis Chaldæorū vocabulis. Fugienda etiam eſt eorū περιεργία atq; ſubtilitas, qui profitentur ſe ſcire ſtellarum magnitudines, earúmque à terra diſtantias. *Si potuerint menſurari cœli ſurſum & inueſtigari terræ fundamenta deorſum, tunc ego abiiciam* (dicit Dominus, apud Ier. cap 31.) *vniuerſum ſemen Iſrael.* Quid iſti cœlorum menſores & metatores conentur, ipſi viderint. In hos exclamare liceat, & proferre Plinij dictum, furor profectò, furor eſt, egredi ex hoc mundo: & tanquam interna eius cuncta planè non ſint nota, ita ſcrutari extera. Quaſi verò menſuram vllius rei poſſit agere, qui ſui neſciat, aut mens hominis videre, quæ mundus ipſe non capiat. Sed priuſquàm ad alia progredior, ex Macrobio & aliis, ad huius operis perfectionem *Excerpta*, prioribus adiungenda, tuo iudicio, Lector, ſubiicimus, vt paulatim ad præclara Aſtronomiæ ſtudia animum facili quadam ratione applicare poſſis & velis. Vale.

# EX MACROBII IN SOMNIVM SCIPIONIS LIB. PRIMO

## *Cap.* 18.19.20.21. EXCERPTA.

*Planetæ contrario quàm cœlum motu verſantur.*

SOLEM ac Lunam,& Stellas quinque, quibus ab errore nomen eſt,præter quod ſecum trahit ab ortu in occaſum cœli diurna conuerſio, ipſa ſuo motu in orientem ab occidente procedere non ſolùm literarũ profanis,ſed multis quoq; doctrina initiatis abhorrere à fide ac mõſtro ſimile iudicatũ eſt:ſed apud preſſiùs intuentes ita verum eſſe conſtabit, vt non ſolùm mente concipi,ſed oculis quoque ipſis poſſit probari.tamen vt nobis de hoc ſit cum pertinaciter negante tractatus,age, quiſquis tibi hoc liquere diſſimulas,ſimul omnia quæ vel contentio ſibi fingit detractans fidem, vel quæ ipſa veritas ſuggerit in diuiſionis membra mittamus.has erraticas cum luminibus duobus,aut infixas cœlo, vt alia ſidera,nullumque ſui motu noſtris oculis indicare, ſed ferri mundanæ cõuerſionis impetu, aut moueri ſua quoque acceſſione dicemus. Rurſus,ſi mouentur:aut cœli viam ſequuntur ab ortu in occaſum, & communi & ſuo motu meantes.aut contrario receſſu in orientem ab occidentis parte verſantur. Præter hæc, vt opinor,nihil poteſt vel eſſe vel fingi.Nunc videamus quid ex his poterit verum probari Si infixæ eſſent,nunquam ab eadem ſtatione diſcederent: ſed in iiſdem locis ſemper,vt aliæ,viderentur.ecce enim de infixis vergiliæ nec à ſui vnquam ſe copulatione diſpergunt, nec hyadas,quæ vicinæ ſunt,deſerunt, aut Orionis proximã regionem relinquunt. Semptemtrionum quoque compago non ſoluitur. anguis qui inter eos labitur ſemel circumfuſum non mutat amplexum. hæ verò modò in hac,modò in illa cœli regione viſuntur.& ſæpe cùm in vnum locum duæ pluréſve conuenerint,& à loco tamen in quo ſimul viſæ ſunt & à ſe poſtea ſeparantur. ex hoc eas nõ eſſe cœlo infixas oculis quoq;approbantibus conſtat:igitur mouentur: nec negare quiſquam poterit, quod viſus affirmat. quærendum eſt ergo vtrum ab ortu

tu in occaſum, an in contrarium motu proprio reuol-uantur, ſed & hoc quærentibus nobis non ſolùm manifeſtiſſima ratio, ſed viſus quoq; ipſe monſtrabit. conſideremus enim ſingulorum ordinem, quibus Zodiacum diſtinctum vel diuiſum videmus, & ab vno ſigno quolibet ordinis eius ſumamus exordium. Cùm aries exoritur, poſt ipſum taurus emergit, hunc gemini ſequũtur, hos cancer, & per ordinem reliqua ſigna. ſi iſtæ ergo in occidentem ab oriente procederẽt: non ab ariete in taurum, qui retro locatus eſt, nec à tauro in geminos ſignũ poſterius voluerentur: ſed à geminis in taurum, & à tauro in arietem recta, & mundanæ volubilitatis conſona acceſſione prodirent. cùm verò à primo, in ſignum ſecundum, à ſecundo ad tertium, & inde ad reliqua, quæ poſteriora ſunt, reuoluantur: ſigna autem infixa cœlo ferantur: ſine dubio conſtat, has ſtellas non cum cœlo, ſed contra cœlum moueri. hoc vt plenè liqueat, adſtruamus de lunæ curſu, qui & claritate ſui & velocitate notabilior eſt. Luna, poſtquam à ſole diſcedens nouata eſt, ſecundo ferè die circa occaſum videtur, & quaſi vicina ſoli quem nuper reliquit. poſtquam ille demerſus eſt, ipſa cœli marginem tenet antecedenti ſuperoccidens. tertio die tardiùs occidit quàm ſecundo & ita quotidie longiùs ab occaſu recedit, vt ſeptimo die circa ſolis occaſum in medio cœlo ipſa videatur: poſt alios verò ſeptem, cùm ille mergit, hæc oritur: adeo media parte mẽſis dimidium cœlum, id eſt, vnum hemiſphęrium, ab occaſu in orientem recedendo metitur. rurſus poſt ſeptem alios circa ſolis occaſum latentis hæmiſphęrii verticem tenet. & huius rei indicium eſt, quod medio noctis exoritur: poſtremò totidem diebus exemptis ſolem denuò comprehendit, & vicinus videtur ortus amborum, quãdiu ſoli ſuccedens rurſus nouetur, & rurſus recedens paulatim ſemper in orientem regrediendo relinquat occaſum. Sol quoque ipſe non aliter quàm ab occaſu in orientem mouetur, & licet tardiùs receſſum ſuum quàm luna conficiat (quippe qui tanto tempore ſignum vnum emetiatur, quanto totum Zodiacum luna diſcurrit) manifeſta tamen & ſubiecta oculis motus ſui præſtat indicia. Hunc enim in ariete eſſe ponamus.

quod,quia æquinoctiale ſignum eſt, pares horas ſomni & diei facit.in hoc ſigno cùm occidit:libram,ideſt,ſcorpij chelas mox oriri vidimus: & apparet taurus vicinus occaſui. nam & vergilias & hyadas partes tauri clariores non multò poſt ſole mergente videmus. ſequenti menſe ſol in ſignum poſterius,id eſt,in taurum,recedit, & ita fit vt neque vergiliæ, neque alia pars tauri illo menſe videatur. ſignum enim quod cum ſole oritur & cum ſole occidit, ſemper occiditur:adeo vt & vicina aſtra ſolis propinquitate celentur. nã & canis tunc,quia vicinus tauro eſt, non videtur tectus lucis propinquitate, & hoc eſt quod Vergilius ait:

*Candidus auratis aperit cùm cornibus annum*
*Taurus,& aduerſo cedens canis occidit aſtro.*

non enim vult intelligi, tauro oriente cum ſole,mox in occaſum ferri canẽ,qui proximus tauro eſt, ſed occidere eũ dixit, tauro geſtante ſolem:quia tunc incipit non videri ſole vicino. tunc tamen occidẽte ſole libra adeò ſuperior inuenitur,vt totus ſcorpius ortus appareat: gemini verò vicini tunc videntur occaſus rurſus [illegible]t tauri menſem gemini non videntur, quod in eos ſolem migraſſe ſignificat.poſt geminos recedit in cancrum,& tunc,cùm occidit,mox libra in medio cœlo videtur, adeò conſtat ſolem tribus ſignis peractis, id eſt, ariete,& tauro, & geminis, ad medietatem hemiſphærij receſſiſſe. denique ,poſt tres menſes ſequentes, tribus ſignis quæ ſequuntur emenſis,cancrum dico, leonem & virginem, inuenitur in libra, quæ rurſus æquat noctem diei, &,dum in ipſo ſigno occidit, mox oritur aries, in quo ſol ante ſex menſes occidere ſolebat. ideò autem occaſum magis eius quàm ortum eligimus proponendũ, quia ſigna poſteriora poſt occaſum videntur, & dum ad hæc quæ ſole mergente videri ſolent, ſolem redire mõſtramus,ſine dubio eum contrario motu recedere,quàm cælum mouetur,oſtendimus. Hæc autem,quæ de ſole & luna diximus, etiam quinque ſtellarum receſſum aſſignare ſufficient. pari enim ratione in poſteriora ſigna migrando ſemper mundanæ volubilitati contraria receſſione verſantur.

His

His aſſertis, de ſphærarum ordine pauca dicenda ſunt: in quo diſſentire à Platone Cicero videri poteſt: cùm hic ſolis ſphæram quartam de ſeptem, id eſt, in medio locatam dicat, Plato à luna ſurſum ſecundam, hoc eſt, inter ſeptem à ſummo locum ſextum tenere commemoret. Ciceroni Archimedes & Chaldæorum ratio conſentit, Plato Ægyptios omnium philoſophiæ diſciplinarum parentes ſecutus eſt, qui ita ſolem inter lunam & Mercurium locatum volunt, vt ratione tamen deprehenderint & edixerint cur à nonnullis ſol ſupra Mercurium ſupraque Venerem eſſe credatur. nam nec illi, qui ita æſtimant, à ſpecie veri procul aberrant. opinionem verò iſtius permutationis huiuſmodi ratio perſuaſit. A Saturni ſphæra, quæ eſt prima de ſeptem, vſque ad ſphæram Iouis, à ſummo ſecundam interiecti ſpatij tanta diſtantia eſt, vt zodiaci ambitũ ſuperior triginta annis, duodecim verò annis ſubiecta conficiat. rurſus tantùm à Ioue ſphæra Martis recedit, vt eundem curſum biennio peragat. Venus autem tantò è regione Martis inferior, vt ei annus ſatis ſit ad Zodiacum peragrandum. iam verò ita Veneri proxima eſt ſtella Mercurii, & Mercurio ſol propinquus: vt hi tres cœlum ſuum pari temporis ſpatio, id eſt, anno, plus minúſve circumeant. Igitur & Cicero hos duos curſus comites ſolis vocauit, quia in ſpatio pari longè à ſe nunquam recedũt. luna autem tantùm ab his deorſum recedit, vt, quod illi anno, viginti octo diebus ipſa conficiat, ideo, néque de trium ſuperiorum ordine, quem manifeſtè claréque diſtinguit immenſa diſtantia, néque de lunæ regione, quæ ab omnibus multum receſſit, inter veteres aliqua fuit diſſenſio. horum verò trium ſibi proximorum Veneris, Mercurij & Solis ordinem vicinia confudit, ſed apud alios, nam Ægyptiorum ſolertiam ratio non fugit: quę talis eſt. Circulus, per quem ſol diſcurrit, à Mercurij circulo vt inferior ambitur. illum quoque ſuperior circulus Veneris includit: atque ita fit vt hæ duæ ſtellæ, cùm per ſuperiores circulorum ſuorum vertices currunt, intelligantur ſupra ſolem locatæ: cùm verò per inferiora commeant circulorum, ſol

*Ordo ſolis inter ſtellas errantes: lunæ conſideratio: ſiderum nomina: planetarum aſpectus,*

eis ſuperior æſtimetur. Illis ergo qui ſphæras earum ſub ſole dixerunt, hoc viſum eſt ex illo ſtellarum curſu qui nonnunquam, vt diximus, videtur inferior: qui & verè notabilior eſt, quia tunc liberiùs apparet. nam cùm ſuperiora tenent, magis radiis occuluntur. & ideò perſuaſio iſta conualuit, & ab omnibus penè hic ordo in vſum receptus eſt. perſpicacior tamen obſeruatio meliorem ordinem deprehendit, quem præter indaginem viſus, hæc quoque ratio commendat: quòd lunam, quæ luce propria caret & de ſole mutuatur, neceſſe eſt fonti luminis ſui eſſe ſubiectam. hæc enim ratio facit lunam non habere lumen proprium, cæteras omnes ſtellas lucere ſuo, quòd illæ ſupra ſolem locatæ in ipſo puriſſimo æthere ſunt, in quo omne quicquid eſt, lex naturalis & ſua eſt: quæ tota cũ igne ſuo, ita ſphæræ ſolis incumbit, vt cœli zonę quę procul à ſole ſunt, perpetuo frigore oppreſſæ ſint, ſicut infra oſtendetur. luna verò, quia ſola ipſa ſub ſole eſt & caducorum iam regioni luce ſua carenti proxima, lucem niſi de ſuperpoſito ſole, cui reſplendet, habere non potuit. denique [illegible] totius mundi vna pars terra eſt, ætheris autem vna pars luna eſt; lunam quoque terram ſed ætheræam vocauerunt, immobilis tamen, vt terra, eſſe non potuit, quia in ſphęra, quæ voluitur, nihil manet immobile præter cẽtrum. mundanæ autem ſphæræ terra centrum eſt: ideò ſola immobilis perſeuerat. rurſus terra accepto ſolis lumine clareſcit tantummodo non relucet: luna ſpeculi inſtar, lumen quo illuſtratur emittit: quia illa aëris & aquæ, quæ per ſe concreta & denſa ſunt, fæx habetur: & ideo extrema vaſtitate denſata eſt, nec vltra ſuperficiem quauis luce penetratur. Hæc licet & ipſa finis eſt, ſed liquidiſſimæ lucis & ignis ætherei: ideò quãuis denſius corpus ſit quàm cætera cæleſtia, vt multò tamen terreno purius ſit acceptę luci penetrabile, adeò vt eam de ſe rurſus emittat, nullum tamen ad nos perferentem ſenſum caloris, quia lucis radius, cùm ad nos de origine ſua; id eſt, de ſole peruenit, naturam ſecum ignis de quo naſcitur deuehit: cùm verò in lunæ corpus infunditur & inde reſplendet: ſolam refundit claritudinem non calorem, nam & ſpeculum, cùm ſplendorem de ſe vi

oppoſ

oppoſiti eminus ignis emittit, ſolam ignis ſimilitudinem carentem ſenſu caloris oſtendit. Quem ſoli ordinem Plato dederit vel eius authores, quóſve Cicero ſecutus quartum locum globo eius aſſignauerit, vel quæ ratio perſuaſionem huius diuerſitatis induxerit, & cur dixerit Tullius, *infimóque orbi luna radiis ſolis accenſa conuertitur*, ſatis dictum eſt. ſed his hoc adiiciendum eſt, cur Cicero, cùm quartum de ſeptem ſolem velit, quartus autem inter ſeptem non ferè medius, ſed omnimodo medius & ſit & habeatur, non abruptè medium ſolem, ſed ferè medium dixerit his verbis: *deinde ſubter mediam ferè regionem ſol obtinet*. ſed nō vacat adiectio, quam hæc pronunciatio temperat. nam ſol quartum locum obtinens mediam regionem tenebit numero, ſpatio non tenebit. ſi inter ternos enim ſummos & imos locatur, ſine dubio medius eſt numero: Sed totius ſpatij, quod ſeptem ſphæræ occupāt, dimenſione perſpecta, regio ſolis non inuenitur in medio ſpatio locata: quia magis à ſummo ipſe quàm ab ipſo receſſit ima poſtremitas quod ſine vlla diſceptationis ambage compendioſa probabit aſſertio. Saturni ſtella, quæ ſumma eſt, zodiacum triginta annis peragrat: ſol medius anno vno: luna vltima vno menſe non integro, tantum ergo intereſt inter Solem & Saturnum, quantum inter vnum & triginta, tantum inter lunam ſolémque, quantum inter duodecim & vnum. Ex his apparet totius à ſummo in imum ſpatii certam ex media parte diuiſionem ſolis regione non fieri. ſed quia hic de numero loquebatur, in quo verè qui quartus, & medius eſt: ideò pronunciauit quidem medium, ſed, propter latentem ſpatiorum diuiſionem, verbum quo hanc definitionem temperaret adiecit. Notandum, quod eſſe ſtellam Saturni & alteram Iouis, Martis aliam, non naturæ conſtitutio ſed humana perſuaſio eſt: quæ ſtellis numeros & nomina fecit. non enim ait illam, quæ Saturnia eſt, ſed quam in terris Saturniam nominant: &, ille fulgor qui dicitur Iouis, &, quem Martium dicitis. adeo expreſſit in ſingulis nomina hæc non eſſe inuenta naturę ſed hominum commēta ſignificationi diſtinctionis accommoda. Quòd verò fulgorem Iouis humano generi proſperum & ſaluta-

rem, contra Martis rutilum & terribilem terris votauit, alterum tractum eſt ex ſtellarum colore (nam fulget Iouis, rutilat Martis) alterum ex tractatu eorum, qui de his ſtellis ad hominum vitam manare volunt aduerſa vel proſpera. nam plerúmque de Martis ſtella terribilia, de Iouis ſalutaria euenire definiunt. cauſam ſi quis fortè altiùs quærat, vnde diuinis maliuolentia, vt ſtella malefica eſſe dicatur (ſicut de Martis & Saturni ſtellis exiſtimatur) aut cur notabilior benignitas Iouis & Veneris inter Genethliacos habeatur, cùm ſit diuinorũ vna natura: in medium proferam rationem apud vnum omnino, quod ſciam, lectam. nam Ptolemæus in libris tribus, quos de harmonia compoſuit, patefecit cauſam quam breuiter explicabo. Certi ſunt numeri, per quos inter omnia, quæ ſibi conueniunt iunguntur & aptantur, fit iugabilis competentia: nec quicquam poteſt alteri niſi per hos numeros conuenire: ſunt autem epitritus, hemiolius, epogdous, duplaris, triplaris, quadruplus. quæ hoc loco interim quaſi nomina numerorum accipias volo. in ſequentibus verò, cum de harmonia colloquemur, quid ſint hi numeri quídve poſſint opportunius aperiemus. modo hoc noſſe ſufficiat, quia ſine his numeris nulla colligatio, nulla poteſt eſſe concordia, vitam verò noſtram præcipuè ſol & luna moderantur. Nam cùm ſint caducorum corporum hæc duo propria, ſentire vel creſcere: αἰσθητικὸν, id eſt, ſentiendi natura, de ſole: φυτικὸν autem, id eſt, creſcendi natura, de lunari ad nos globoſitate perueniunt. ſic vtriúſque luminis beneficio hæc nobis conſtat vita, qua fruimur. Conuerſatio tamen noſtra & prouentus actuum tam ad ipſa duo lumina, quàm ad quinque vagas ſtellas refertur. ſed harum ſtellarum alias interuentus numerorum, quorum ſupra fecimus mentionem, cum luminibus benè iungit ac ſociat: aliàs nullus applicat numeri nexus ad lumina. ergo Veneria & Iouialis ſtella per hos numeros lumini vtrique ſociantur: ſed Iouialis ſoli per omnes, lunæ verò per plures, & Veneria lunæ per omnes, ſoli per plures numeros aggregatur. Hinc, licet vtráque benefica credatur, Iouis tamẽ ſtella cum ſole accommodatior eſt, & Veneria cum luna: atque ideò vitæ noſtræ magis commodant, quaſi luminibus

bus vitæ noſtræ auctoribus numerorum ratione concordes. Saturni autem Martíſque ſtellæ ita non habent cum luminibus competentiam, vt tamen aliqua vel extrema numerorum linea Saturnus ad Solem, Mars aſpiciat ad Lunam: ideò minùs commodi vitæ humanæ exiſtimantur, quaſi cum vitæ auctoribus apta numerorum ratione non iuncti. cur tamen & ipſi nonnunquam opes vel claritatem hominibus præſtare credantur ad alterum debet pertinere tractatum: quia hic ſufficit aperuiſſe rationem cur alia terribilis, alia ſalutaris exiſtimetur. Et Plotinus quidem in libro qui inſcribitur, *Si faciunt aſtra*, pronunciat nihil vi vel poteſtate eorum hominibus euenire: ſed ea quę decreti neceſſitas in ſingulos ſancit, ita per horum ſeptem tranſitum ſtatione receſſúve monſtrari, vt aues præteruolando ſeu ſtando futura pennis vel voce ſignificant neſcientes. Sic quoque tamen iure vocabitur, hic ſalutaris, ille terribilis: cum per hunc proſpera per illum ſignificentur incommoda.

IN his autem tot nominibus, quæ de ſole dicuntur, non fruſtra nec ad laudis pompam laſciuit oratio: ſed res verè vocabulis exprimitur. *Dux & Princeps*, ait, *moderator luminum reliquorum, mens mundi & temperatio.* Plato in Timæo, cùm de octo ſphæris loqueretur, ſic ait: vt autem per ipſos octo circuitus celeritatis & tarditatis certa menſura & ſit & noſcatur: Deus in ambitu ſupra terram ſecundum lumen accendit, quod nunc ſolem vocamus. Vides vt hæc definitio vult eſſe omnium ſphærarũ lumen in ſole. ſed Cicero ſciens etiam cæteras ſtellas habere lumen ſuum, ſolámque lunam, vt ſæpe iam diximus, proprio carere: obſcuritatem definitionis huius liquidiùs abſoluens & oſtendens in ſole maximum lumen eſſe, nõ ſolùm ait, *dux, & princeps, & moderator luminum reliquorum*; (adeò & cæteras ſtellas ſcit eſſe lumina) ſed hunc ducem & principem, quem Heraclitus fontem cæleſtis lucis appellat. Dux ergo eſt, quia omnes luminis maieſtate præcedit. Princeps; quia ita eminet, vt propterea quod talis ſolus appareat ſol vocetur: moderator reliquorum dicitur, quia ipſe curſus eorum recurſúſque certa definitione ſpatii moderatur. nam certa ſpatij definitio eſt, ad quam cùm vnaquæq; erratica ſtella recedens à ſo-

*Solis nomina, & magnitudo.*

le peruenerit,tamquam vltrà prohibeatur accedere, ag[i] retro videtur , & rurſus cùm certam partem recedendo contigerit,ad directi curſus conſueta reuocatur. ita ſolis vis & poteſtas motus reliquorum luminum conſtitu[t]a dimenſione moderatur. *mens mundi* ita appellatur; v[t] Phyſici eum cor cœli vocauerunt. inde nimirum, quod omnia,quæ ſtatuta ratione per cœlum fieri videmus, diē noctémque & migrantes inter vtrúmque prolixitatis breuitatíſque vices & certis temporibus æquam vtriúſque menſuram,dein veris clementem teporem,torridum cancri ac leonis æſtum,mollitiem autumnalis auræ, vim frigoris inter vtrámque temperiem,omnia hęc ſolis curſus & ratio diſpenſat.iure ergo *cor cœli* dicitur, per quem fiunt omnia quæ diuina ratione fieri videmus. Eſt & hæc cauſa,propter quam iure cor cœli vocetur : quod natura ignis ſemper in motu perpetuóque agitatu eſt. Solem autem ignis ætherei fontem dictum eſſe retulimus. hoc eſt ergo ſol in æthere,quod in animali cor : cuius iſta natura eſt,ne vmquam ceſſet à motu : aut breuis eius quocúmque caſu ab agitatione ceſſatio mox animal interimat.Hæc de eo quod ſolem mundi mentem [illegible]it.Cur verò & *temperatio* mundi dictus ſit,ratio in aperto eſt.ita enim non ſolùm terram,ſed ipſum quoque cœlum,quod mundus verè vocatur,temperari à ſole certiſſimum eſt,vt extremitates eius,quæ à via ſolis longiſſimè receſſerunt, omni careant beneficio caloris , & vna frigoris perpetuitate torpeſcant.quod ſequentibus apertiùs explicabitur. Reſtat,vt de *magnitudine* eius,quam veriſſima prædicatione, pauca & non prætereunda dicamus. Phyſici hoc maximè conſequi in omni circa magnitudinem ſolis inquiſitione voluerunt,quantò maior eſſe poſſit quàm terra.& Eratoſthenes in libris dimenſionum ſic ait : Menſura terræ ſepties & vicies multiplicata menſuram ſolis efficiet.Poſſidonius dicit multò multóque ſæpiùs multiplicatam ſolis ſpatium efficere:& vterque lunaris defectus argumentum pro ſe aduocat.ita cùm ſolem volunt terra maiorem probare : teſtimonio lunæ deficientis vtuntur: cùm defectum lunæ conantur aſſerere : probationem de ſolis magnitudine mutuantur.& ſic euenit vt, dū vtrúnque de altero adſtruitur,neutrum probabiliter adſtruatur,

cur,

tur, ſemper in medio viciſſim nutâte mutuo teſtimonio. quid enim per rem adhuc probandam probetur? Sed Ægyptij nihil ad coniecturam loquentes, ſequeſtrato ac libero argumento, nec in patrocinium ſibi lunæ defectum vocantes, quanta menſura ſol terrâ maior ſit probare voluerunt, vt tum demùm per terræ magnitudinem oſtenderent cur luna deficiat. Hoc autem nequaquam dubitabatur non poſſe aliter deprehendi, niſi menſura & terræ & ſolis inuenta, vt fieret ex collatione diſcretio. & terrena quidem dimenſio oculis rationem iuuantibus de facili conſtabat. ſolis verò menſuram aliter niſi per menſuram cœli per quod diſcurrit, inueniri non poſſe viderunt. ergo primum metiendum ſibi cœlum illud, id eſt, iter ſolis, conſtituerunt, vt per id poſſent modum ſolis agnoſcere. ſed quæſo, ſi quis vnquam tàm otioſus támque ab omni erit ſeriò feriatus, vt hæc quóque in manu ſumat, ne talem veterum promiſſionem quaſi inſaniæ proximam aut horreſcat aut rideat. etenim ad rem, quæ natura incomprehenſibilis videbatur, viam ſibi fecit ingenium: & per terram qui cœli modus ſit repererunt. vt autem liquere p[illegible]tio commenti, priùs regulariter pauca dicenda ſunt, vt ſit rerum ſequentium aditus inſtructior. In omni orbe vel ſphæra medietas centrum vocatur: nihílque aliud eſt centrum, niſi punctum quo ſphęrę aut orbis medium certiſſima obſeruatione diſtinguitur, item ducta linea de quocúmque loco circuli, qui deſignat ambitum, in quacúmque eiuſdem circuli ſummitate orbis partẽ aliquam diuidat neceſſe eſt. ſed non omni modo medietas eſt orbis quam ſeparat iſta diuiſio. illa enim tantùm linea in partes æquales orbem medium diuidit, quæ à ſummo in ſummum ita ducitur, vt neceſſe ſit eam tranſire per centrum. & hæc linea, quæ orbem ſic æqualiter diuidit, diameter nuncupatur. item omnis diameter cuiuſcúmque orbis triplicata cum adiectione ſeptimæ partis ſuæ menſuram facit circuli, quo orbis includitur: id eſt, ſi vncias ſeptem teneat diametri longitudo, & velis ex ea noſſe quot vncias orbis ipſius circulus teneat, triplicabis ſeptem, & faciunt viginti vnum. his adiicies ſeptimam partem, hoc eſt, vnum: & pronunciabis in viginti & duabus vnciis huius circuli eſſe menſuram, cuius diameter

ſeptem vnciis extenditur. Hæc omnia geometricis euidentiſſimiſque rationibus probare poſſemus, niſi & neminem de ipſis dubitare arbitraremur & caueremus iuſto prolixius volumen extendere. Sciendum & hoc eſt, quod vmbra terræ, quam ſol poſt occaſum in inferiori hemiſphęrio currens ſurſum cogit emitti, ex qua ſuper terram ſit obſcuritas quæ nox vocatur, ſexagies in altū multiplicatur ab ea menſura, quam terræ diameter habet. & hac longitudine ad ipſum circulum, per quem ſol currit, erecta, cõcluſione luminis tenebras in terram refundit. Prodendum eſt igitur, quanta diameter terræ ſit, vt conſtet quid poſſit ſexagies multiplicata colligere. vnde, his prælibatis, ad tractatum menſurarū quas promiſit oratio reuertatur. Euidentiſſimis & indubitabilibus dimenſionibus conſtitit vniuerſæ terræ ambitū, quæ quibuſcúmque vel incolitur vel inhabitabilis iacet, habere ſtadiorū milia ducenta quinquaginta duo. cùm ergo tantum ambitus teneat ſine dubio octoginta milia ſtadiorum vel non multò ampliùs diameter habet, ſecundùm triplicationem cum ſeptimæ partis adiectione, quam ſuperiùs de diametro & circulo regulariter diximus. & quia ad efficiendam terrenæ vmbræ lõgitudinem non ambitus terræ, ſed diametri menſura multiplicãda eſt (ipſa eſt enim quã ſurſum cõſtat excreſcere) ſexagies multiplicanda tibi erūt octoginta milia quæ terræ diameter habet: quæ faciūt quadragies octies cẽtena milia ſtadiorū eſſe à terra vſque ad ſolis curſum, quò vmbrã terrę diximus peruenire. terra autem in medio cæleſtis circuli, per quem ſol currit, vt centrum locata eſt. Ergo menſura terrenæ vmbræ medietatem diametri cœleſtis efficiet, &, ſi ab altera quoque parte terræ par vſque ad dimidium circuli menſura tendatur, integra circuli, per quem ſol currit, diameter inuenitur. duplicatis igitur illis quadragies octies centenis milibus, erit integra diametri cœleſtis circuli nonagies ſexies centenis milibus ſtadiorum: & inuentus diameter facilè menſuram nobis ipſius quoque ambitus prodit. hanc enim ſummam, quam diameter fecit, debes ter multiplicare, adiecta parte ſeptima, vt ſæpe iam dictum eſt: & ita inuenies totius circuli, per quẽ ſol currit, ambitum

bitum ſtadiorum habere trecenties centena milia, & inſuper centum ſeptuaginta milia. His dictis, quibus mēſura quam terræ vel ambitus vel diameter habet, ſed & circuli modus per quē ſol currit vel diameter eius oſtenditur: nunc quam ſolis eſſe menſuram vel quemadmodum illi prudentiſſimè deprehenderint indicemus. Nam ſicut ex terrena vmbra potuit circuli, per quem ſol meat, deprehendi magnitudo: ita per ipſum circulū menſura ſolis inuenta eſt, in hunc modum procedente inquiſitionis ingenio. Æquinoctiali die ante ſolis ortum æquabiliter locatum eſt ſaxeum vas in hemiſphærij ſpeciem cauata ambitione curuatum, infra per lineas deſignato duodecim diei horarum numero, quas ſtyli prominentis vmbræ cum tranſitu ſolis prætereūdo diſtinguit. hoc eſt autem, vt ſcimus, huiuſmodi vaſis officium, vt tanto tempore à priore eius extremitate ad alteram vſque ſtyli vmbra percurrat, quanto ſol medietatem cœli ab ortu in occaſum vnius ſcilicet hemiſphærij conuerſione metitur, nam totius cœli integra conuerſio diem noctémque concludit. & ideò conſtat, quantùm ſol in circulo ſuo meat, tantum in hoc vaſe vmbram meare. huic igitur æquabiliter collocato circa tempus ſolis ortu propinquantis inhæſit diligens obſeruantis obtutus: & cùm ad primum ſolis radium, quem de ſe emiſit prima ſummitas orbis, emergens de vmbra ſtyli decidens ſummitate primam curui labri eminentiam contigit: locus ipſe, qui vmbræ primitias excepit, notæ impreſſione ſignatus eſt, obſeruatúmque quandiu ſuper terrā ita ſolis orbis integer appareret, vt ima eius ſummitas, adhuc horizonti videretur inſidere, & mox locus ad quem vmbra tunc in vaſe migrauerat, adnotatus eſt, habitáque dimenſione inter ambas vmbrarum notas, quæ integrum ſolis orbē, id eſt, diametrum, natæ de duabus eius ſummitatibus metiuntur, pars nona reperta eſt eius ſpatij, quod à ſummo vaſis labro vſque ad horæ primæ lineam continetur. & ex hoc cōſtitit, quod in curſu ſolis, vnā temporis æquinoctialis horam faciat repetitus nouies orbis eius acceſſus. & quia conuerſio cœleſtis hemiſphærij peractis horis duodecim diem cōdidit: nouies autem duodecim efficiunt centum octo,

ſine dubio ſolis diameter centeſima & octaua pars hemiſphærij æquinoctialis eſt. ergo æquinoctialis totius circuli ducenteſima decima ſexta pars eſt. Ipſum autem circulum habere ſtadiorum trecenties centena milia & inſuper centum & ſeptuaginta milia antelatis probatū eſt. Ergo, ſi eius ſummæ ducenteſimam ſextam decimam partem perfectè conſideraueris, menſuram diametri ſolis inuenies. eſt autem pars illa ferè in centum quadraginta milibus. diameter igitur ſolis centum quadraginta milium ferè ſtadiorum eſſe dicendus eſt: vnde pæne duplex quàm terræ diameter inuenitur. conſtat autē geometricæ rationis examine, cum de duobus orbibus alter diameter duplo alterum vincit, illum orbē cuius diameter duplus eſt, orbe altero octies eſſe maiorem. ergo ex his dicendum eſt ſolem octies terra eſſe maiorem. Hęc de ſolis magnitudine breuiter de multis excerpta libauimus.

*Qua ratione inferiorũ Sphærarum ſtellæ in Zodiaci ſignis meare dicantur, nec non de illarum curſu, atque de Zodiaci duodecim partibus.*

Sᴇᴅ quoniam ſeptem ſphæras cœlo diximus eſſe ſubiectas, exteriore quaque quas interius continet ambiente, longeque & à cœlo omnes & à ſe ſingulæ receſſerunt: nunc quærendum eſt, cùm zodiacus vnus ſit & is conſtet cœlo ſideribus infixis, quemadmodum inferiorum ſphærarum ſtellæ in ſignis zodiaci meare dicantur. nec longum eſt inuenire rationem, quæ in ipſo veſtibulo excubat quæſtionis. verum eſt enim neque ſolem lunámve, neque de vagis vllam ita in ſignis zodiaci ferri, vt eorum ſideribus miſceantur: ſed in illo ſigno eſſe vnaquæque perhibetur, quod habuerit ſupra verticem in ea, quæ illi ſigno ſubiecta eſt, circuli ſui regione diſcurrens, quia ſingularum ſphærarum circulos in duodecim partes, æquè vt zodiacum ratio diuiſit: &, quæ in eam partem circuli ſui venerit, quæ ſub parte zodiaci eſt arieti deputata, in ipſum arietem veniſſe cōceditur: ſimiliſque obſeruatio in ſingulas partes migrantibus ſtellis tenetur. Et quia facilior ad intellectum per oculos via eſt, id quod ſermo deſcripſit, viſus aſſignet. eſto enim zodiacus circulus, cui adſcriptum eſt, a. intra hunc ſeptem alij orbes locentur: & zodiacus ab a, per ordinem affixis notis, quibus adſcribentur literę ſequentes, in partes duodecim diuidatur: ſitque ſpatium, quod inter a,

ter a.& b. clauditur, arieti deputatum; quod intra, b, & c, tauro: quod inter c, & d, geminis: cancro quod ſequitur, & reliquis per ordinem cætera. his conſtitutis, iam de ſingulis zodiaci notis & literis ſingulæ deorſum lineæ per omnes circulos ad vltimum vſque ducantur: procul dubio per orbes ſingulos duodenas partes diuidet tranſitus linearum. in quocúmque igitur circulo ſeu ſol in illo, ſeu luna, vel de vagis quæcunque diſcurrat, cùm ad ſpatium venerit quod inter lineas clauditur ab a, & b, notis & literis defluentes, in ariete eſſe dicetur: quia illic conſtituta ſpatium arietis in zodiaco deſignatum ſuper verticem, ſicut deſcripſimus, habebit. ſimiliter in quamcúmque migrauerit partem in ſigno ſub quo fuerit, eſſe dicetur. Atque hæc ipſa deſcriptio eodem compendio nos docebit cur eundem zodiacum eadémque ſigna aliæ tempore longiore, aliæ breuiore percurrant. Quotiens enim plures orbes intra ſe locantur, ſicut maximus eſt ille qui primus eſt, & minimus qui locum vltimum tenet, ita de modis qui ſummo propior eſt, inferioribus maior, qui vicinior eſt vltimo, breuior ſuperioribus habetur. & inter has igitur ſeptem ſphæras gradum celeritatis ſuæ ſingulis ordo poſitionis adſcripſit. ideo ſtellæ, quæ per ſpatia grandiora diſcurrunt, ambitum ſuum tempore prolixiore conficiunt: quæ perangusta, breuiore. conſtat enim nullam inter eas celeriùs cæteris tardiúſve procedere. ſed cum ſit omnibus idem motus meandi, tantam eis diuerſitatem temporis ſola ſpatiorum diuerſitas facit. nam, vt de mediis nunc prætermittamus, ne eadem ſępe repetantur quod eadem ſigna Saturnus annis triginta, luna diebus viginti octo ambit & permeat, ſola cauſa in quantitate eſt circulorum: quorum alter maximus, alter minimus. ergo & cæterarum ſingulæ pro ſpatij ſui modo tempus meandi aut extendunt aut contrahunt. Hoc loco diligens rerum diſcuſſor inueniet quod requirit. inſpectis enim zodiaci notis, quas monſtrat in præſidium fidei aduocata deſcriptio. Quis verò, inquiet, circi cæleſtis duodecim partes aut inuenit aut fecit, maximè cùm nulla oculis ſubiiciantur exordia ſingularum? huic igitur tam neceſſariæ interrogationi hiſtoria ipſa reſpondeat fa-

ctum referens, quo à veteribus & tentata eſt tam difficilis & effecta diuiſio. Ægyptiorum enim retro maiores, quos conſtat primos omnium cœlum ſcrutari & metiri auſos, poſtquàm perpetuæ apud ſe ſerenitatis obſequio cœlum ſemper ſuſpectu libero intuentes deprehenderunt, vniuerſis vel ſtellis vel ſideribus infixis cœlo, cum ſole & luna ſolas quinque ſtellas vagari: nec has tamen per omnes cœli partes paſſim ac ſine certa erroris ſui lege diſcurrere: nunquam denique ad ſeptentrionalem verticem deuiare: nunquam ad auſtralis poli ima demergi: ſed intra vnius obliqui circi limitem omnes habere diſcurſus: nec omnes tamen ire pariter & redire, ſed aliàs aliis ad eundem locum peruenire temporibus: rurſus ex his alias accedere, retro agi alias, viderique ſtare nonnunquam. poſtquam, inquam hæc inter eas agi viderunt: certas ſibi partes decreuerunt in ipſo circo conſtituere & diuiſionibus annotare: vt certa eſſent locorum nomina, in quibus eas morari, vel de quibus exiſſe, ad quæve rurſus eſſe venturas, & ſibi inuicem annunciarent, & ad poſteros noſcenda tranſmitterent. Duobus igitur vaſis æneis præparatis, quorum alteri fundus erat in modum clepſydræ foratus: illud quod erat integrum, vacuum ſubiecerunt, pleno aquæ altero ſuperpoſito, ſed meatu ante munito & quamlibet de infixis vnam clariſſimam ſtellam lucidéque notabilem orientem obſeruauerunt: quæ vbi primum cœpit emergere: mox munitione ſubducta permiſerunt ſubiecto vaſi aquam ſuperioris influere, fluxítque in noctis ipſius & ſequentis diei finem, atque in id noctis ſecundæ: quamdiu eadem ſtella ad ortum rurſus reuerteret: quæ vbi apparere vix cœpit, mox aqua quæ influebat amota eſt. cùm igitur obſeruatæ ſtellæ itus ac reditus integram ſignificaret cœli conuerſionem: menſuram ſibi cœli aquæ de illo fluxu ſuſceptæ quantitate poſuerunt: hac ergo in partes æquas duodecim ſub fida dimenſione diuiſa alia duo huius capacitatis procurata ſunt vaſa: vt ſingula tantùm ſingulas de illis duodecim partibus ferrent: totáque rurſus aqua in vas ſuum priſtinum foramine priùs clauſo refuſa eſt, & de duobus illis vaſis capacitatis minoris alterum ſubiecerunt pleno, alterum

iuxta

iuxta expeditum paratúmque poſuerunt. his præparatis, nocte alia in illa iam cœli parte, per quam ſolem lunámque & quinque vagas meare diuturna obſeruatione didicerant, quámque poſtea zodiacum vocauerunt, aſcenſurũ obſeruauerunt ſydus, cui poſtea nomen arietis indiderunt. huius incipiente ortu ſtatim ſubiecto vaſi ſuperpoſitæ aquæ fluxum dederunt. quod vbi completum eſt, mox eo ſublato effuſóque alterum ſimile ſubiecerunt, certis ſignis obſeruanter ac memoriter annotatis, inter eius loci ſtellas quæ oriebantur, cùmprimùm vas eſſet impletum, intelligentes quod eo tempore, quo totius aquæ duodecima pars fluxit, pars cœli duodecima conſcendit. Ab illo ergo loco, quo oriri incipiente aqua in primum vas cœpit influere, vſque ad locum qui oriebatur cùm idem primum vas impleretur, duodecimam partẽ cœli, id eſt, vnum ſignum, eſſe dixerunt. item ſecundo vaſe impleto & mox retracto illo, ſimile quod olim effuſum paruerant, iterũ ſubdiderunt, notato ſimiliter loco qui emer[illegible] cùm ſecundum vas eſſet impletum: & à fine primi ſigni vſque ad locum, qui ad ſecundæ aquæ finem oriebatur, ſecũdum ſignum notatum eſt. atque ita viciſſim vaſa mutando & per ſingulas influentis aquæ partes ſingulos ſibi aſcendentium cæli partium limites annotando, vbi conſummata iam omni per duodecim partes aqua ad primi ſigni exordia peruentum eſt: ſine dubio iam diuiſas certiſque ſibi obſeruationibus & indiciis annotatas duodecim cœli partes tantæ compotes machinationis habuerunt quod non nocte vna ſed duabus effectum eſt. quia omne cœlum vna nocte non voluitur, ſed per diem vertitur pars eius media & medietas reliqua per noctem. Nec tamen cœlum omne duarum ſibi proximarum noctiũ diuiſit inſpectio: ſed diuerſorũ temporum nocturna dimenſio vtrumque hemiſphæriũ paribus æquè vicibus annotauit. & has ipſas duodecim partes ſigna appellari maluerunt: certáque ſingulis vocabula gratia ſignificationis adiecta ſunt, &, quia ſigna Græco nomine ζώδια nuncupantur, circum ipſum zodiacum quaſi ſigniferum vocauerunt. Hanc autem rationem iidem illi cur arietem, cùm in ſphæra nihil pri-

mum nihílque poſtremum ſit, primum tamen dici maluerint prodiderunt. aiunt incipiente die illo, qui primus omnium luxit, id eſt, quo in hunc fulgorem cœlũ & elementa purgata ſunt, qui ideò mundi natalis iure vocitatur, arietem in medio cœlo fuiſſe: &, quia medium cœlum quaſi mundi vertex eſt, arietem propterea primũ inter omnes habitũ, qui vt mũdi caput in exordio lucis apparuit. ſubnectunt etiã cauſam, cur hæc ipſa duodecim ſigna aſſignata ſint diuerſorũ numinũ poteſtati. aiũt. n. in hac ipſa genitura mũdi ariete, vt diximus, mediũ cœlum tenente, horam fuiſſe mundi naſcentis, cancro geſtante tunc lunam. poſt hunc ſol cum leone oriebatur, cum Mercurio virgo, libra cum Venere, Mars erat in Scorpio: ſagittarium Iupiter obtinebat; in capricorno Saturnus meabat. ſic factum eſt vt ſinguli eorum ſignorum domini eſſe dicantur, in quibus cùm mundus naſceretur, fuiſſe creduntur. Sed duobus quidem luminibus ſingula tantùm ſigna, in quibus tunc fuerant, aſſignauit antiquitas, cancrum lunæ, ſoli Leonem: quinque verò ſtellis præter illa ſigna quibus tunc inhærebant quinque reliqua ſic adiecit vetuſtas, vt in aſſignãdis à fine prioris ordinis ordo ſecundus inciperet. ſuperius enim diximus in capricorno Saturnum poſt omnes fuiſſe. ergo ſecunda adiectio eum primum fecit, qui vltimus fuerat: ideò aquarius qui capricornum ſequitur, Saturno datur, Ioui, qui ante Saturnum erat, piſces dicantur: aries Marti, qui præceſſerat Iouem, taurus Veneri quam Mars ſequebatur, gemini Mercurio, poſt quem Venus fuerat, deputati ſunt. Notandum hoc loco quod in genitura mundi, vel ipſa rerum prouidentia, vel vetuſtatis ingenium hunc ſtellis ordinem dedit, quem Plato aſſignauit ſphæris earum: vt eſſet luna prima, ſol ſecundus, ſuper hunc Mercurius, Venus quarta, hinc Mars, inde Iupiter, & Saturnus vltimus. ſed ſine huius tamen rationis patrocinio abundè Platonicum ordinem prior ratio commendat. Ex his, quę de verbis Ciceronis proximè prælatis quærenda propoſuimus, quâ licuit breuitate à ſumma ſphæra, quæ aplanes dicitur, vſque ad lunam quæ vltima diuinorum eſt, omnia iam, vt opinor, abſoluimus. nam & cœlum volui, & cur ita voluatur oſtendimus; ſeptémque ſphæras contrario

rario motu ferri ratio indubitata patefecit, & de ipſo
ſphærarum ordine quid diuerſi ſenſerit, vel quid inter
eos diſſenſionem fecerit, quæve magis ſequenda ſit ſen-
tentia, tractatus inuenit: nec hoc tacitum eſt cur inter o-
mnes ſtellas ſola ſine fratris radiis luna non luceat, ſed
& quæ ſpatiorum ratio ſolem ab his quoque, qui cum
inter ſeptem quartam locarunt, non tamen abruptè me-
dium, ſed ferè medium dici coegerit publicatum eſt. quid
ſignificent nomina, quibus ita vocatur, vt laudari tantùm
putetur, innotuit. magnitudo quoque eius, ſed & cœleſtis
per quem diſcurrit circuli terræque, pariter quanta ſit vel
quemadmodum deprehenſa monſtratum eſt, ſubiecta-
rum ſphærarum ſtellæ quemadmodum zodiaco, qui ſu-
pra omnes eſt, ferri dicantur, vel quæ ratio diuerſarum
faciat ſeu celerem ſeu tardum recurſum, ſed & ipſe zo-
diacus in duodecim partes qua ratione diuiſus ſit, cúrq;
aries primus habeatur, & quæ ſigna in quorum numinum
ditione ſint, abſolutum eſt. Sed omnia hæc, quæ de ſum-
mo ad lunam vſque perueniunt, ſacra, incorrupta, diuina
ſunt quia in ipſis eſt æther ſemper idem, nec vnquam re-
cipiens inæqualem varietatis æſtum. infra lunam & aër
& natura permutationis pariter incipiunt. & ſicut æthe-
ris & aëris, ita diuinorum & caducorum luna confinium
eſt. Quod autem ait: *nihil infra lunam eſſe diuinum, præter
animos, munere deorum, hominum generi datos:* non ita ac-
cipiendum eſt, animos hic eſſe vt hic naſci putentur: ſed
ſicut ſolem in terris eſſe dicere ſolemus, cuius radius ad-
uenit & recedit: ita animorum origo cœleſtis eſt, ſed lege
temporalis hoſpitalitatis hîc exſulat. hæc ergo regio di-
uinum nihil habet ipſa, ſed recipit: &, quia recipit, etiam
remittit. proprium autem habere diceretur, ſi ei ſemper
tenere licuiſſet. Sed quid mirum, ſi animus de hac regio-
ne non conſtat, cùm nec corpori fabricando ſola ſuffece-
rit? nam quia terra, aqua, & aër infra lunam ſunt, ex his
ſolis corpus fieri non potuit quod idoneum eſſet ad vi-
tam: ſed opus fuit præſidio ignis ætherei, qui terrenis
membris vitam & animam ſuſtinendi commodaret vi-
gorem, quia vitalem calorem & faceret & ferret.

mum nihílque poſtremum ſit, primum tamen dici maluerint prodiderunt. aiunt incipiente die illo, qui primus omnium luxit, id eſt, quo in hunc fulgorem cœlũ & elementa purgata ſunt, qui ideò mundi natalis iure vocitatur, arietem in medio cœlo fuiſſe: &, quia medium cœlum quaſi mundi vertex eſt, arietem propterea primũ inter omnes habitũ, qui vt mũdi caput in exordio lucis apparuit. ſubnectunt etiã cauſam, cur hæc ipſa duodecim ſigna aſſignata ſint diuerſorũ numinũ poteſtati. aiũt.n.in hac ipſa genitura mũdi ariete, vt diximus, mediũ cœlum tenente, horam fuiſſe mundi naſcentis, cancro geſtante tunc lunam. poſt hunc ſol cum leone oriebatur, cum Mercurio virgo, libra cum Venere, Mars erat in Scorpio: ſagittarium Iupiter obtinebat; in capricorno Saturnus meabat. ſic factum eſt vt ſinguli eorum ſignorum domini eſſe dicantur, in quibus cùm mundus naſceretur, fuiſſe creduntur. Sed duobus quidem luminibus ſingula tantùm ſigna, in quibus tunc fuerant, aſſignauit antiquitas, cancrum lunæ, ſoli Leonem: quinque verò ſtellis præter illa ſigna quibus tunc inhærebant quinque reliqua ſic adiecit vetuſtas, vt in aſſignãdis à fine prioris ordinis ordo ſecundus inciperet. ſuperius enim diximus in capricorno Saturnum poſt omnes fuiſſe. ergo ſecunda adiectio eum primum fecit, qui vltimus fuerat: ideò aquarius qui capricornum ſequitur, Saturno datur, Ioui, qui ante Saturnum erat, piſces dicantur: aries Marti, qui præceſſerat Iouem, taurus Veneri quam Mars ſequebatur, gemini Mercurio, poſt quem Venus fuerat, deputati ſunt. Notandum hoc loco quod in genitura mundi, vel ipſa rerum prouidentia, vel vetuſtatis ingenium hunc ſtellis ordinem dedit, quem Plato aſſignauit ſphæris earum: vt eſſet luna prima, ſol ſecundus, ſuper hunc Mercurius, Venus quarta, hinc Mars, inde Iupiter, & Saturnus vltimus. ſed ſine huius tamen rationis patrocinio abundè Platonicum ordinem prior ratio commendat. Ex his, quę de verbis Ciceronis proximè prælatis quærenda propoſuimus, quâ licuit breuitate à ſumma ſphæra, quæ aplanes dicitur, vſque ad lunam quæ vltima diuinorum eſt, omnia iam, vt opinor, abſoluimus. nam & cœlum volui, & cur ita voluatur oſtendimus; ſeptémque ſphæras con-

trario

trario motu ferri ratio indubitata patefecit, & de ipſo
ſphærarum ordine quid diuerſi ſenſerit, vel quid inter
eos diſſenſionem fecerit, quæve magis ſequenda ſit ſen-
tentia, tractatus inuenit: nec hoc tacitum eſt cur inter o-
mnes ſtellas ſola ſine fratris radiis luna non luceat, ſed
& quæ ſpatiorum ratio ſolem ab his quoque, qui eum
inter ſeptem quartam locarunt, non tamen abruptè me-
dium, ſed ferè medium dici coegerit publicatum eſt. quid
ſignificent nomina, quibus ita vocatur, vt laudari tantùm
putetur, innotuit. magnitudo quoque eius, ſed & cœleſtis
per quem diſcurrit circuli terræque, pariter quanta ſit vel
quemadmodum deprehenſa monſtratum eſt, ſubiecta-
rum ſphærarum ſtellæ quemadmodum zodiaco, qui ſu-
pra omnes eſt, ferri dicantur, vel quæ ratio diuerſarum
faciat ſeu celerem ſeu tardum recurſum, ſed & ipſe zo-
diacus in duodecim partes qua ratione diuiſus ſit, cúrq;
aries primus habeatur, & quæ ſigna in quorum numinum
ditione ſint, abſolutum eſt. Sed omnia hæc, quæ de ſum-
mo ad lunam vſque perueniunt, ſacta, incorrupta, diuina
ſunt, quia in ipſis eſt æther ſemper idem, nec vnquam re-
cipiens inæqualem varietatis æſtum. infra lunam & aër
& natura permutationis pariter incipiunt. & ſicut æthe-
ris & aëris, ita diuinorum & caducorum luna confinium
eſt. Quod autem ait: *nihil infra lunam eſſe diuinum, præter
animos, munere deorum, hominum generi datos*: non ita ac-
cipiendum eſt, animos hîc eſſe vt hîc naſci putentur: ſed
ſicut ſolem in terris eſſe dicere ſolemus, cuius radius ad-
uenit & recedit: ita animorum origo cœleſtis eſt, ſed lege
temporalis hoſpitalitatis hîc exſulat. hæc ergo regio di-
uinum nihil habet ipſa, ſed recipit: &, quia recipit, etiam
remittit. proprium autem habere diceretur, ſi ei ſemper
tenere licuiſſet. Sed quid mirum, ſi animus de hac regio-
ne non conſtat, cùm nec corpori fabricando ſola ſuffece-
rit? nam quia terra, aqua, & aër infra lunam ſunt, ex his
ſolis corpus fieri non potuit quod idoneum eſſet ad vi-
tam: ſed opus fuit præſidio ignis ætherei, qui terrenis
membris vitam & animam ſuſtinendi commodaret vi-
gorem, quia vitalem calorem & faceret & ferret.

# EX FICINO IN LIBRVM III. ENNEAD. II. PLOTINI CAP. III. EXCERPTA.

ANIMALIA falsò finguntur in cælo; neque ibi eiuſmodi figura vel natura ſimilis eſt atque in noſtris Tauris, Leonibus, &c. Taurum antiqui inter ſidera collocarunt in Iouis honorem: quia in bouem ſit fabuloſè conuerſus. Leonem Hercules occidit ingentem: eum (vt fertur) inter ſigna conſtituerunt. Arietem ſignorum Zodiaci caput deſignauerunt propter Iouem Ammonem, cuius in capite Arietis cornua priſci fingebant. Poſt Arietem mox Taurum effinxiſſe ferunt, quia tunc terra arabilis eſſet, aptáque culturæ. Geminos, quia tunc germinando omnia geminantur. Cancrum nominauiſſe: quia inde Sol Cancri more regreditur. Leoné verò, quia ſol ibi vehementiſſimè calefacit. Virginem, quia terra tunc exuſta ſolis ardoribus nihil pariat. Libram, quia Sol tunc noctes diebus adæquat. Scorpium, quoniam tunc aër primo frigore pungit. Sagittarium, propter vehementioris iam frigoris ventorúmque aculeos, cæteráque ſimiliter. At quid ſtultius, quàm certas animalium naturas proprióſque euentus hominibus ſub hoc vel illo ſigno naſcentibus aut agentibus attribuere? cùm nihil eiuſmodi ſit in cœlo, ſed longè diuerſa ratione confictum? Non dabis igitur medicinã, aſcendente Tauro vel Capricorno: quoniam cùm hæc animalia ruminẽt, potio vomitum concitabit. Quaſi verò Capra ruminans ſit in cælo, ac non potius Capricornus ibi ſit fictus: quia Sol inde in morem Capræ incipiat rurſus aſcendere. Et poſt hæc Aquarius atque Piſces, quia tunc vberiores pluuiæ profunduntur, & tunc Piſces maximè generantur. Fabricabit ergo quiſpiam piſcis imaginem in argento, cùm fuerit Luna ſub Piſcibus aſcendentibus, capturus piſces ad votum, confiſus videlicet falſa figura Piſcium in cœlo fictáque natura.

# EX NATALIS COMITIS VENETI MYTHOLOGIA

## SEV FABVLARVM ETHNIcarum Interpretatione,

## EXCERPTA.

PRolixo Volumine, nempe libris decem, Natalis Comes commenta ſeu figmenta de idolis Gentium, collegit, ex quibus pauca quædam de nominibus aliquot ſtellarum errantium & fixarum, earundémque mythologiis excerpſimus in ſtudioſi lectoris gratiam. A planetis nobis erit initium. Igitur ſic ille:

*Lib.2.cap.2.* Scriptum eſt à Genethliacis, Saturni ſidus eſſe frigidum ac ſiccum: quare bilis atræ ferax eſt, hominéſque facit, in quibus præualuerit in ortu inuidos, malignos ſuperbos, auaros & ad iram tardos, ſed in ea diutius inſiſtentes: atque iidem tamen plurimum pollent ingenio & conſilio, audaces facit in conſiliis, ſenilique ſapientia. Hanc tamen planetæ malignitatem aiunt placari aut certè leniri Iouis coniunctione, vel receptione, vel oppoſitione, vel trino, vel ſextili aſpectu. Sicut enim Mars cum in angulis cœli, vel in ſecunda (vt aiunt) domo, vel in octaua fuerit, multa portendit naſcentibus: cuius tamẽ malignitatem minuit Venus vel oppoſita, vel coniuncta, vel recepta, vel per ſextam circuli partem diſtans ab eo, vel per tertiam, omnémque feritatem & rabiem prope compeſcit: ſic accidit Saturno ob Iouis aduentum, quare dictus eſt à poetis Saturnus, à Ioue filio eſſe vinctus, qui ſub ipſo Saturni circulo eſt, & in tartarum deiectus, quoniam eius vires infringit & obſcuras facit. Quòd ſi vera ſit illorum ſententia, qui dicunt ſidera ſignificare tantùm hominibus ſuperarum mentium voluntatem, tanquam aues augurium, nullámque vim in nos habere ad commouendum, cur Venus dicta eſt à Sapientibus Martis malitiam infringere, aut Saturni Iupiter retardare? Di-

*Saturnus.*

ctus eſt rurſus in equum conuerſus Saturnus, animal in Venerem propenſum ac penè furioſum, quia libidini deditos vis planetæ clam facit, ac furorem Venereum penè concitat in iis corporibus quibus plurimum dominatur. Eum multorum commodorum inuentorem fuiſſe aſſerunt: quia melancholici, & quibus in ortu dominatur Saturnus, plurimum valent ingenio & prudentia.

*Ibid.* Pingebatur autem ab antiquis Saturnus ſenex pallidus, curuus altera manu falcem geſtans, & Draconem caudam ſibi mordentem: altera filium paruum ori apponebat ac vorabat: caput galea tegebatur, & ſuper illa erat amictus. Habebat iuxta ſe quatuor filios: horũ vnus Iupiter patri virilia amputabat, ac in mare proiiciebat, è quibus Venus oriebatur. Senex is nimirum ob motus tarditatem ita fingebatur, & ob caloris inopiam falcem geſtabat, quia retrogradus planeta, quod per ſerpentem etiam ſignificabãt. vorabat filios, quia pauci viuunt qui naſcentes habent Saturnum in horoſcopo dominantem. Iupiter ei virilia amputat, quia cõiunctus temperat malitiam: & de imperio deiicit, quoniam exaltatur in Saturni circulo.

*Lib.*10. Saturnus Cæli filius, tempus eſt, ex aſtrorum & cœli motu. Hic partes genitales patri abſcidit, quia vnus eſt æther, vnus mundus, vnum tempus, quod curſũ cœli metitur. Pactiones cum Titane ſiue ſole ita factæ ſunt, vt quæ tempore naſcerentur, poſtea omnia interirent: ſic enim elementorum procreatorum ex illis corporum generatio & corruptio indicatur, cùm nihil naſci poſſit niſi ex corruptioni obnoxiis principiis: atque hæc ſine tempore confici non poſſunt. Cùm verò res abſumantur per tempus, & rurſus alia in aſſumptarum locum ſufficiantur, Saturnum filios voraſſe finxerunt, & rurſus vomuiſſe. qui de regno deiectus idcirco fuit, quòd ætheris natura credita ſit immunis ab omni corruptione, cùm non ſentiat vim temporis, quod inferius extra regnum ſuum detruſit. Sic igitur corrumpi veteres ethnici elementa ſignificabant, aut ex elemẽtis compoſita. Locus elementorum vocatus fuit tartarus, quaſi ἀπὸ τῆς ταραχῆς, à perturbationibus ſcilicet, quibus eſt plenus. Iupiter fratres à paterna voracitate liberauit: quia ele-

mentorum

mentorum materia ſecundum totum ſit ſempiterna.

*Lib.2.cap.1.* Iupiter idcirco non voratus eſt à Saturno patre, quia nullam vim ſentit temporis nullámque iniuriam ætherea plaga lucidá, & ab omni corruptione immunis, cui nomen Iouis Ethnici tribuerunt. Dicitur datus fuiſſe Veſtæ educandus: quoniam cùm animalia & plantæ ex terra procreentur, cũ crebrior elemẽtorũ mutatio fit circa terrã, circa quã extãt vapores à quibus putauit Thales quòd ætherea regio aleretur. Illa autẽ regio cùm ob celeritatẽ motus harmoniam efficere putaretur à Pythagoricis, dictus eſt Iupiter inter cymbalorũ tympanorúmq; ſtrepitũ fuiſſe ſeruatus. Hunc ab apibus nutritum fuiſſe memorant: quia ſine ſexu maris & fœminæ ſe inuicem gignũt elementa, quibus æthérea regio alitur: & à nymphis eadẽ de cauſa. Aiunt nonnulli Iouẽ à Capra fuiſſe educatũ, quia ſemper ſublimia petat id animal. *Paulò antè.* Alij perbeniguum Iouis planetam eſſe putarunt, quem idcirco crediderũt eſſe Deum: quia ſidera pro diis Ethnici colebant. Deorum verò maximum, ob naturæ benignitatem, quippe cùm nihil magis quàm bonitas & munificentia Diuinæ naturæ conueniat: cuiuſmodi eſſe putatur Iouis ſtella. *Iupiter.*

*Lib.10.* Martem nonnulli Solem eſſe voluerunt, qui cum Venere coniunctus, interueniente Vulcano præcipuè, nihil procreat. per hæc & vitam & ortum animalium in qualitatum elementorúmque ſymmetria conſiſtere demonſtrarunt: quippe cùm per Martem litigium, per Venerem amicitiam ſignificarent, per Vulcanum exuperantem aliquam qualitatem. Nihil enim ex vna tantùm qualitate elementorum naſcitur, neque ex ſimilibus, ſed ex his temperatis & modicè inter ſe permiſtis. *Mars.*

*Lib.4.cap.10.* Appellarunt antiqui (Ethnici) varias vel naturæ vires, vel ſiderum, vel ſummi Dei in res creatas variis Deorum nominibus. Quid per Apollinem intelligerent Cicero declarauit Lib.3. de nat. Deor. Illa autem Balbe, inquit, quæ tu à cœlo aſtríſque ducebas, quàm longè ſerpant, non vides, Solẽ Deum eſſe, Lunámque: quorum alterum Apollinem Græci, alteram Dianã nuncupant. Et Plato in Cratylo, vbi nominis rationẽ *Sol.*

perquirit, quæ ad quatuor facultates illius extenditur, muſicam nempe, diuinationem, medicinam, peritiámq; mittendarum ſagittarum, Apollinem, nunc quia non plures ſint, nunc à ſoluendo, nunc à mittendo, nunc à rerum ſimplicitate dictum contendit: quæ Soli conueniunt omnia, ac nulli præterea. Quid enim veritatem magis aperit quàm Sol, & omnem tenebrarum caliginẽ ex humanis rebus diſpeſcit? aut quid magis confert medicorum pharmacis? Si quidem herbæ quæ in apricis locis naſcuntur, multò magis rei medicæ cõferunt, quàm in vmbra aut in humidioribus locis nutritæ. Hic eſt generationis rerum & corruptionis vnicus author, vt in lib. de iis ſenſit iure Ariſt. hic longiſſimè è cœlo radios ſuos in terras minimè debilitato iaculatur: vnde dictus eſt à poëtis ἑκάεργος, è longinquo operans ſcilicet: & Loxias, quia obliquum habeat inceſſum ſub Ecliptica, & Phœbus à ſplendore luminis: & Delius, quia occulta manifeſtet: & ab huiuſmodi cauſis multa nomina obtinuit, quæ nulli certè, niſi Soli, conuenire poſſunt. hic peſtis & ſalutis [illegible]lus eſt opifex, quo[illegible]ymmetria caloris vniuerſa ani[illegible]antium vit[illegible]alúſque continetur. Hic medius inter cæteros plane[illegible]s tanquam dominus cæterorum collocatur [illegible]quorum motus incredibilem efficere harmon[illegible]uauitatem crediderunt Pythagorici, quare muſicæ author putatus eſt. Huic citharæ inuentionem tribuerunt, quæ ſeptem chordis priùs muniebatur, vt ait Vergilius libro ſexto:

> *Nec non Threi ius longa cum veſte Sacerdos*
> *Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum.*

Qui chordarum numerus planetarum numero conueniebat, cùm plurium chordarum inſtrumenta muſica recentiora ſint vel Pythagoræ temporibus vel Orphei. Hic Iouis & Latonæ filius fuiſſe creditur, & in Delo natus, quia poſt illam confuſam mundi, vt vocant, materiam, ex qua vniuerſa quæ ſunt creata credũtur, quæ Λητὼ quaſi Ληθὼ, vt ait Plato, à latendo & ab inſcitia fuit vocata, ab omnium rerum opifice Deo lux prima omnium prodierit. Nam primùm Solem & Lunam duo lumina maiora in principio creauit Deus omnipotens. Nati dicuntur Apollo & Diana in Delo, quia continuò exorta luce res

cogno-

cognoſci & videri poſſe cœperint, cùm priùs in confuſa & informi materia omnia deliteſcerent. Qui Dionyſi filios putarunt eſſe, vim & actiones ſolis Apollinem eſſe crediderunt, ac Dionyſum eſſe ſolem ipſum, cuius filia ſit luna, cùm à ſole patre lumen, vímque ſuam vniuerſã accipiat. Eadem ratione qua calor mediocris confert omnibus animantibus, putatur Æſculapius, qui medendi artem callet, Apollinis eſſe filius. Huic Apollini vt mitior eſſet, peſtémque leuaret, vt à nonnullis traditum eſt, ludi Apollinares fuerunt inſtituti, cuius cùm duæ ſint poteſtates nimio calore & intemperie aeris perdendi, ad eam vim placandam, Pæan in hymnis cantabatur. In imprecationibus contra Iëium vocabant ab immittendis ſagittis, at non à medendo, vt quidam putarunt. huius filius Æſculapius à Ioue irato fulmine percuſſus interijt: quia cùm benignitas Solis & temperies animantibus ſit ſalubris, aliquando ab inflammato aëre peſtis oritur, & in morborum grauitatem tota illa Solis clementia vertitur: quare grauior ſit peſtilentia mediis temporibus, quàm per ſummos calores, aut per eximia frigora. Neque illud mirum, quando vel in male affectis corporibus idem contingit: nam quæ firmis conferunt, eadem ægrotantibus plerúmque ſolent obeſſe, vel propter imbecillitatem concoquentis in ſtomacho caloris, vel quia magni refert quò naturalis potentia humorúmque curſus diuertatur. Fit enim, tanquam in humanis corporibus, ita in hac rerum vniuerſitate aliquando aſtrorum quorundam concurſus: vnde cõcitetur aëris intemperies, ex qua naſcitur peſtilentia, quæ modò fit ex abundantia, modò ex inopia nimia humoris: quam neceſſariò ſequitur annonæ penuria, cùm omnia inferiora gubernentur à ſuperioribus, & illa omnia non niſi Dei ſupremi & altiſſimi nutu quidquam agant. Apollo dicitur mortem filij grauiter ferẽs Cyclopas Iouis miniſtros, fulminúmque artifices interemiſſe, quod nihil aliud ſignificat, niſi Solis beneficio rabiem illam vaporum qui peſtem excitauerant, fuiſſe extinctos. Nam ex ipſis vaporibus quodammodo affectis morbos procreari conſtat, & ſalubritatem euerti: & è vaporibus fulmina Ioui confici, cùm illi ſint fulminum artifices. Cùm enim Æſculapius ſit A-

pollinis filius medicus peritiſſimus, íſque ſit aëris optimè affecti temperies,hanc temperiem eximius calor deſtruit,per quem vapores abſumuntur, néq; vſquam poſſunt conſiſtere. Cùm aliquid ſimile fortaſſe ſuperioribus temporibus contigiſſet,vt fabulati ſunt de Phaetonte, ita ob hanc rem datus eſt locus fabulæ,quia ob fulmine occiſum filium Apollo Cyclopas,quòd fulmina faciebant, occiderit. E cœlo igitur deſcendiſſe per id tempus putatur,quia benignior & quaſi humanior quàm antea Solis natura ſentiebatur.Id cùm ita contigiſſet, cognouerunt mortales Solem eſſe omnium rerum moderatorem:quare cùm tepor illius conferat animantibus:pauiſſe armenta Admeti putatur, & inter Deos agreſtes non vltimum locum ſortitus eſt.

*Lib.5. cap.17.* Solem in curru vehi ſolitum finxerunt antiqui, quoniam non facilè percipiebant illa quæ eſſent à ſenſibus remota, niſi per ea quæ cadebant ſub ſenſum. Idcircò multæ de cœlorum motibus apud antiquos natæ ſunt controuerſię,cùm alij ſingulis globis cœleſtibus proprias animas tribuerent, quæ illos circumuoluerent,alij vnam eſſe ſatis o[illegible] globis putarent,alij ſingulis ſyderibus ſuas adiderint:atque alij rurſus aſſiduè cœlum circa terram conuolui ſentirent, alij,cœlum conſiſtere,ac terram in circulum circumferri.Atqui nomina ipſorum equorum Solis quid aliud ſignificant,niſi vel ignem,vel lucem?Pyrois enim flammatus,Æthon ardens, Lampus ſplendens, Phlegon vrens: quæ ficta ſunt ex illorum ſententia, qui ſtellas igneas eſſe voluerunt. Eous autem matutinus eſt, quia omnes facultates ſoli attribuunt. Atque cùm ſol occidens in vndas illabi,exoriens ex vndis emergere videretur,neque facilè vulgus intelligeret, Solem vbique tantundem abeſſe à medio, illum finxerunt in lecto à Vulcano facto natare: qui cùm experrectus ad littus orientis applicuiſſet,currum illi eſſe paratum ab horis dixerunt:quæ temporum omnium miniſtræ ſunt,&cellarię. Cùm verò lux Aurora ſit ante Solis ortum,iidem Solis equi dicuntur portare Auroram. Sol ſiderum dominus & lucis,vitæque mortalium quæſtor habitus eſt, quoniam author eſt luminis cæteris ſtellis,&pro illius cur-

ſu cuncta vigent animantia. Hic idem morborum, & ſalutis omnium, & frugum, & rerum copiæ eſt author, & temporum moderator, & Deus habitus, ob infinita propè in omnes beneficia. Hic igitur cùm ſolus tantæ ſit authoritatis inter omnia quæ videntur, perpetuóque motu agitetur, Deus ab antiquis primus fuit creditus.

*Lib.10.* Quoniam alia ex animalibus naſcuntur è corruptione, alia ex coniunctione, quid conferret vtriſque veteres explicarunt. Atque naſcentibus quidem ex corruptione mediocritas caloris & cæli clementia ad educandum neceſſaria eſt. illis rurſus animalibus, quæ generant ex cōiunctione maris & fœminæ, peropportuna eſt aëris temperies. Nam cùm ſemen è ſubtiliore ſanguinis parte ſecernatur, non ita facilè iſtud fit, niſi ſanguis modicè incaluerit, quod fit per ver præcipuè: eſt enim verna temperies quaſi lena ad procreationem vbique. Sic igitur materiam ſeminis & aëris clementiam procreandi deſiderio neceſſariam per fabulas antiqui exprimentes, Venerem è genitalibus cœli partibus & ex mari natam fuiſſe fabulati ſunt. Sunt enim genitales partes cæli, [illegible] mediocritas per motum qui confert animalium generati[illegible]ni. *Venus.*

*Lib 5.cap.5.* Mercuri[illegible]m veteres Latronum, impoſtorū & fraudulentorum patron[illegible] eſſe finxerunt: non ſolum quia ſi eloquentia cum malo & [illegible]oſo ſit ingenio plurimum obeſt cæteris hominibus, verùm etiam quia illorum quibus planetæ Mercurj natura in ortu dominatur, ingenia ſunt ad furta, & ad omne aſtutiæ genus accommodata. Nam cum ſiccus & calidus ſit planeta, verſutos & eloquentes facit homines, & ad omnem caliditatem celerrimos: quippe cum planeta ipſe Mercurij tot habeat motuum varietates & tergiuerſationes, quot vix omnes ſimul reliqui planetæ. Nam modò procedit, modò retro cedit. modò ſublimis eſt, modò depreſſus: modò celerrimus eſt, modò ſtare videtur: ad quam varietatem motuum explicandam non amplius vt cæteris circularem motum tantùm tradiderunt: verùm ad oui formam, vt ſeruarentur quæ apparerent, illi tribuere coacti ſunt. Ad huius igitur vel ſtellæ velocitatem, vel ingeniorum quibus dominatur celeritatem ex- *Mercurius*

plicandã, illi talaria velocia & alata tribuerũt Antiqui, quę illum ferrent vnâ cum ventis, quæ omnia non minus oratori & ſapienti, quàm planetæ ipſi conueniunt. nam acutiſſimum & oratione & ingenio ad res celerrimè inueniendas & explicandas, oratorem eſſe conuenit.

*Lib.3.cap.17.* Luna, Hyperionis filia Græcis dicta eſt, quia primus inter eos Hyperion aſtrorum motus obſeruauerit, ideo Pater ſiderum vocatus, Lunæ Soliſq; præcipuè. Cùm verò lumen à Sole accipiat, Solis filiam appelarunt, at eadem ſoror, quòd ex Hyperione cum Sole nata crederetur: vel potius quòd eodem tempore orta ſit & ab eodem parente, erratore rerum omnium Deo: vel quòd illi Sol tanquam ſorori lumen impertiat, vel quòd fraternè tempora inter ſe diuiſerint: cùm Luna nocti, Sol diei moderetur. Nam cùm Sol per ſe ſit lucidus, Luna nullum habet proprium lumen, ſed tanquam ſpeculum corpus diaphanes exiſtens receptum à Sole lumen ad terram tranſmittit. Dicta eſt in curru vehi, propter celeritatem, quam ſine vehiculo vulgus intelligere non poterat. Quòd veſtes i[illegible]ret variorum colorum id excogitatum fuit ad explicandas multiplices mutationes: quódque in Oceano lauaretur, dictum eſt ad opinionem vulgi, cùm tantundem vndique diſtet à terra & ab aquis. Hæc eadem mas & fœmina putata eſt, quia humorem & nutrimentum præbeat animantibus, & maris vice nocturnum effundat calorem, quo plurima ad putredinem & ad generationem adiuuantur. Deinde ſagittas Lunæ tribuerunt antiqui, vel propter radios, quos ad corruptionem demittit, vel propter dolores parientium: cùm illi non valde ſint diſſimiles doloribus vulnerum, acerbitatem eorum exprimentes. Hanc idcirco parturientes, ad leuandos dolores inuocabant, vt infantes facilius in lucem ederentur, Lucinam nominantes. Credita eſt item plurimum conferre veneficiis: quoniam multæ ſunt admirabiles planetarum vires certo quodam ordine collocatorum. Nam alia vis eſt coniunctorum, alia oppoſitorum, alia in aliis regionibus exiſtentium planetarum, cùm per tertiã, vel quartam, vel ſextam partem circuli diſtiterint. *cap.*18. Lunæ

velo-

velocitatem antiqui admirati, finxerunt alatam, & in curru à ceruabus candidis velociſſimis trahi, quia color albus lunæ præcipuè tribuitur: qua de cauſa argentum inter metalla eſt illi conſecratum.

*Lib.4.præfat.* Luna à rerum naturalium peritis partubus præeſſe credita eſt, quia illius ope propter vim propriam humoris fœtus adiuuetur; cùm illius beneficio is in vetero intumeſcat: ad quam rem & ſolis & lunæ ratio præcipuè conferre putatur. Nam manifeſtum eſſe arbitror omnibus, vel mediocriter eruditis, quod Lunæ beneficio augentur humores, cuius vis in multis eſt conſpicua, ſed in conchyliorum genere præcipuè, quæ cum Lunæ lumine augentur & decreſcunt. Huc accedit quod parturiendi tempore, plurimus humor ſero perſimilis in [illegible]embranis cum fœtu cōtinetur in vtero, quare & vterus inſurgit ad expellendum cum fœtu humorem: cui rei, cùm moderator humorum ſit lunæ planeta, plurimum conferre putatur, & idcirco Luna parturientibus præeſſe credita eſt. Qui verò ex a[illegible]rorum potentia o[illegible] [illegible]na pendere c[illegible]erunt, has omnes cauſſas ad aſtrono[illegible]cas rationes [illegible]tulerunt: nam ſenſerunt homines reru[illegible] cœleſtium periti, quòd ſeptimo menſe fœtus perfici[illegible] [illegible]bſoluatur, qui menſis dicatus eſt lunæ: quare iure optimo [illegible] præeſt parturientibus. Atque huiuſce rei talis eſt ratio & ordo. Primus menſis eſt Saturni, qui ſuo frigore ac ſiccitate facit vt ſemen, quod fluebat aquæ ſimile, denſetur, & conſiſtat. Deinde ſequenti menſe, Iupiter ſuo calore, & humore nutrit, quibus indiget viribus vt augeatur & dilatetur, quippe cùm ſuperioris planetæ natura formationem lineamentorum impediret ſi perduraret diutiùs. Tertio deinde menſe Marti cura iſta committitur, qui per naturalem ſuum calorem humores ſuperuacaneos exciccat, fœtúmque calefacit & motum in illo procreat: eſt enim calida vis & ſicca maximè ad motum propenſa. hunc eundem fœtum excipit mox ſol aſtrorum omnium & mūdi princeps ac moderator, qui & vigorem plurimum adhibet, & non mediocriter confert ad vitam. Huic ſuccedit Venus Martis ſoliſque calorem & ſiccitatem ſuis his aduerſariis viribus temperãs,

multóque magis auget fœtum, & illius membra ad ſiguram homini conuenientem perducit. Negotium ipſum mox in manus tradere Mercurio putatur, qui ſuperuacaneum quódque exſiccando temperiem & ipſe inducit, vniuerſáſque corporis partes etiam magis diſtinguit, & clariorem formam exprimit. At ſeptimus menſis Lunæ tribuitur, quæ ita fœtum ſuo humore nutrit, vt perfectus completúſque ſit, poſſitque vel ſi tunc ex vtero exeat viuere. Quòd ſi humoris copia adhuc ſuppetat, & reſpiratio nondum ſit præualida, quam per vmbilicum capit infans, ita vt oris reſpiratione non magnopere indigeat, natura optima horum alimentorum cellaria & moderatrix in nonum menſem partum prorogat: at ſi inops ſit humorum, & non ampliùs ſatis magna aeris copia per vmbilicum trahatur, ac ſi vterus tractabilis, mollíſque ſit, qualis eſſe ſolet fere puerperarum tunc ſeptimo menſe partus in lucem prodit, & viuit. Quamobrem ſiue ad planetarum vires, ſiue ad phyſicas rationes quis reſpexerit, omnino Lunæ humor plurimum ad emittendos fœtus adiuuabit.

Ariet. Et hæc quidem de planetis Ven[illegible] mythologus, qui de aliis ſignis tum Zodiaci, tum A[illegible]cticis, tum Antarcticis, curſim profert quędam [illegible]s adiuncta. De Ariete, zodiaci ſigno [illegible] lib.6. cap.9 in Colchorum regionem iter conficerent Phryxus & Helle, in traiiciendo mari delapſa eſt Helle, vnde nomen Helleſponti. at Phryxus in Cholchidem profectus arietem Marti, vel Mercurio immolauit: ibíq; cùm habitaſſet regioni nomē dedit, quæ à Phryxo dicta eſt Phrygia. Alij fabulati ſunt arietes pellē fuiſſe ramis quercus appensā in luco Ioui conſecrato, quàm poſtmodo Mercurius auream fecit. quamuis eam pellem iam tunc auream fuiſſe cum mare traiicerent Phryxus & Helle, vt aufugerent in Colchidem, ſequentibus verſibus ſignificauit Manilius Aſtronomic. lib.4.

*------ teſtis tibi laniger ipſe,*
*Cùm vitreum ſindens aurato vellere Pontum,*
*Orbatúmque ſua Phrixum per fata ſorore,*
*Phaſidos ad ripas & Colchida regna reuexit.*

Commenti ſunt poſtea, ad perpetuam huiuſce rei memoriam

moriam impetratum à Ioue fuiſſe, precante Nephele, vt Arietis ſignum inter ſidera collocaretur, quod etiam effectum eſt. Iidem finxerunt Taurum, vectorem Europæ, à Ioue raptæ, mercedem hanc retuliſſe, vti de eius nomine ſidus appellaretur: lib. 8. cap. 23. Sed quum in reliquarum ſtellarum tum Zodiaci, tum polorum, Natalis Comes Hyginum & alios mythologos ferè per omnia ſequutus ſit, plura ex eo non addimus.

# EX CH. CLAVII COMMENTARIIS IN SPHÆRAM IOANNIS DE Sacro Boſco,

## EXCERPTA.

ASTRONOMI omnes ſtellas fixas viſu perceptib[illegible]es (hoc eſt, quæ ſemper, cùm cœlũ ſerenum e[illegible] commodè videri poſſunt, diligenter obſerua[illegible]tes deprehenderunt eas eſſe numero 1022. Sunt qu[illegible] plurimæ aliæ ſtellæ minimæ, (Hoc enim nunquam negabo) [illegible], quia non diſtinctè, & clarè ſeſe obtutui offerunt, vel quia non quolibet tẽpore anni, propter earum paruitatem videntur, cõſultò Aſtronomi prætermittunt, & ſolùm de iis quas oculi ad cœlum ſublati commodè comprehendere poſſunt, ſermonem habent. Sed quoniam vulgo incredibile videtur, eſſe tantummodo 1022. ſtellas in firmamento cõmodè viſibiles, propterea quod viſus eas nocte ſerena confuſè intuens, ſine vllo ordine, putat eſſe propemodum innumeras: Viſum eſt, omnes 1022. ſtellas ab Aſtronomis obſeruatas eo ordine hic recenſere, quo in globo cœleſti depingi ſolent. Ita enim fiet, vt ſi quis diligenter nocte ſerena ſtellas obſeruans conferat globum cum ſtellis viſis, nullam aliam præter eas, quæ in globo notatæ ſunt, reperiat, immò vix minimas quaſdam ibidem notatas viſu percipere poſſit. Vnde mirum ei videri non poterit, non plures in firmamento ſtellas lucidas

exiſtere, quàm 1022.

Hunc autem numerum hac arte inueſtigarunt. Ex omnibus ſtellis, quæ viſu commodè percipiuntur, animaduerterunt Aſtronomi 48. conſtellationes, Aſteriſmos, ſeu imagines. (Eſt autē cōſtellatio, Aſteriſmus, ſiue imago, multitudo quædam ſtellarum, formam alicuius animalis, aut alterius cuiuſuis rei effigiem ſuo ſitu ac ordine referentium) conſtitui. Vnde facilè comprehendere potuerunt numerum ſtellarum cuiuſlibet conſtellationis per ſeſe conſideratæ. Neque enim aliam ob cauſam vetuſtiſſimi & diligentiſſimi ſtellarum obſeruatores, videntur huiuſmodi imaginibus ſtellas formaſſe, vt teſtatur Theon iunior in expoſitione Aratæa, niſi vt tanta earum multitudo per partes diſtinctas diſcerneretur, & omnes ſtellæ ordine quodam poſſent deſignari. Quod quidem ante multa ſecula factum eſſe conſtat, cùm etiam in libro Iob, ſacræ literæ nominent, Orionem, Arcturum, Hyadas, atque Pleiades, multarúmque aliarum conſtellationum nomina apud Homerum, atq; Heſiodum, vetuſtiſſimos Poëtas, leguntur. Præterea obſeruârunt quaſdam ſtellas aliis multo ſplendidiores, ita vt ſex omnino gradus in ſtellis, quantùm ad magnitudinem, & maiorem, vel minorem ſplendorem, deprehenderint: quos gradus Aſtronomi differentias magnitudinum appellarunt. Ex quo admodum facilè potuerunt numerum ſtellarum cuiuſcumque differentiæ longo vſu percipere. Ita enim deprehenderunt in prima differentia contineri ſtellas 15. maximas, eáſque lucidiſſimas, quę primæ magnitudinis dicuntur. In 2. differentia inuenerunt ſtellas minores, ac minus lucidas 45. quas ſecūdæ magnitudinis dixerunt. In 3. differentia repererunt ſtellas 208. adhuc minores, eáſque tertiæ magnitudinis nominarunt. In 4. differentia ſeu magnitudine obſeruarunt ſtellas minores adhuc 474. In 5. differentia, magnitudinéve numerarunt adhuc minores ſtellas 217. In 6. denique differentia, ſeu magnitudine annotarunt ſtellas 49. quæ omnium minimæ ſunt. Præter has autem omnes ſtellas reperiuntur aliæ quinque dictæ nebuloſæ, & nouem obſcuriores, quæ vix ſeſe noſtris ſenſibus ingerunt: ob ídque non referuntur in aliquam dictarum magnitudinum, quoniam

earum quantitates notari minimè potuerunt propter earum obſcuritatem. Si igitur omnes has ſtellas in vnam ſummam colligas, inuenies præciſè numero 1022.

Qvod autem in hyeme nocte ſerena, infinita propemodum multitudo ſtellarum appareat, (vt opinioni communi vulgi reſpondeamus.) maximè verſus polum Arcticum, id ex altera duarum cauſarum arbitror euenire. Vel quia, cùm tunc aër magis expurgatus ſit, quàm in æſtate, fit vt poſſint etiam videri ſtellæ minimæ, quæ in ſex dictis differentiis propterea non ſunt notatæ, quod non ſemper appareant. Vel quia, cùm tunc ſtellæ valdè micare admodum ſoleant, fit vt viſus hallucinetur, putétque ſe plures ſtellas viſu percipere, cùm tamen reipſa ſtellas nõ videat, ſed apparentias quaſdam ſtellarum, propter illam vehementem icationem, ſeu ſcintillationem generatas. Cuius rei gnum eſt, quòd ſi quis oculorum aciem velit in vna ill rum ſtellarum figere, eam vel omnino perdat, vel cert vacillare deprehendat, ita vt non co-dem loco mane .quod in aliis ſtellis nõ accidit. E cul dubio, ſi tan eſſ t multitudo ſtellarum, quanta tunc viſui apparet, mi eſſet, eas ab Aſtronomis non fuiſſe notatas, cùm tamen multò minores notarint, immò etiã illas, quæ extra imag , ſeu conſtellationes, reperiuntur, & quarum nullus omnino vſus pud Aſtronomos. Illud etiam, quod Scripturæ Sacræ referunt, Deum Abrahamo dixiſſe, cap. 12. Geneſ. *Suſpice cælum, & numera ſtellas, ſi potes. Et dixiſſe ei, Sic erit ſemen tuum.* Item cap. 22. *Benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cœli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris.* Item cap. 26. *Et multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cœli.* Intelligendum eſt ſecundum communem ſententiam vulgi exiſtimantis infinitam eſſe multitudinem ſtellarum, dum eas nocte ſerena confuſè intuetur, ac ſine ordine, non autem, quòd reuera tanta ſit multitudo ſtellarum, quanta eſſet futura multitudo filiorum Iſraëlis, qui ex Abrahamo ortum duxerunt. Nam cùm ſint 48. imagines, in quibus omnes ſtellæ 1022. collocantur, licet nonnullæ extra illas poſitæ ſint, nemo ſanè affirmabit, in ſingulis conſtellationibus eſſe 10000. ſtellas, cùm nec 100. videantur, etiam in maxima conſtellatione. Et certè mirum eſſet Aſtrono-

mos in numeratione ſtellarum in qualibet conſtellatione erraſſe hoc tanto numero 10000. ferè. Nam ſi ita eſſet, qui fieri poſſet, vt illæ ſtellæ, quas in conſtellationibus notarũt, in tanta multitudine diſcernẽtur? Immò etiamſi concedamus, in ſingulis conſtellationibus eſſe 10000. ſtellas, non tamen intelligenda erunt verba Scripturæ, vt ſonant, nempe tot eſſe ſtellas, quot filii Iſrael futuri eſſent. Nam hac ratione erunt in toto cœlo ſtellæ tantummodo 480000. quis autem dixerit, non fuiſſe multò plures filios Iſrael? Non ſunt ergo accipienda verba illa Scripturæ in hoc ſenſu, vt dicamus infinitas ſtellas eſſe. Dici etiam poteſt, Scripturam loqui de omnibus ſtellis, quæ in cœlo ſunt, etiam de illis, quæ minores ſunt, quàm quæ in ſex differentiis continentur, quæ fortaſſe innumerabiles ſunt: Deum autem tunc ita intendiſſe aciem oculorum Abrahamo, vt eas omnes in cœlo aſpiceret. Quòd ſi quis omnino contendere velit, plures eſſe ſtellas, ei per me licebit, quod vult, opinari: mihi certè facilè perſuadeo, non eſſe plures in ſex dictis differentiis contentas, quàm 1022. propterea quòd in conſtellationibus ipſis conſideratis non reperio plures, quàm ab Aſtronomis ſunt notatæ: excepto tempore hyemali, vbi aliquando plures, præſertim iuxta polum Arcticum, videntur apparere: propter cauſſas paulò ante dictas, præſertim propter viſus hallucinationem. Itaque ex omnibus illis 1022. ſtellis conſtituerunt Mathematici cura & ſolertia mirabili 48. imagines, conſtellationéſve. Mutatæ iam reperiuntur omnium ſtellarum ſedes, ſiue longitudines, à temporibus Ptolemæi ad noſtram vſque ætatem, propter motum illum tardiſſimum quo ab Occidente in Orientem mouentur: adeò vt hoc tempore aliæ ſint ſtellarum longitudines quàm quæ poſitæ ſunt in tabulis Almageſti à Ptolemæo: quamuis earundem latitudines eædem ſemper inuentæ fuerint, vt doctiſſimorum Aſtronomorum obſeruationes teſtantur. Appellamus longitudinem cuiuſque ſtellæ, diſtantiam eius à principio Arietis verſus ſigna Orientalia, hoc eſt, verſus Taurum, Geminos, Cancrum, Leonem, &c. progrediendo. Latitudinem verò, eiuſdem ſtellæ diſtantiam ab Ecliptica, ſiue in Boream, ſiue in Auſtrum.

ASTRO-

# ASTRONOMICA, SEV DE STELLIS *ex Aſtronomorum Scriptis* EXCERPTA, *quæ priorum Librorum huius Operis lectioni lucem aliquam adferre poſſunt.*

ORBIS, ſtellis fixis attributus, eſt vltimum illud Cœlum, quod ambitu ſuo globoſo vniuerſa mundi corpora, tam cæleſtia quàm elementaria in ſe continet: factum à Deo, vt circulari & perpetuo æquabili motu, aſtra & ſtellas ſibi infixas ſecum circumferat: in ſignum ſapientiſſimi & Omnipotentis Opificis, nec non in tempora, dies & annos.

2. Stella eſt globoſa & lucidior pars orbis ſui, à quo circumfertur, in tempora & horas, dies, menſes & annos. Deus in prima creatione primigeniam lucem per totam mundi molem diffuſam preſſius compingens, deinde expanſionem adornans, corpora ſublimia fecit rara & pellucida, vt Orbes cæleſtes, alia ex luce compacta & verè luminaria, alia ab aliis diſtincta, vt ſunt ſtellæ fixę & errantes, cæteris partibus ampliſſimæ huius machinę cœlorum denſiores, lucis vehicula maiora & minora, luminíſque copiâ quaſi condenſatas.

3. Octaui orbis ſtellæ ſunt nobis innumerabiles. Numerus enim ſoli Deo eſt notus, ſicut ex Pſal. 147. Nazianzenus docet. Fatetur etiam Ptolemæus non errantium ſtellarum numerum eſſe innumerum.

4. Differunt aliæ ab aliis, Quantitate, Qualitate, Poſitu, Motu. Aliæ aliis ſunt Maiores, ſaltem tales apparent & variæ magnitudinis (quam Aſtronomi in ſex claſſes diſtribuunt) vno conſenſu dicuntur. Quanta verò ſit earum ad terræ quantitatem proportio, curioſorum calculis relinquimus.

5. Aliæ aliis lucidiores ſunt ſtellæ. Venus lucidior

eſt Mercurio, Iupiter Marte, Mars Saturno. In Orionis cingulo ſtellæ lucidiores ac luminoſiores ſunt, quàm ſtellæ in eiuſdem enſe aut brachio. Omnium verò lucidiſſimus eſt Sol, maximum lucis vehiculum. Hanc lucem Sãctus Apoſtolus vocat ſtellarum gloriam, quâ vna ab aliis differat.

6. Non differunt autem ſtellæ à ſe inuicem certis formis. Si enim eadem eſt ſtellarum cum cœlo ſubſtantia, quomodo eiuſmodi contrariis formis & quidem ſubſtantialibus vna poteſt differre ab alia? Comminiſcuntur hæc, qui ſtellis diuerſas ineſſe vires mouendi hæc inferiora ſtatuunt: vt Orioni & Hœdis vim humectandi, Caniculæ vim excitandi æſtum, & Maiori aut Minori Vrſæ vim frigefaciendi. Equidem Solis forma lumen eſt, & virtus illuſtrandi totum terrarum orbem, vt poſtea fuſius dicetur.

[illegible] Negant ergo Aſtronomi nonnulli Orionem eſſe nimboſum, Arcturum pluuium, feruidam Caniculam, his [illegible] conſiderationibus. Summus & ſapientiſſimus mundi opifex in alium vſum ſtellas non creauit, niſi vt noctu lucerent, & facem quandam hominibus atque animantibus præberent, & vt motu ſuo certa temporum interualla deſcriberent: denique vt orna[illegible] nos de ſapientiſſimo architecto, tanquam ſigna diuinæ prouidentiæ, commonefacerent: vt qui omnia boni cauſâ feciſſet. At verò tempeſtatum excitatio, & Elementorum in ſe mutua vis & actio, omniúmque rerum perturbatio, haudquaquam ab aſtris prouenit. Nam hæc contagio elementorum à terra maledicta extitit, propter peccatum hominis.

8. Deinde, Cœleſtia, quia conſtant ſua quadam perpetuitate, non agunt κατὰ πάθος, ſed κατ' ἐντελέχειαν, neque καθ' ἕξιν, ſed κατὰ σχέσιν. Itaque ſubitò & ſine motu afficiunt aërem & terram. Nam lucis ſuæ radios ſubitò ſpargit Sol, & vbi horizontem ſuperauit, ſtatim illud Hemiſphæriũ vno quaſi momento totum illuſtrat. Quæ verò calefaciunt, ea cum motu & cum mora quadam temporis calefaciunt.

9. Præterea, cùm aſtra non agant liberè, ſed ex Dei nutu cui alligata ſunt, impium eſſe videtur illis agendi vim eiuſmodi attribuere, quæ malos effectus produ-

cati ceu ſunt grandines, venti, imbres, vredines, & ſimilia, quæ hominum vitæ noxam adferunt. Vt autem ſiderum motus & periodus pendet à diuino arbitrio, nec aliter ſe poteſt habere, quoniam Deus illis legem poſuit, quam non præteribunt: ita quoque agendi hæ virtutes, quæ ab Aſtrologis affinguntur ſiderum naturæ, perinde fatales eſſent, vt alteræ illæ, ſi quidem eis verè ineſſent. Videmus autem contrarium, quòd Caniculares dies nequaquam ſemper ſint calidi, neque Autumnus ob exortum Pleiadum perpetuò humidus, ſed interdum æſtate ſiccior.

10. Poſtremò, abſurdiſſimum eſt, & à natura corporum cæleſtium planè alienum, affingere ipſis contrarias agendi facultates, ita vt alia ſtella poſſit frigefacere, alia calefacere, alia humectare, alia exſiccare. Nec minus abſurdum, quod dicunt Aſtrologi, vnius aſtri virtutem malignum à meliori alterius facultate, aut impediri, aut etiam corrigi. Quam enim procul iſta à perfectione & puritate corporum cæleſtiũ abſint, vt quæ nihil paſſus in ſe agant mutuò, id philoſophorũ pueris notũ eſt.

11. Falluntur ergo qui Orionem, hœdos & Arcturum, horrida vocant ſidera. Omnes enim ſtellæ bonæ ſunt, beneficæ, miti quadam primigeniæ lucis & cœli naturâ præditæ, neq; maleficæ cenſentur. Quæ autem quãtaque ſit iſtorum cenſorum ſupinitas, id vel vnius Zodiaci ſigna & vires, quæ ab Aſtronomis eis tribuuntur, nos abundè docent.

12. Primùm enim conſtat inter omnes, Solis motum in ſignis Zodiaci, non numerari, neque etiam conſiderari, ſtellatorum ſignorum reſpectu, ſed τῶν ἀἁςρων, & quæ nos imaginamur extra cælum octauum. Sic Taurus incipit apparere ſuper terram, cum 24. gradibus Tauri imaginarij. Itaque Sol ingreſſus in taurum pene 24. diebus ante commoratur in ſigno ſtellis orbato, quàm ad cœlum ſtellatum perueniat. Quomodo igitur vires illas hodie à Tauro poteſt accipere, quas olim ei Chaldei affingebant? cùm Sol adhuc cum primis partibus Tauri ſtellati emergeret.

13. Idem Sol cùm Libram dicitur ingredi, quintũ iam Scorpij gradum tenet. Nam Libra ſtellata oritur

ſua boreali läce, cũ quinq; gradibus imaginarij Scorpionis. Quare toto cœlo errabunt Aſtrologi, ſi imaginariæ Libræ tribuant, quod eſt Scorpioni tribuendum, cum quo oritur Sol. Nam quomodo plus agat ſignum imaginarium, quàm ſtellatum & ſenſile? Idem eſto iudiciũ de Sagittario, qui noſtra ætate pęnè totus eſt in Capricorno. Quomodo igitur Soli, in Sagittario imaginario exiſtenti, poſſunt iidem tribui effectus, qui olìm tribuebantur tenenti Sagittarium ſenſilem atque ſtellatũ?

14. Deinde, ſi hanc in ſe vim habent Hyades, & quidẽ dem formalem, vt poſſint ὕειν & pluuias excitare, ſicut Canicula vim habere dicitur concitandi æſtum: quæ [illegible]uſa eſt quòd Sole, in tam pluuioſo ſigno, quod à fronte & à tergo nihil niſi pluuias minatur, exiſtẽte, tam ſiccus eſt aer? An non credendũ eſt plus [illegible]ſſe in excitan[illegible]is imbribus, & calore Solis impedien[illegible]o, tot ſtellas, [illegible]àm in æſtu promouendo vnicam ſte[illegible]am Syrij?

[illegible] Sed cur non exercet vires ſuas O[illegible]ion, quotienſ[illegible]ue ad noſtrum Meridianum per[illegible]enit? cur non ſẽ[illegible]er nimbos producit? an tum nih[illegible]e[illegible]a adiutare poteſt exortu ſuo pluuioſus Arcturus? ni[illegible]ue Pleiades & Hyades in occaſum vergen[illegible]s? Aut cur, Sole in Capricorno exiſtente, Canicula ſuo feru[illegible]deo nihil poteſt, vbi nocte Meridianum noſtrum attingit? Cur Gemini, Cancer, Leo, qui ſimul ſupra Horizontem promicant, feruidam Caniculam tunc nihil adiuuant? At iſti non intelligunt falſò ab eis adſcribi ſideribus ea quorum cauſa eſt ortus occaſúſque, & acceſſus receſſúſque Solis.

16. Præterea, ſi quædam ſigna Zodiaci in ſe ipſis vim habent exſiccandi, quædam humectandi, quædam calefaciendi, quædam refrigerandi: quid cauſæ eſt, quòd in Zona torrida vbi eadem ſigna iiſdem ferè temporum vicibus, quibus in noſtra Zona, oriuntur & occidunt, non eædem ſunt aëris & tempeſtatum vices: vt & ibi aliâs frigidior, aliâs calidior, aliâs temperatior ſit aër, ſicut in Germania? cur ibi nulla hyems niuoſa? nullus talis Autumnus? Nam ſi Arabici aëris temperies perpetuò eadem Soli adſcribenda eſt, & illius luci, quæ illic eadem eſt ſemper: & ſi eiuſdem acceſſui & receſſui tribuendæ ſunt hæ tempeſtatum viciſſitudines in noſtra

Zona,

Zona,fruſtra certè eſt, quòd ſigna, in quibus Sol per hyemem aut per æſtatem verſatur,dicuntur eſſe frigida aut ſicca:cùm nihil horum per ſe ipſis inſit.

17. Accedit huc,quòd innumeræ atque infinitæ ſunt ſtellæ,quibus æquè ſuas in agendo & tẽpeſtatibus excitandis vires ineſſe dicendũ erit,atq; cæteris.Nã quod de mille ſtellis verum eſt,idem etiam de quater & quinque millibus verè affirmari poteſt. Neque enim ſequitur ocioſas eſſe reliquas,propterea quod à veteribus Chaldæis & Aegyptiis in certas imagines non ſunt relatæ. Sed quid hoc ſibi vult,omnem agendi ac mouendi vim, omnéſque effectus & motus naturales adſcribere mille tantùm & viginti duabus ſtellis inerrantibus & ſeptem erraticis:ac tot interim myriadas ſtellarum,tanquam ocioſas,præterire atque intelligere?

18. Poſtremò vires eiuſmodi maléficas non poſſumus tribuere ſte is, quin Deum conſtituamus autho mali, & omnem culpam calamitatum noſtrarum i ipſum transferam teſte Baſilio, homil.6. in Hexa. Auguſtin. Lib.2 De octrina Chriſt.multis capitib.& Agellio,Lib 6.cap.2. od omnino eſt abſurdum.

19. Quoad p gnoſtica ſtel arum, de quibus nonnulli tantopere glori ,dicimus nullam eſſe hominibus futuri πρόγνωσιν.Hac enim homo ne in prima quidem creatione fuit inſtructus. Solus enim Deus habet futurorum notitiam, huicq́ue ſoli omnia ſunt præſentia.Et ſi enim in iis rebus, quæ in noſtra ſunt poteſtate, & quæ appetendo conſequi, aut metuendo fugere poſſumus,eſt quidam habitus, longa ætate multóque rerum vſu comparatus, & quædam prouidentia (quauis hæc ipſa perexigua)tamen in aliis rebus, quæ non ſunt in noſtro arbitrio,nulla prorſus eſt πρόνοια, neque vlla vis,in homine, vt eas res vel conſequatur, vel effugiat.Nam in iſtis,quid quiſque vitet nunquam homini ſatis cautum eſt in horas.Tales autem res ſunt,vitę longęuitas,ſanitas diuturna,morbus,mors,diuitiæ,paupertas,honor,infamia,vxor,liberi,& conſimilia.

20. Sed accedit ad hanc humani iudicij imbecillitatem mentiſque caliginem, cæli & aſtrorum à nobis diſtantia, quæ facit vt illorum naturas & proprietates

præuidere haud poſſimus, neque inde nobis vernacula demonſtrationum principia gignere: ſicut fit in aliis ſcientiis. Præterea motuum illorum ea eſt velocitas, vt imaginando eam cõſequi ſit nobis impoſſibile, nedum oculorum ſenſu complecti: quod ſapientes faſſi ſunt iampridem, qui genethliacos alióſque eiuſmodi erro-nes, circa ſtellárum varios curſus inſanientes, multo ſale perfricant.

21. At ſicut aliud eſt στοχασμὸς & artificioſa de futuro coniectura, quæ ſumitur ex ſignis probabilibus, & aliud eſt ſcientia, quæ ex cauſis neceſſariis aliquid demonſtrat neceſſariò aut eueniſſe, aut euenturum eſſe: ita longiſſimo interuallo à ſe inuiam diſcrepant ſigna & cauſę ipſę. Nam ſtella matutina aut veſpertina non eſt cauſa vel pluuiæ, vel ſerenitatis: ſed tan[illegible]m ſignum aliquod coniunctum cum natura rei, ex [illegible]uo habitus aëris [illegible]lligitur atque cognoſcitur.

[illegible]. Quemadmodum Medicus ani[illegible]aduertit ex vri[illegible]quæ ſit valetudo hominis, & ex e[illegible]lem, tanquam ex [illegible]igno, futuram aut ſanitatem, a[illegible]t g[illegible]uiorem morbum poteſt prædicere: nemo autem ta[illegible]ılanus eſt, vt dicat affectus pulſuum, aut v[illegible]inę colorem eſſ[illegible] morbi cauſam: ita ex Sole & Luna, quatenu[illegible]r vtriuſque diuerſas in aëre habet apparentias, item ex auium volatu & ſimilibus rebus, poſſumus futuras tempeſtates prædicere, tanquam ex ſignis, quæ nobis aërem aliter atque aliter affectum eſſe indicant. Quo ſanè plæraque omnia Pliniana & Virgiliana tempeſtatum prognoſtica pertinent. At verò Aſtronomi euentus ſuarum prædictionum aſtris tribuunt, tanquam cauſis: nempe vim humectandi, ſiccandi, refrigerandi & calefaciendi à ſua forma habentibus.

23. Ptolemæus aſtronomorum princeps, circa annum Chriſti 130. obſeruauit 1022. ſtellas, ex quibus conſtituit ſigna cæli, ſeu ſidera 48. alij 52. quorum nomina & deſcriptiones extant apud Veteres & recentiores huius ſcientię profeſſores: nec reperimus quę in Hygino & Ataro antè deſcripta ſunt.

24. Stellæ ſingulares ſunt, vt erraticæ quinque, duo item magna luminaria, nempe Luna & Sol. Illæ ſe-

ptem

ptem ſtellæ ſolæ feruntur. Sidera verò ſunt, quæ in aliquod ſignum ſtellarum plurium compoſitione formãtur vt Aries, Taurus, Andromeda, Perſeus, corona: & quæcunque variarum genera formarum in cœlum recepta & picta imaginantur. Sic & Græcis ἀστὴρ & ἄστρον diuerſa ſignificant. Etenim ἀστὴρ ſtella vna eſt: ἄστρον verò ſignum ſtellis coactum, quod ſidus appellatur.

25. Hæc octaui orbis ſidera diuiduntur in ſigna Zodiaci, & in ſigna extra Zodiacum, eáque vel Borealia, vel Auſtina. Horum nomina & ſtellas non ſpeciatim deſignamus, nec Chaldæorum, Ægyptiorum, Arabum, Græcorum, Latinorum appellationes, multò minus mythologorum ſomnia narramus. De nominibus in Excerptorum præfatione pauca quædam in medium prolata ſunt, qu. repetere non conuenit.

26. Aliæ ſ llarum vno eodémque motu in pari erga ſe inuicem ( ſtantia circumrotantur: aliæ verò n que eundem in m tu ſitum habent: neque eodem t pore orbes ſuos pe agrant. Itaque priores illæ fixæ & inerrantes, à Græc ἀπλανεῖς, poſteriores verò πλανῆτες, & ſtellæ erraticæ di tur: quòd ipſæ à natura ſtellarum fixarum in otu variant. Fixæ per ſe non mouentur, ſed ipſæ orbibus ſuis fixæ ab iiſdem circumferuntur, quod ita colligimus.

27. Reuolutio quam in Cælo octauo fieri videmus, aut Cœlo & ſtellis iuxta quieſcentibus, aut vtriſque motis, aut altero quieſcente, & altero moto conuenit. Ambobus quieſcentibus illam conuerſionem fieri abſurdum eſt dictu: niſi quis terram ſtatuat moueri & Cœlum quieſcere. Nam alterutrum horum moueri docent Phænomena Stellarum quæ non conſiſtunt in eodem loco. Neque verò ambo ſimul, cœlum puta & Stellæ, mouentur. Si enim ambo ſimul mouerentur, eadem in motu eſſet Stellæ celeritas, quæ eſt orbis ſui. Non autem eadem eſt vtriuſque celeritas: quod hac ratione liquet.

28. Cùm ſtellæ & circuli, quos ſingulæ ſingulos deſcribunt, pari circuitu rotenrur (nam ſtellæ ex eodem in idem caput cum ſuis circulis ſe referunt) ideo neceſſe erit, vt ferantur eadem cum circulis celeritate, ſicut & pari ambitu circumrotantur. At verò non eſt eadem

circulorum celeritas. Nam maiores circuli, vt æquinoctialis, mouētur celerius: minores mouentur tardius, vt Arcticus. Quare etiam ſtellæ, pro ratione circulorum ſuorum, maiorum vel minorum, celerius tardiúſve mouentur.

29. Quòd ſi ſtellæ imitantur circulos, vt imitari iā demōſtratū eſt, aut neceſſariò imitabūtur, aut fortuitò. Fortuitò & temerè ſtellas ferri nemo ſanus dicet. Ergo neceſſariò & pro natura ſua cum circulis conuertuntur, quorum etiam vel tarditatem vel celeritatem conſequuntur. Neque verò dicendum eſt quòd ſtellæ moueātur, ipſis circulis quieſcentibus. Nam hac ratione fieret, vt quæ minorem ambitum conficiunt, ea mouerentur celerius, quàm quæ maiorem gyrum perluſtrant: & quidem maiores ſtellas circa polum, [illegible]o magnitudinis ſuæ portione, omnium celerrimè a[illegible]ari contingeret. [illegible]t contra fieri videmus, vt minimæ [illegible]ellæ iuxta Æqui[illegible]tialem multò celerius moueant[illegible], quàm maximæ [illegible]læ iuxta polum. Quapropter, [illegible]ùm nec ambo poſſint moueri, nec ambo quieſcere, ne[illegible]e etiam aſtra quieſcentibus circulis conuerti: rel[illegible]quitur, orbes quidem moueri, aſtra verò & ſtellas infixas [illegible] circumuēhi.

30. Porrò, cùm aſtra ſi[illegible] globoſa corpora, aut cōuertuntur, aut volutantur in motu. Nam rotundorum corporum hæ duæ tantùm ſunt motiones, nempe conuerſio & volutatio. Sed neutro modo ſtellæ mouentur. Neque enim per ſe conuertuntur, alioquin eūdem locū ſemper tenerent, & aliò non tranſferrentur: quod apertiſſimè eſt falſum. Neque etiam volutantur, quoniam eundem vultum nobis ſemper oſtendunt: id quod in Luna maximè apparet, quæ quanuis variari videtur, eandē tamen faciem nobis ſemper oſtendit.

31. Orbis Octaui motus duplex eſt: vnus cōmunis & æquabilis ſemper, qui fit ſuper polis mundi, 24. horarum ſpacio, referens ſeſe ad idem punctum, vnde cœperat moueri. Alter proprius, qui fit ſuper polis Zodiaci, & abſoluit annis centum plus minus vnum gradum. Hoc motu ſigna Zodiaci ſtellati verſus ortum retrò progrediuntur, & omnes ſtellæ fixæ locos ſuos mutarunt. Nam & ſi ſtellæ, reſpectu Eclipticæ, in eadem

ſemper

ſemper ſunt latitudine, neque à linea ecliptica vnquam diſcedunt: tamen Æquinoctialis reſpectu mutant ſuam declinationem: neque enim eodem interuallo ſemper diſtant ab Æquinoctiali.

32. Aliis ad hũc motum & ad ortuum occaſuúmq; ſideralium genera pertinentibus, aſcenſionibus item & deſcenſionibus ſignorum in ſphæra recta & obliqua, prætermiſſis, ne aſtronomica noſtra longius æquo trahantur, de ſtellis errantibus nobis agendum eſt. Nonnullis Deus idcirco ſeptem Planetas creaſſe videtur, vt eſſent monumentum ſex dierum quibus opera omnia ſua perfeciſſet, & ſeptimi, quo ab omni opere tandem conquieuiſſet, & ſacrum eſſe voluiſſet.

33. Differunt à ſtellis fixis numero, magnitudine, virtute, poſitu & motu. Nã octaui orbis ſtellæ numero nobis ſunt infinitæ, Deus ſolus eas numerat, pſ.147. planetis verò ſeptem neque plures, neque pauciores in cœlo dari poſſunt. Deinde, excepto Sole, quædam ſtellæ fixæ multò maiores planetis eſſe iudicantur. Sunt præterea lucidiores cæteris quæ fixis, præſertim Sol, Luna, Venus & Iupiter. Quod ad poſitum attinet, inferiores obtinent orbes hi ſeptem errantes: fixæ autem ſupremũ, nempe octauum cœlum occupant. Motu denique vel imprimis differre à ſe inuicem cognoſcuntur, eo quòd fixæ in eadem ſemper ſunt diſtantia, reſpectu eclipticæ: planetæ verò ab eadem modò longius recedunt, modò ad eandem accedunt propius. Sol item manifeſtè ab vno polo verſus alterum, hoc eſt à Meridie ad Septentrionem, & contrà progreditur: & quotannis in eo curſu totum Zodiacum, nempe 360. gradus, meatu flexuoſo peragrat: Luna verò diebus prope 28. hoc iter abſoluit.

34. A ſe inuicem planetæ differunt magnitudine, luce, motu. Nam aliæ aliis ſunt maiores: aliæ aliis lucidiores, aliæ aliis in curſu velociores. Communi nomine à Græcis appellantur πλανῆτες & πλανώμενοι ἀστέρες à Latinis errones, ſtellæ erraticæ, nec non errantia ſidera, cùm errent nulla minus illis, vt ait Plinius. Non eſt vera hæc (inquit Plato lib.7. de legib. circa finem) de Luna & Sole, cæteríſque ſtellis opinio, quòd

vnquam errent: ſed contrà ſe res habet. Nam vna quæuis harum eandem viam non multas circumeundo peragit: licet videatur per multas ferri. Itaque non ex rei natura, ſed opinione hominum, iſtud nomen hæ ſtellæ conſecutæ ſunt.

35. Singulæ autem ſuis appellantur nominibus Aegyptiis & Græcis: ſuprema quidem & octauo orbi vicina φαίνων: altera quæ hanc ſequitur φαέθων, tertia πυρόεις: quarta ἥλιος, Latine Sol: quintu ἑωσφόρος & ἕσπερος, Latinis Lucifer & Veſper, ſeu Veſperugo: ſexta ςίλβων: ſeptima & infima, terríſque proxima σελήνη, Latinis Luna. Quæ quidem nomina, ſi excutiantur, nihil in ſe habe- ſunt impietatis quandoquidem à propria ſtellarum illarum natura petita ſunt.

36. Nam φαίνων dicitur ἀπὸ τοῦ φαίνεσθαι i  eſt, ab apparen- & lucendo: φαέθων verò παρὰ τὸ φάο  ειν, à luce & ndo ſeu fulgendo, πυρόεις ab ignit & rutilo colo- é habet illa ſtella: ἥλιος, ἀπὸ τοῦ ἀεὶ  γῆν ἀεὶ εἰλεῖν, eo d ſemper circa terram volnat. Latini Solem ocant: quia cùm exortus eſt, obcu tis cæteris ſideribus ſolus apparet. ἑωσφόρος & φωσφόρος, πα φέρειν τὸ φῶς, ἢ τὴν ἕω: quòd lucem ferat matu. Eſt enim Lucifer Diei prænuncius & Solis præcurſor: ſicut eadem ſtella veſperi Solem ſequitur: vnde ἕσπερος, & Latinè veſper dicitur, ἀπὸ τοῦ ἕπεσθαι: à ſequendo. ςίλβων vocatur ἀπὸ τοῦ ςίλβειν, quod eſt lucere & nitere. Denique σελήνη, ἀπὸ τοῦ σελαγίζειν, à fulgendo: & à Latinis Luna, quaſi Lucina, à lucendo eſt nominata.

37. Hebræis ſuprema dicta eſt *Sabbathi*, propter ſeptimum diem: altera *Tſedek*, iuſtitia, tertia Maadam: quarta, Sol, *Hamma*, à calore: quinta, *Noga*, ſplendor: ſexta, *Cocab*, ſtella, ἀστήρ: poſtrema, nempe Luna, *Lebana*, i. alba, λευκοθέα. Chaldæi primam *Moloch*, ſecundam *Reempham*, i. tonantem, vnde Græcis βροντεὺς & ζεὺς βροντᾶιος iiſdem quinta, *Spharphara*, quæ Venus Latinis. De aliis nihil dum comperi, inquit literatorum princeps in 1. lib. Aſtronomic. Manilij.

38. Nominum autem 1. Saturni, 2. Iouis, 3. Martis, 5. Veneris, 6. Mercurii, primi authores fuerunt Chaldæi, quos Aegyptii ſequuti ſunt. Nam his nominibus primi

Baby-

Babyloniorum reges denominati fuerunt. Hi facta ſe-
cesſione à piis à Eccleſia Dei præſidibus, Noa, Semo &
Arphaxado, ſibi regnum in planicie Sinnearis & turrim
ibi celſiſſimam conſtituerunt. Horum princeps fuit
Nimrodus, qui poſtea Saturnus Babylonius dictus eſt: cui
filius fuit Belus ſiue Baal, propter ſideralem ſcientiam
inter Deos à ſuis relatus, & ſacroſancto Dei opt. Max.
quod eſt Iehoua nomine veſtitus.

39. Solem Chaldæi *Orimaſda* vocarunt, à lucis copi
& vbertate, ſeu ſufficientia, quam Sol præſtat, cúmq
coluerunt pro bono Deo. Lunam verò dixerunt *Iſcha*
quaſi fœminam & coniugem Solis, propter coniunctio-
nes. Hinc Ægyptiorum *Iſis* nata, quæ nihil aliud eſt quã
Luna. Hermes Triſmegiſtus ſexto planetæ Mercurij no-
men indidit. Plutarchus Zoroaſtri, Perſarum mago,
tribuit, lib. d ... de & Oſiride. Notandum, inquit Ma
bius, quòd eſſe ſtellam Saturni, alteram Iouis, Ma
liam, non natu... conſtitutio, ſed humana perſuſ
quæ ſtellis nu...ros & nomina fecit.

40. Chaldai... ſunt atque Ægyptiacæ notæ, quibus
Planetæ ab Aſtronomis inſigniuntur. Nam ♄ ſignum eſt
falcis, quam ... manu fingitur Saturnus, propter a-
griculturam. Hanc enim Babylonij ſuo conditori Nim-
rodo, i. Saturno Babylonio, acceptam referebant. ♃ ful-
minis nota eſt. Credebant enim Babylonij Iouem Belum
tonare & fulminare. ♂ Clypeus eſt cum haſta. nam
Martem belli Deum Chaldæi dicebant, & ſuo rutilo co-
lore, tanquam minaci vultu ſpirare cædes & bella. ☉ So-
lis ſignũ eſt, nihil in ſe habẽs impietatis: vt & hoc ☽ Lunæ
ſignum. At ♀ ſpeculum eſt Veneris: quia hęc ſtella crede-
batur homines efficere amori, comptitudini, venuſtati,
deliciis, voluptatibus atque mollitiei deditos. ☿ Mercu-
rij eſt caduceus, quem Deum eloquentiæ fingebant; &
homines illos fieri diſertos, qui in ſua geneſi ſtellam
hanc propitiam habuiſſent.

41. Ordinem planetarum communem, & ſupra deſi-
gnatum ſequimur. proximum elemẽtari regioni orbem
Luna obtinet, ſecundum Mercurius, tertium Venus,
quartum & intermedium Sol, quintum Mars, ſextum
Iupiter, ſeptimum Saturnus. Duo illorum, nempe me-

dius & imus ( Sol & Luna ) dicuntur φωςῆρες, Luminaria: quo etiã nomine apud Moſem deſignati ſunt. Quinq; reliqui vocantur communi cum aliis nomine ἀςέρες ſtellæ. E quibus tres ſunt Soli ſuperiores, eadémque ferè illorum Theoria: duo autem Sole inferiores. Planetarum Theo-ria iuſtum Commentarium requirit, vt & de motu illorum & differentiis, nec non de principiis Geometricis, quibus illi motus demonſtrantur & declarantur: de circulis item & arcubus Planetarum.

42. His igitur omiſſis de Sole & Luna tantùm quædã obſeruatu digna ſubiicimus. Cur autem omiſſo Saturno, Ioue, & Marte, Solis ſpecialem quandam tractationem aggredimur, eſt ipſius Solis conſideratio. Præeſt diei, & maximum ac prę̃ſtantiſſimum eſt primigeniæ lucis vehi-[illegible]lum, qui vas admirabile eximium opus Excelſi, rector [illegible]is, Dux princeps & moderator lumin[illegible]m reliquorum, [illegible] mundi & temperatio, cor & anim[illegible] mundi nomi-[illegible], innumeriſque inſignitur epithe[illegible] apud veteres, [illegible] præſtantiam eius ſupra omnes ſte[illegible]as inerrantes & erraticas teſtantur. Hic lucem rebu[illegible] ad[illegible]iniſtrat, tenebras ortu ſuo diſpellit, reliquáque ſidera occultat: hic vices temporum annúmque renaſcentem ex vſu [illegible]m-perat: cæli triſtitiam diſcutit atque etiam humani animi nubila ſerenat. Plin. lib. 2. cap. 6.

43. Deinde reliqui Planetæ in ſuo motu Solem mira quadam ratione (& vt ſubditi regem ſuum) obſeruant. Nã quoties illi coniuncti ſunt, ſemper tenent epicycli ( minoris circuli ) ſui, ἀπόγειον, ſeu longiſſimam & excelſiorem à terra diſtantiam ſuam, tanquam in extremos fines ſuæ ditionis digreſſi, ob tanti regis reuerentiam. Eidem verò ex diametro oppoſiti, in περίγειον, ( infimam circuli ſui à terra diſtantiam ) decidunt, quaſi regis ſui reditum ſubmiſſè obſeruantes, & deſiderantes.

44. Præterea non tres ſolùm ſuperiores perpetuò ſeruant eandem in ſtationibus ſuis legem: verùm etiam Venus & Mercurius, duo inferiores planetæ in ſuis curſibus conſimilem habent perpetuitatem. Nam idcirco Venus & Mercurius dicuntur à Platone ἰσόδρομοι καὶ ὁμόδρομοι τῷ ἡλίῳ. Venus enim citra quinquageſimum gradum, & Mercurius citra triceſimum, nunquam in longitudinem diſtat

diſtat à Sole: nec longiori interuallo, cum vel antecurrunt, vel ſequuntur: ideóque circa Solem, tanquam miniſtri & ſatellites, perpetuò verſantur.

45. In hac tamen coniunctione multò arctior eſt Veneris quàm Mercurij copulatio. Nam idem eſt vtrumque ἀπόγειον: & æquatio centri Veneris eadem eſt cum æquatione argumenti Solis: neque vltra tria ſcrupula diſcrimen excedit, vt docet Ptolemæus. Deinde, quoties du inferiores Soli coniunguntur, ſemper in Apogæo ve Perigæo ſui Epicycli reperiuntur: & ſuas altitudines alterant, vt Regi ſuo à diuerſis lateribus adſtent & ministrent.

46. Perpetuum item hoc eſt, quòd Venus omnes latitudines ſuas (i. diſceſſus ad Ecliptica verſus Auſtrum & Boream) in contrariam partem latitudinum Mer perficit. Vbi im Venus fuerit in Septentrione, ibi curius erit in meridionali plaga, & contrà. Quin cyclos variāt mnes Planetæ, reſpectu Solis: nā q ſunt remotior habent minimos Epicyclos, vt Sa s, Iupiter & Mer rius: qui verò propiores Soli, vt Ma & Venus, ij habent maximos Epicyclos.

47. Poſtremò, Luna etiam Solem, vt Regem & ducem ſuum obſeruat, imò vt maritum. Nam omnem ſuum curſum ad iter Solis Luna dirigit, ſicut etiam ab eodem lumen ſuum accipit, & ſingulis menſibus cum eodem coniungitur. Qua de cauſa coniugium illud vocarunt veteres, excogitata fabula de Oſiride, qui eſt Sol, & Iſide ſeu Luna. Equidem Lunæ Eccentricus, & deferens Apogæum Eccentrici, in diuerſas partes ita mouentur, vt linea medij motus Solis, ſit intermedia inter Apogæum & centrum Epicycli Lunaris. Ex quo fit vt centrum Epicycli Lunę in omni coniunctione & oppoſitione media ſit in Apogæo deferentis: in quadraturis verò in Perigæo eiuſdem.

48. Harmonia hæc omnium Planetarum, ad Solem meritò facit: vt Solem dicamus Luminare magnum, & in medio mundi ſic poſitum, vt cor animantibus collocatum videtur. Magna igitur Aſtrologorum eſt oſcitātia, magnus ſtupor, quòd Solis dominium ad Saturnum quandoque, nonnunquam ad Martem transferunt: & alios anni ac partiū anni rectores conſtituūt, quàm quos

ipſe Deus à mundi exordio in hunc vſque diem, orbis rectores eſſe voluit.

49. Sol eſt luminare magnum & globoſum, Græcis φωςὴς, conditus à Deo quarto die παγγενεσίας: vt motu cœli primigeniæ lucis partem maximam ſapientiſſimè diſtributam & ab omnipotente creatore compactam circumferat, & ſuo receſſu atque acceſſu ad certas metas ..ertatur, in tempora, menſes, dies, & annos. Primo qui..em die lux fuit condita, & in totam maſſam terræ & aëri.. infuſa, dein ſuis circumſcripta terminis diem & no..ū.. n conſtituit: Sed quarto die conglobata eſt in corpo..ra illa cœleſtia, quorum Sol fuit maximum, & primige..niæ illius lucis ampliſſimum vehiculum, hemiſphæria ..uo inde ſimiliter percurrens.

..o. Quemadmodum autem aliud qu..ddam eſt i.. .. aliud lucerna: quorum alterum .. vim lucē.. ..um eò factum vt indigentibus lu..em præbeat: ..it Baſilius, homil. 6. in Hexaem. .. uo illa lumina .. ol & Luna) ſunt procreata, vt il.. is lucis puriſſimæ, & ab omni materia remotæ, eſſent .. hicula. Voluit autem lucem iſtam colligere, & in globum collocare, vt promanantes inde radios, per diſcum .. nihil velut obſcuratos, viſui noſtro idoneos, atque conuenientes redderet. Nam (de Theodoreti ſententia) cùm oculis prædita ſint animalia & homines, ideo lucem illam primigeniam, & primo die eductam ex tenebris vt ſplendeſceret, atque mira quadam ratione rebus creatis immitteretur, ferre non potuiſſet.

51. Finem verò, propter quem conditus eſt Sol, eūdem cum Moſe etiam Plato in Timæo ſtatuit, his verbis è Græco in Latinum verſis, Hoc conſilio & hac mente Dei, in quam illa inſiſtebat, cogitans de ratione temporis, conditus eſt Sol, & Luna, & quinque ſtellæ, quæ Planetæ cognominantur: vt tempus exiſteret, & vt numeri temporum diſcerni atque obſeruari poſſent. Hanc Platonis ſententiam approbat Plutarchus lib. de quæſt. Platonic.

52. Hebræi Solem ſua lingua variis nominibus, deſignant. In genere *Or* & *Vr*, i. lucem vocant, quoniam ſit velut immenſum lucis receptaculum, & luminoſiſſi-

mus

mus globus, Iſai.5.30. Secundò, *Camma*, Iob. 30.28. à calore quem efficit, à verbo Caman, quod ſignificat, calere, Æſtuare. 3. Schemeſch, ab ardore & exſiccatione, vt quidam putant. Alij ita dictum volunt, quòd lucem miniſtret. Hinc Chaldæis hæc radix ſignificat miniſtrare, & etiam in hac ſignificatione vſurpatur à Balbinis. certè Sol lucis eſt adminiſter. Quidam à Saal Hebræo verbo, quod eſt mundare, illuſtrare, ſplendidum redde[illegible] Solem formatum arbitrantur, quaſi ſplendentem & [illegible] cidum dicas. Ad hanc originem alludunt σελήνην [illegible] à lucendo. & ſi durius, per tſade pronuncias & inu[illegible] litera tſ. in st. ſtella, corpus lucidum & ſplendens. Græc[illegible] ἥλιον dicunt, voce deriuata ἀπὸ τοῦ ἀεὶ ἐλεῖν, à perp[illegible]tu[illegible] reuolutione & circũrotatione, vt Patoni placet in C[illegible] tylo. Latin[illegible] Solem indigetant, quòd ſolus cæter[illegible] iis occulta[illegible]uceat.

53. D[illegible]itur autem Luminare maius, quia [illegible] titate & effic[illegible]cia lucendi maximũ corpus eſt. F[illegible] voluit Solem [illegible]cere Deus, ſicut & Lunam, vt ſec[illegible]tum curſum horum luminarium homines temporis ſpatia obſ[illegible]rent. Quæ notiora ſunt, ea nobis apparent minora: quæ propiora, ea maiora videntur. At Sol nuſquam vel propior vel remotior, nuſquam etiam vel maior vel minor: ſed eiuſdem magnitudinis omnibus terræ incolis videtur. Quæ autem vera Solis ſit magnitudo, ſi ad terram conferatur, ſentẽtiæ diuerſæ recitantur à Plutarcho, lib.2. de placit. Philoſoph. cap.21. dicunt Mathematici Solem terrâ maiorem eſſe centies ſexagies ſexties: quia Diameter Solis ad Diametrum terræ ſit in proportione quintupla, & inſuper continens eius medietatẽ. Eſt itaq; corpus Solis ad corpus terræ ſicut 166. ad 1. Dicunt etiam Solem diſtare à centro terræ 103 95000 milliaribus Germanicis. quarum dimenſionũ diſquiſitionem Aſtronomorũ curioſitati relinquimus.

54. Cælo & cæleſtibus corporibus non ineſſe, qualitates ſenſibiles & contrarias, cuiuſmodi ſunt in rebus elementaribus demõſtrat Ariſtoteles, lib.1. de cœlo. nec ſunt audiẽdi qui Soli credunt ineſſe calorem & vim calefactoriam, atque corpus huiuſmodi, vt admota ferula Prometheus inde potuerit ignem focalem aufferre. fal-

luntur etiam qui Saturnum putant eſſe frigidum, propter cœli aquei vicinitatem. Ita omnia ſunt à corporũ cœleſtium ſimplicitate & puritate longè alieniſſima. Stella enim à ſtella differt claritate, non qualitatibus ſenſilibus & tactilibus, aut etiam ſibi inuicem cõtrariis, puta calido & frigido, humido & ſicco, ſiue potius facul-tibus contrariis, calefaciendi, frigefaciendi, &c. vnde am illa temperamentorum exiſtat in rebus elementa-s & noſtris quoque corporibus varietas, ingenio-ıque ac voluntatum & ſtudiorum diuerſitas.

55. Dato vno abſurdo, multa alia ſequuntur. Conceſ-o enim, quod calor aëris & feruor æſtiuus, Soli, ra-que Solaribus, eorúmque rectitudini, per ſe primò -acipaliter ſit adſcribendus, tanquam beneficæ & -æ cauſæ: conceſſo itẽ, quòd frigus nocturnũ -or roſcidus Lunæ tribuendus ſit per ſe & primò, -ı cauſæ malignæ & frigificæ, ade que morbifi-cæ nquam conceſſis, quis prohibet mnia cõcedere, quæ Aſtrologi hinc colligunt? Si enim ingenia ſequuntur temperamentum, ſi naturæ ſequitur ſemina quiſque ſuæ, & ſi temperamenta ſunt ex cœlesti quadam influentia, vt illi dicunt (Sol enim & homo creduntur illis hominem procreare) ſi denique in ipſis temperamentis multæ ſunt δυσκρασίαι: non video ego quomodo Aſtrologorum placita de beneficis, maleficis & mediocribus Planetis, poſſint verè negari.

56. Vnde igitur aeris iſte calor qui in æſtate exiſtit? Calor lucis quædam eſt qualitas. Nam lux incidens in corpora denſiora, proinde frigidiora, ſuis radiis illa penetrat, & penetrando rarefacit atque extenuat. Quò igitur rectior eſt lux, incidens in aërem, & quò aër eſt tenuior & rarior, eò magis redit ad calorem ſuum, eóque plus amittit de humore ſuo. Nam calor & humor propriæ ſunt aëris qualitates, non cælitus aduentitiæ. Cùm autem per æſtatem noctes ſint breuiores, minus ſpiſceſſit per illas aër & citiùs rareſcit, atque caleſcit radiis Solis in ipſum rectius quàm per hyemen incidentibus.

57. Duplex igitur vis eſt lucis Solaris: vna illuſtrandi aërem ſuis radiis, altera penetrandi denſiora & ſpiſſiora corpora, eáque attenuandi & rarefaciendi, atque hoc modo

modo latẽtem in illis calorem natiuum excitãdi. Prior vis fit κατὰ σχέσιν, καὶ κατὰ τὴν ἐξαίφνης φύσιν: poſterior fit καθ' ἕξιν. Nam Sol ſupra horizõtem emergens, ſubitò totum hemiſphærium illuſtrat: ſed non ſubitò extenuat ſpiſſa, non ſubitò conſumit humida & vapida, non ſubitò excitat calorem in rebus. Sicut enim fax illata cœnaculo repente totum illuminat: ita quoque repente totum hemiſphærium ſuis radiis implet. & ſicut fornax paulatim calefacit totum hypocauſtum, ita Sol paulatim aperiẽdo & relaxando ſpiſſiores partes, eáſque diſcutiendo vi luminis, calorem in aëre excitat.

58. Hoc vt perfectius intelligatur, paulò altius eſt repetendum. Summus opifex in principio ita omnia creauit, vt eſſent valde bona, & ad hominis immortalita amicè conſpi arent. Itaque ſumma fuit, in iſta n & dierum, l x tenebrarum viciſſitudine, temp aëris quem i mortalis homo hauriebat. Nul venti, nulli in res, nullæ pluuiæ, nulli grandin la tonitrua : n n hæc omnia ſunt pœna peccati mortalitatem in ferendam non parum faciunt. Sed a debat rũ ros qui irrigabat faciem vniuerſæ terræ. Quæ enim Sol ſua luce penetrando & attenuando, aëríſque calorem excitando, per diem exſiccarat, ea res ille per noctem rurſus humectabat.

59. Itaque homo nudus tum nihil ſentiebat caloris æſtiui immodici, nullum etiam morbum experiebatur: ſed per diem colebat arbores quarum fructibus vitam immortalem ſuſtentaret: per noctem verò ſub roſcidis arborum vmbris ſomnum vnà cum vxore & liberis capturus erat: & tandem ſatur huius vitæ curru (vt ita loquar) Henochi aut Eliæ (ſed abſque omni mortis ſenſu) hanc vitam, immortalem tum, cum altera ſempiterna commutaſſet: & quod nos per Seruatoris meritum nunc conſequimur, id piis votis & precibus ipſe impetraſſet à Deo, donec tandem beatorum numerus fuiſſet completus. Sed quum de æterno conſilio agere instituti noſtri ratio non patiatur, ad alia pergamus.

60. Maxima igitur omnium cœleſtium & elementarium corporum harmonia tum fuit, ſpectans ad ſempiternam rerum omnium immortalitatem: quam cùm

homo ſuo lapſu conturbauerit, cauſam iniquiſſimè transfert in corpora cœleſtia:cùm potius cauſam à ſeipſo petere debeat,& à terra propter hominem maledicta. Quòd enim Solis radiis nunc incaleſcit & ferueſcit aër,rurſúmque frigeſcit,huius rei cauſa per ſe ineſt vaporibus & fumis è maledicta terra prodeuntibus & aërem perturbantibus:per accidens verò Soli tribuitur. Nã Sol per ſe non calefacit,ſed per accidens,quoad ide[illegible] radiis & luce ſua denſatum aërem tantiſper [illegible]at, quantiſper extenuari poteſt : & quoad vapo[illegible] aut fumi in aërem emiſſi hodiè ſunt πεφυκότες & [illegible] patiendam hanc vel illam extenuationem habiles. Q[illegible]i enim citò extenuantur, vt fumi, citò naturam aëris [illegible]duunt : & cùm à radiis rectà, incidentibus celeriter [illegible]nt extenuati,etiam ad ignis naturam accurrunt.

Præterea,quod ad caloris exupe[illegible]am attinet, [illegible]a nobis ſit detrimentoſa, ibi ma[illegible]a pars culpæ [illegible]ſt in noſtris infirmis corporibu[illegible] quæ propter p[illegible]um obnoxia ſunt morbis,& mor[illegible] proinde rariora,[illegible]axiora;molliora, quàm vt caloren[illegible] illum perferre poſſint. Quòd enim Sol mõtes exurit,quòd igneos ardores efflat,quod æſtũ eius nemo hominũ poteſt ſuſtinere,hæc omnia pœnæ ſunt peccati:& huic terræ,eiúſq; incolis à lumine Solis,quòd per ſe bonũ eſt,ſalutare,viuificum,hodie accidunt, propter maledictionem qua Deus terram execratus eſt.

62. Ad frigus autem quod attinet nullo modo aliqua eius cauſa poteſt corporibus cæleſtibus attribui: cum à vigore illo cælico vis illa refrigeratoria abſit longiſſimè. Ptolemæi hoc eſt commentum,ex vetuſta Chaldæorũ & Ægyptiorum diſciplina repertitum. Nam Solem receſſu ſuo frigus excitare ſi quis dicat, manifeſtam accidentis fallaciam adſtruet. Vt enim Spiritus Sãctus quando hominem deſerit,neque manum ei ſupponit,ne labatur, nequaquam autor eſt illius lapſus:ita Sol,quando recedit, minimè habendus eſt pro autore frigoris atque hyemis. Facit enim officiũ Sol, ad quod conditus eſt à Deo vt ſuo acceſſu & receſſu metas anni deſcribat. Talis viciſſitudo fuit prorſus neceſſaria, ſine qua non potuiſſent annorum initia & fines obſeruari.

63 Cor-

63. Corruptionis cauſa Sol dici non poteſt, niſi per accidens. Neque etiam per ſe & ſimpliciter cauſa eſt generationis: ſi ad primam creationem reſpicias. Nam prius hanc generandi producendíque res omnes facultatem Deus terræ indidit, quàm Sol terram Luminis (ex quo compactus eſt) ſuis radiis illuſtraret. Dicitur igitur Sol cauſa generationis hodie per ſe & quarto modo: propter naturam aëris & terræ, quæ habilis eſt, in qua Solis radij iam plus quiddam poſſint agere, quàm in prima creatione, vbi ſummus erat Elementorum conſenſus & harmonia, neque vlla iſtorum corporum contagio. Quia enim aër frigus à terra accepit, amiſſa ſua viuifica & naturali facultate: ideo Sol radiis ſuis aduentitium illud frigus ex aëre profligat, & aërem viréſque extenuando ad naturam ſuam reducit, quæ eſt calid

64. Aër in Solis & lucis beneficio, ſuæ quaſi i gritati reſtitu s promouet vim genitalem, terræ à in prima crea one inditam. Neque enim Deus vitæ procreatio em terræ ademit, ei maledicen tantùm vires iſt s & hanc procreandi facultatem fe it languidiorem, tardiorem & priore omnino debiliore. Quare cùm bonum ſit generari & naſci: bona etiam erit Solis & Lunæ cæleſtis actio, bona etiam terræ facultas, quæ ei cooperatur & genitales ſuccos præbet naſcentibus. Cúmque mutua hæc actio & paſſio ſit ſecundum naturam (qualis nunc quidem eſt) & quoddam quaſi veſtigium primæ illius & integræ naturæ rerum: bona quidem eſt, ſed non ſimpliciter bona, cùm prior illa fuiſſet melior, atque perfectior.

65. Nam ſiue contagio, ſiue mutua actione & paſſione, ſiue qualitatum in Elementis confuſione, per ſe dabat omnia tellus. Ex quo intelligitur, quomodo adminiculum illud, quod iam naſcentibus rebus à iubare Solis accedit, per accidens bonum ſit: quandoquidem naſcentia ſine hoc adminiculo fuerunt meliora, perfectiora & viuaciora, quàm ſunt hodie. Terræ exornatio (inquit verè magnus Baſilius, homil. 3. in Hexaem.) antiquior eſt Sole: vt qui in errore verſantur, Solem adorare deſinant: quaſi is cauſam vitæ præbeat naſcentibus. Nec profectò cauſa vlla alia eſt, ob quam prophani homines diuinos honores Soli tribuerunt, quàm quòd

certò ſtatuerunt illum eſſe talium mutationum in aëre cauſam,& quidem liberè agentem:quandoquidem non ſemper eodem modo ageret.

66. De Solis motibus,diuerſis orbibus cæli Solaris, Solis item effectibus,anni tempeſtatibus,diebus, horis artificialibus,naturalibus,planetariis,diſſertatio,quum ſit paulò prolixior, intacta relinquitur. Priuſquam verò tollamus manum de tabula, Lunæ propria quædam adſcribere libet.Princeps eſt hæc Lunæ natura,vt noctu luceat, & ſuo motu curſúque tempus deſcribat menſtruum. Alia verò etiam eſt Lunæ natura, eáque minus principalis, ſed tamen ſecundum naturam lucis quam accipit à Sole, nempe vt rarefaciat & extenuet,tum aërem,tum omnia ſpiſſa:cùm autem Lunæ lux minor ſit, [illegible]n minor eſt hæc vis illius, qua aërem rarefaciat & [illegible]ſa extenuet.

Quum enim Luna ſuum lumen [illegible] Sole accipiat, [illegible]m quoque vim ſortiatur neceſſe [illegible], Licet multò [illegible]orem. Quemadmodum ergo So[illegible] diffundendo & colliquando aërem ſua luce,eundem per accidens calefacit:ita etiam Luna conſequenter calefacit, luxatis & reſeratis quæ ſunt denſa & πεφυκότα idque per ſe facit quarto modo : ſed mollius & imperfectius: ſoluens tantùm humorem, at etiam eum augens quem radij Solis abſumunt teſte Plinio.

68. Lunam verò res ſpiſſas laxare,eáſque per ſe quarto quodam modo calefacere, docent in natura rerum experimenta manifeſta, quæ Ariſtoteles & alij recitant. Carnes Lunæ expoſitæ citiùs putreſcunt quàm in Sole, propterea quòd Lunæ calefactio ſit mollis & languida, humores non exſiccans,ſed tantùm reſoluens. Infantes ſi Lunæ oſtententur,pleni humorum conuelli ſolent, cõmotis humoribus.qui ad Lunam decubuerunt, quaſi attoniti conſurgunt,humore cerebri per Lunæ radios diffuſo,quorum omnium cauſas Plutarchus petit à calore Lunæ,lib.3.Sympoſ.qu.10. Eadem de cauſa Oſtracea ſeneſcente Luna tabeſcunt, quæ adoleſcente & augeſcente gliſcunt.Præterea in arboribus & ſtirpibus Lunæ calor humores natiuos reſoluit & colliquat. qua de cauſa fabri ligna plenilunio cædere vetant. Contrà decreſcen

to

te Luna, aiunt materiam optimè cædi, quæ tunc areſcat attenuetúrque, propterea nec carie computreſcat.

69. Noctes in plenilunio calidiores eſſe tradit Ariſtoteles propter Lunæ lumen: vnde contingat piſces ad aquarum ſuperficiem commeare. Idem aſſerit tempus frigidius & humidius eſſe decreſcente Luna, quàm eadem creſcente. Quinimo Lunam priore dichotomia plus excalefacere & humectare, quàm ſequenti, vbi lumen ad defectum tendit, docet Cæl Rhodiginus, lib. 24. cap. 16. His aſſentitur Plinius, qui lib. 2. cap. 99. etiam hominis ſanguinem cũ Lunæ lumine augeri ac minui docet. Poſtremò maris fluxum ac refluxum ad Lunæ motus referunt Philoſophi.

70. Cur autem Luna non etiam rarefacit & exſiccat, ſiquidem calefaciendi vim in ſe habet, cauſa eſt calo[...] defectus atque [...]becillitas. Quem enim humorem r[...] dij Solis obſeru[...]t, eum Luna (vt ante dictum eſt, m[...] liore atque imper[...]ecta vi tantùm ſoluit. Nam Soli[...] dore ſiccatur; & he[...] eſſe maſculum ſidus accepimus; t[...] rens cuncta ſorbénſque. Contra ferunt Lunæ fœmineu[...] ac molle ſidus nocturnum ſoluere humorem, & trahere non auferre. Valeant igitur qui optimo ſideri malignã naturam admentiuntur, & non modò humoris roſcidi & aquei, ſed etiam frigoris nocturni cauſam ſuapte natura exiſtere falsò aſſeuerant. Valeant etiam qui Lunam humidam dicunt, propter hunc effectum planè accidentarium: nam eadem ratione etiam Sol dicendus eſſet humidus, qui ſuo calore vapores ex terra & aquis educit, eóſque ſubuehit: vnde poſtea imbres exiſtunt.

71. Superioribus dictis addo de Solis & Lunæ eclipſibus pauca quędam. Soli in coniunctione cum Luna interdum accidit obſcuratio: Lunæ verò in oppoſitione interdum defectus luminis, & obtenebratio per vmbram terræ. Nam lux Solaris nunquam deficit: ideo Luna propriè deficere dicitur. Qua enim Luce Solari veſtita eſt, ea rurſus eximitur atque ſpoliatur. In Sole ergo non defectum, ſed obſcurationem appellari didicimus. Nam Sol, teſte Macrobio, nihil ipſe patitur, ſed noſter fraudatur aſpectus: Luna verò circa proprium defectum laborat, non accipiendo Solis lumen, cuius beneficio noctem colorat.

72. Eclipſis Solis eſt lucis obſcuratio, ſeu auerſio radiorum Solis, quæ fit interpoſita Luna inter aſpectum noſtrum & Solem. Luna enim denſior eſt quàm vt radiis Solis tranſmittat. Et ſi enim Luna multò minor eſt Sole, poteſt tamen illum noſtris oculis eripere, cùm ſit admodum vicina terræ: quemadmodum manus admota oculis res maximas occultare poteſt.

73. Huius obſcurationis cauſa eſt Lunæ cum Sole coniunctio, quæ fit in altero nodorum, qui caput & cauda draconis appellantur. Nam Sol nunquam ab Ecliptica linea recedit: ſed Luna ſemper ab ea ad latitudines euagatur, aut in Boream, aut in Auſtrum: nec eſt in Ecliptica, niſi bis in anno, quando fuerit in nodis interſectionum. Quòd ſi ergo illa hora, quæ Luna ingreditur in Eclipti-m, fiat luminarium coniunctio, tum fit Solis eclipſis. am Sol & Luna diametraliter tum onguntur: ita linea recta, quæ ex oculo noſtro exc rit, tranſeat vſque luminis centrum, aut no procul à centris it.

74. Lunæ eclipſis eſt defectus luminis Lunæ, quando interpoſitu terræ Luna Solis luce in plenilunio orbatur. Nam vt Solis eclipſis perpetuò fit in nouilunio, hæc ſemper in plenilunio contingit. Cauſa eſt oppoſitio diametralis, quando Sol, terra & Luna, fuerint in vna quadam linea recta tranſeunte per horum corporum centro, vel non procul. Fit autem diametralis iſta oppoſitio, exiſtente vtroque lumine in linea Ecliptica, quando Luna fuerit in draconis cauda vel capite. Nuſquam enim Luna κατὰ διάμετρον poteſt opponi Soli, niſi in duobus illis punctis, qui nodi vocantur.

75. Poteſt tamen etiam fieri Lunæ eclipſis, cùm Luna vltra vel citra nodos fuerit tanto interuallo, quantus eſt ſemidiameter Lunæ viſibilis, coniunctus cum vmbræ ſemidiametro, hoc eſt, ſpatio fermè 65. ſcrupulorum. Equidem ſemidiameter Lunæ apparens eſt 18. ſcrupulorum 4. ſecundorum. Vmbræ verò ſemidiameter 46. ſcrupul. & 57. ſecund. quæ iuncta efficiunt 65. ſcrupula. Eſt enim diameter vmbræ fere duplus, ad diametrum Lunæ. Igitur intra hos terminos conſiſtens Luna, in oppoſitione patitur defectum luminis, & in vmbram terræ mergitur. At

ſi la-

ſi latitudo Lunæ maior fuerit 65. minutis, aut præciſè tot minutorum, tum nulla fit luminis obſcuratio: ſed diameter vmbræ tantùm ſtringit ſemidiametrum Lunæ. Ex quo intelligitur cauſa cur non quolibet menſe fiat Lunæ eclipſis.

76. Ex Sole & Luna prognoſtica ſumi poſſe non negamus: ſed talia quæ à cauſis iam fieri & effici incipientibus capiuntur: hoc eſt, vbi iam cauſa eſt in effectu aliquo poſita, cuiuſmodi ſunt præſenſiones nautarum, agricolarum & medicorum. At ex cauſis remotiſſimis Aſtrologi prædicunt effectus, & quidem poſt aliquot menſium aut annorum ſpatium euenturos. Quid autem Veritatis authenticæ verbum ſtatuat, De Aſtronomiæ profeſſoribus, Lector videat apud Moſem, Deuter. cap. 18. v. 10. tum cenſuras iuris Canonici, cauſ. 26. qu. 7. Can. penult. & Ciuilis, C. de Maleſ. l. Artem, & l. Nemo aruſpicem, cuius di[illegible] repetimus: Ne[illegible] aruſpicem conſulat, aut mathema[illegible]co cum, nemo ari[illegible]um. Sileat perpetuò omnis diuina[illegible]mnē curioſitas. Etenin[illegible] capitis ſupplicio ferietur, gladio v[illegible] re proſtratus, quicunque iuſſis noſtris obſequium denegauerit. Hanc legem ſanxerunt Conſtantinus & Iulianus Impp. 8. Calend. Febr. Mediolani, anno Chriſti 360. Et de his quidem hactenus. Reliqua iuſto volumini reſeruantur, quæ in vſum ſuum ex Aſtronomorum placitis ſtudioſus Lector excerpere poteſt.

FINIS.